

Donum Cl. Auctoris






BEATI
THVRIBI ALPHONSI
MOGROVEII
Archiepiſcopi Limenſis.
VITA EXEMPLARIS,

PER

FR. FRANCISCVM HAROLDVM
Ord. Minor. Hibernum Limericenſem
Conſcripta.

Hæc ſuccinta licet, breuibuſque repoſta docebunt,
Qui vitam formes, inſtituaſque tuam.






ROMAE,
Typis Iacobi Dragondelli. M. DC. LXXX.

SVPERIORVM PERMISSV.

Eminentissimo, & Reuerendissimo Principi.

FLAVIO
S. R. E.
CARD. CHISIO



IHIL tardum quod tempestiuum, (CARDINALIS AMPLISSIME) Nec vnquàm oportuniùs redditur actio gratiarum, quàm, cùm beneficium suis numeris absolutum est. Diù Tibi debetur, & iure Tuo iam dudùm exigere poteras, quòd nunc tandèm affertur, eò maturiùs, quo seriùs. Malui enim in cœlis triumphantem, ac etiam Tua ipsius opera declaratum in terris caput cœlestis gloriæ indicibus radijs coronatum

exhibere Thuribium, quàm, quod ſæpiùs priuatìm, & aliquandò, forſaſſis importunè, feci, ſupplicem eum publica ſignificatione obtrudere: vt certiùs Tibi perſuadeas, eum in cœleſti curia BEATVM, Tui patrocinium agere; cui Tu, per annos iam duodeviginti continuos, in terreſtri curia patrocinatus es. Poſtquàm etenim Alexander VII. Chiſius Pont. Max. Cl. mem. Patruus Tuus, me ad ſacros eius pedes Thuribij cauſam ſuppliciter commendantem, qua inſignis erat comitate, excipiens, omnem iuſtum fauorem ad rem promouendam à ſe mihi promiſiſſet, ſpes ea tunc ab ipſo mihi ingeſta nunquàm deinces feſellit. Præſtitis enim quibuſdã, quæ non omnibus paſſim tribuuntur, Te quoque ad gratiarum cumulum in purpuratis S. R. Comitijs Mogrouejì cauſæ Rogatorem, ſeù malint, Ponentem conſtituit; nec meliorem

conſ-

constituisset; tùm qua apud ipsum crebræ occasionis opportunitate, tùm qua apud alios etiam authoritate, & æstimatione vales. Tu porrò deinceps patrua pietate imbutum pectus, ceù hæreditario quodam iure, & Alexandri Pont. exemplo, & affectu, ita serui Dei Thuribij causam prosecutus es, vt aspera quæque liquida ratione complanares, dubia sapienter dissolueres, & obstacula quamtumuis ardua fortiter, suauiterque superares. Nec desistere voluisti, dùm euinceres vt Mogroueji in cœlis gloria BEATI nomen, & publicum cultum in terris consequeretur. Luctam eluctatus es, cursum consummasti, attigisti metam. In quo id maximæ laudis est, quòd nec spectatorum plausus, nec auram inanis gloriæ, nec peritura commoda quæreres; sed quæ gloriosiùs, sanctiorique mente peroptabas, gloriam Dei

in

in Sanctis eius, horum à fidelibus populis promeritam venerationem, Ecclesiæ Catholicæ decus, &, quæ hinc maxima comparantur, Christi fidelium emolumenta, virtutis, & Sanctimoniæ exempla; Dei, & Sanctorum cultus meritum, ac semper duraturum seriæ imitationis præmium. Hæc, E C. Tui certaminis trophæa sunto; quibus neque Græcorum olympica, nec veterum Romanorum Circensia, vtcumque decantata, comparari possunt. Quod meum attinet, his Tu splendidissimè ornatus, vt post prolixum, felicemque mortalis vitæ cursum, in æternitatis Vrbem, & vitam vitalem, vbi victoris vita mortem, vel arcus triumphalis semel erectus Barbarorum incursus, aut vetustatis detrimenta non timent, gloriosum cum Thuribio tuo triunphum ducas, peropto, oro, auguror. Nunc verò cùm pro

tot,

tot, tantisque beneficijs gratias Tibi reddere non valeam; certè, deberi Tibi, & habere me palàm profiteor, atteftorque, ac Beatum Thuribium Alphonfum Mogrouejum in cœlis regnantem, vbi creditores fallere non poteft, in hoc libello, tanquam irrefragabilibus tabulis pro me Tibi vadem conftituo. Romæ die 1. Menfis Aprilis Anno 1680.

E. V.

Deuotiffimus Cliens
Ioan. Francifcus de Valledolid Ecclefiæ Cathed. Limanæ Dignitarius Scholafticus, & B. Thuribij Apotheofis Poftulator.

PAV-

Lectori S.

PAVCIS te volo, quæ non meî tantummodò, sed tui quoque, pluriumquè aliorum causa notaui: ac primùm de ipso Thuribij nomine, in cuius ortographiæ ratione ego neque alijs scriptoribus, nèc in alio opere iàm edito mihi ipsi constare videor. Nam, quos legere licuit, etiàm Hispanos Hispanè seù Latinè scribentes, Thuribium, vel Thoribium habent. Quibus vir eruditus, Ioannes Tomaius Salazarius tom. 2. Martyrol. Hispanici ad diem 16. Aprilis pag. 668. vbi de tribus veteribus SS. Thuribijs, hanc suam sententiam interposuit: De horum Sanctorum trium nomine valdè controuertitur, alij Turibium, alij Toribium, & nonnulli Teoribium appellant. Quidquid fuerit, hodièi Hispanico idiomate, Toribio, & Latino, Turibius scribitur. Poterat autèm Hispanis aliquibus, etiàm Latinè Scribentibus Italos associare; vt constat ex lectionibus Officij Ecclesiastici S. Turibij Astoricensis Episcopi, comparatis cum Epistola S. Leonis Papæ ad eundem Astoricensem scriptis, quæ duo vetustissima monumenta, apud Tomaium rescripta, Toribium habent. Ego igitur in Lima limata, quamuis latinè scribens, secutus sum publicas tabulas lingua hispanica conscriptas, in quibus, Toribio, reperi, nè eas vllo apice violasse viderer: adeoque quarta vocali vsus sum: sed in hoc opere ex Tomaij regula, &, quem asserit, communiore Latinorum vsu, malui quintam reponere. Addidi autèm aspirationis notam, seu, vt (suffragante etiàm Cicerone) firmiùs teneo, litteram octauam communis Alphabeti; quòd ab ocularis testibus intellexerim, ipsum B. Mogrouejum nomen suum sic scribere solitum fuisse: vt eius Epistola

ad

ad Curiam Romanam data, & adhuc, vt afferunt, in chartophilaceo Rom. Congregationis S. Concilij Tridentini conferuata, ipfiufque B. Præfulis propria manu fubfcripta demonftrat. At nè quifquam fufpicetur, virum grauiffimum id, vel animi leuitate, vel proprij nominis ignorantia feciffe: Ego, quantum hic diuinare licet, pietatem eius adfcifco, vt cenfeam, voluiffe eum, vel Maiorum fortè veterem confuetudinem fequi, vel nomen fuum, quàm proximè poterat, ad thuris fignificationem applicare; quod in facris litteris, & perpetuo facrorum vfu, frequentis, & feruidæ orationis fymbolum eft: vt quoties nomen fuum fic elatum fcriberet, legeret, vel audiret, toties moneretur continuandæ orationis; in quo dono Dei, ipfum quamplurimis præcelluiffe conftat. Quòd fi Theoribium fcriberet, res in id ipfum myfterium rediret; cùm diuini nominis crebra recordatio mentem in Deum eleuare foleat, & ferrea quandoque corda, inftar magnetis illi fortitèr affixa tenere.

Alterum eft, quod non me folum concernit; fed quotquot illi funt, quos in fcribendi methodo fecutus fum. Monuit non nemo videri fibi, me alicubi non obferuata temporis ratione, quafi Thuribij ætates confudiffem. Igitur, nè tu quoquè vel eadem cogitatione turberis, aut me cum bonis fcriptoribus damnandum cenfeas, recordari te velim, non vnam effe omnigenæ hiftoriæ confcribendæ rationem, vt non vna eft narrandarum rerum natura, nec vnus ad eas legendas accedentium animus aut fcopus, vel ipfius fcriptoris intentio. Sunt enim, qui euentuum origines, & fucceffiua per ætates incrementa decrementaque cupiunt, atque his vniuerfa hiftoria placet; quæ, cum diuerfiffimi generis res complectatur, quæ non alio nexu coniunctæ funt, quàm, vt pofteriorum & clarior notitia, & amplior vtilitas à priorum notitia

§ § de-

dependeant ; in eis proindè narrandis non meliore methodo, quàm continuato successionis ordine vtendum est, &,quam exactè poterit, ætatum ratio habenda, quæ Annalium, fastorum, & ephemeridum scribendorum genera complectitur: Alij nulla ferè habita temporis ratione materiam seligunt, eamquè per certas partes pro præfixo sibi fine pertractant; quæ methodus obscurior plerumque est, & plus delectamenti, quàm vtilitatis afferre solet: Alijs deniquè mixta ratio placet, præsertim in conscribendis illustrium personarum vitis, in quibus & proprij ætatum euentus, & sectandorum, vitandorumque exempla reperiuntur, quæ à nullo tempore dependent: Ego igitur hanc methodum in B. Thuribij vita secutus, existimo me in euentibus narrandis, quæ successiuas ætates, diuersasque vitæ conditiones sibi appropriant, eandem ita seruasse, vt nihil priùs narrassem quod posteriùs euenerit. In virtutibus autèm eius, lectorum imitationi proponendis, quas ille per omnem ætatem exercuit, ex omni pariter ætate exempla simul exhibui, tùm, vt eorum conglomeratione ad ea sectanda legentes fortiùs mouerem, tùm vt nemo se ab eorum imitatione per diuersam ætatem, vel vitæ conditionem excuset; quæ B. Thuribius, alijque multi per omnem vitam, omnemque eius conditionem, & statum, virtuti macti constanter obseruarunt, in quo distinctionem potiùs, ac delectum esse existimo, quam confusionem aut casum: præsertim quod fini mihi posito, seu lectoris profectui maximè consentaneum sit.

Minoris momenti rem, & irremediabile malum, vltimo loco repono, quod humanitatem tuam vel mihi imputare, vel tibi in bilem vertere non velim, typographiæ mendas, quia morbos alienos: Nescio quem viderim librum ab omnibus eiusmodi næuis liberum, sed multos vidi cunctis passim scatentes: Ergo

vel

vel Hyppocratem hic te, esse decet, vel C. Plinium; illum, vt medicum imitatus ærorum symptomatibus non irascaris, sed compatiens infirmo, vt eruditus es, per te remedium adhibeas: istum, vt eius exemplo notandis apicibus non perdas tempus meliora pluraque legendo impendendum. Spero enim te in hac editione tales non reperturum, vt nescias quid legendum esset.

Fr. Franciscus Haroldus.

INDEX CAPITVM
TOTIVS VITAE.

militatis, cuius natura, necessitas, & vtilitas declaratur.

10. *Thuribius Iuris Baccalaurei gradum adeptus migrat Salmanticam. V. I. licentia donatur. Conymbriam diuertit. Salmantini Collegij Ouetani socius. Huius Collegij laudes. Quo tempore, quàque animi dispositione Collegium ingressus.*

11. *Thuribius quàm bonus Collega. Peregrinatio Compostellana, varia macerationis, humilitatis, paupertatis, obedientiæ, castitatis, aliarumque virtutum exempla.*

12. *Granatensis Inquisitionis initia. Thuribius fama celebris illi Præfectus, vt se gesserit.*

13. *Eius œconomiæ, domesticæque disciplinæ, tùm hic, tùm Limæ ratio.*

14. *Archiepiscopatui suscipiendo quantùm reluctatus. Qua ratione persuasus, vt consentiret.*

15. *Profectioni se parat. Sacris Ordinibus initiatur. Abrahæ assimilatur. Regijs fauoribus ornatur. Archiepiscopus consecratur. Prosperè transfretat. Mortis periculo per miraculum eripitur. Solemni lætitia Limæ excipitur.*

16. *Episcopalis curæ summa capita. Turibius cæteroquin idoneus, generalem Indorum linguam studio discit, prouinciales dialectos Dei dono doctus. Cognoscendi gregis, & ordinandæ Diæcesis initia. Cuius tùm status describitur.*

40.

Romæ actum vsque ad obtentas Apostolicas remissorias.

57. Post obtentas remissorias, quid vtrobique actum vsque ad solemnitatem Beatificationis?

58. Thuribij Alfonsi Mogrouejì Beatificatio solemnis.



Fa-

Facultas Reuerendiss. P. Ministri Generalis.

RR. PP. Hieronymus a Sosa Secretarius Generalis Ordinis, & Franciscus Iunius Guardianus S. Isidori Lectores Iubilati videant, & referant.

Fr. Ioseph. Minister Generalis.

Relatio Patrum Reuisorum.

EX commissione R.mi P.N.Fratris Iosephi Ximenez Samaniego totius Ordinis Minor. Gen. Ministri, nos infrascripti opus inscriptum, B. Thuribij Alphonsi Mogrouejі Archiep. Limensis vita, à R.P. Fr. Francisco Haroldo, Lectore Iubilato, ac totius Seraphicæ Religionis Chronographo, affectus insinuata deuotione, & mentis admiratione perlegimus. Porrò lectoris animum ad venerationem rapit sanctimonia ipsa morum, operumque miraculosa fœcunditas B. Præsulis: erectum verò iucundumque reddit catholicus, pius, & eruditus calamus Authoris. Approbamus itaquè impensas lucubrationes æternitatis gloriosa mercede donandas, totumque laborem laude, luce, & prelo, vtpotè catholicæ fidei, & bonis moribus consonum, communique vtilitati, & christianæ pietati arridentem, dignum iudicamus. Datum Romæ 8. Augusti 1679.

Fr. Hieronymus de Sosa Lector Iubilatus, & Secret. Gen. Ordinis.


Fr. Francisco Maria Iunius Lector Iubil. & Collegij S. Isidori Guardianus.

FR.

FR. Iosephus Ximenez Samaniego, totius Ordinis Fratrum Minorum Seraphici P. N. S. Francisci Minister Generalis, & seruus. Opus cui titulus B. Thuribij Alphonsi Mogroueji Archiep. Limensis vita, à P. Fr. Francisco Haroldo, Sacræ Theologiæ Lectore Iubilato, & Ordinis nostri Chronographo elaboratum, à Theologis, quibus illud examinandum commisimus, approbatum vt typis mandetur, facultatem facimus, seruatis in reliquo seruandis. Datum Romæ in Conuentu nostro Aracælitano die 5. Septemb. 1679.

Fr. Ioseph. Minister Gener.


Ap-



Approbatio Sacri Palatij Apoſtolici.

Imprimatur Si videbitur Reuerendiſs. Patri Mag. Sacri Pal. Apoſt.

I. de Angelis Archiep. Vrbin. Viceſg.



Imprimatur.

Fr. Raymundus Capiſuccus Ord. Præd. S. Pal. Apoſt. Magiſter.




B. Turibius Alphonsus Mogrouejus, Hispanus, Archiep. Limensis, Peruvianæ gentis lumen clarissimum, fidei, et Ecclesiast. authoritatis scutum inexpugnabile, pietate in Deum, charitate in proximum, prudentia in regimine, constantia in aduersis illustris, signis et uirtutibus admirãdus, obijt die 23. Martij, An. Dom. 1606. ætat. 68. Pontif. 25.

BEATI THVRIBI ALPHONSI MOGROVEJI ARCHIEPISCOPI LIMENSIS VITA EXEMPLARIS.

PRAEFATIO.

Scriptoris Propositum, Operisque Partitio.



Ræclarissimi huius Antistitis, & Beati Viri acta conscripturus, nec solicitus sum, nec mihi proponendum, aut operę pretium censui, vt heroicas eius virtutes, & signa per eum diuina virtute patrata, totiusque innocentissimæ vitæ, & conuersationis opera singula, pro iuris districtione, vel discuterem, vel comprobarem. Id enim iam satis, ritèque per eos præstitum est, ad quos, & maiore authoritate, & seueriori cunctorum indagine, censuraque faciendum spectabat. His ergo, ceù solido ædificij fundamento superædificare constitui: vt Thuribium Mogrouejum, non laudandum tantummodo, sed & imitandum, & forti animo sectandum exhibeam; vt quemadmodum ille, ex enixa diuinæ legis, & sacrorum Canonum obseruantia, cæterarumque virtutum ingenti studio, &

 bono-

bonorum operum constantissima perseuerantia, magnum gratiarum cumulum, magnum in Ecclesia triumphante gloriæ pondus, & publicum beatitatis cultum in militante, solemni ritu consecutus est; sic huius opellæ lectores ipsi ædificentur, eiusque ductu confortati, & concitati exemplis, certam faciant vocationem suam, ad promissa eiusmodi meritis æternæ vitæ præmia olim consequenda.

Id enim potissimùm enitar, vt ex Thuribij actis clara exempla, certaque æternæ salutis adipiscendæ documenta omniũ piè prudenterque in Christo Iesu viuere volentium incitamento, & imitationi proponam. Is enim erat Thuribius, ea cordis innocentia, mentis candore, ea modestia, & castimonia morum, & per omnem vitæ statum studio christianæ perfectionis, cunctorumque munerum, & cuiusque muneris officij præstandi integritate, vt & priuatus quilibet, ac primùm adolescentes nobilitate clari, & litteris operam nauantes, domesticæque familiæ dominus, & quicunque Reipublicæ Princeps, præsertim Ecclesiasticus in eius actis reperiat quod imitationem prouocet, & securam ad felicitatem perueniendi viam simul commonstret; sed plurima, quæ mirari magis, quam imitari facilè possint.

Hieron. Tom. 1. Epist. 3. pag. 21. col. 2. littera F.

Nunc ergo, quoniam, vt Hieronymus Ecclesiæ Doctor Heliodoro præscripsit; præcepta sunt Rhetorum, vt maiores eius, qui laudandus est, et

eo-

eorum acta repetantur, ſic ad ipſum per gradus ſermo perueniat; quo, videlicet auitis paternis virtutibus illuſtrior fiat, aut non degeneraſſe à bonis, aut mediocres ipſe ornaſſe videatur. Quam legem ante Rhetores meliores magiſtri, diuini Codices obſeruarunt, & ſanctiſſimi grauiſſimique Patres præceptis, & exemplis nobis tradiderunt. Quanquàm enim Deus ex lapidibus poſſit facere filios Abrahæ, quemadmodum ex aſinorum, pecudumque paſtoribus fecit Reges, & ex piſcatoribus, ac telonarijs Apoſtolos, ſuique in terris Regni creauit Vicarios, qui ſuſcitat de puluere egenum, et de ſtercore eleuat 1.Rag. 2, pauperem, vt ſedeat cum Principibus, et ſolium gloriæ teneat; naturæ tamen virtutẽ ſuam non ademit; quin qui virtutum ſemina & ſtimulum conſeruandi decoris a progenitoribus, patria, & liberali puellaris vitæ diſciplina deriuarent, illi, accedentibus diuinæ gratiæ donis, quæ & naturam fortitèr, ſuauiterque flectunt, & quantumcumque benè alioquin inſtitutæ neceſſaria ſunt, ij præſtantiores euaderent, quibus & gratia Dei ſimul, & natura ſuffragarentur. Ex quo vtroque principio quidquid perfectum eſſe poſſit, a Thuribio noſtro iuſta ratione nobis promittimus.

Adeò autem in omni fermè vitæ ipſius actione conglomerata ſunt variarum virtutum exempla, vt qui ea ſeparatim tractanda decerperet, is mihi videretur vel eadem ſæpius repetere debere, vel ſingulas rerum narrationes iuncturis ſuis, neruiſ-

que delumbare. Quæ duo mala vt effugerem ego, malui historiam perpetua plerumque narratione contexere, quam in diuersorum titulorum capita dispertire. Verùm ne hoc iterum lectori tædium parere videretur, capita quidem apposuimus, non totius narrationis vno titulo, sed varijs materiæ argumentis distincta; Quo etiam typographos marginalibus notis, illis semper ingratis, liberauissemus. Illis autem lectoribus, qui eiusdem virtutis Beati viri plura paradigmata simul videre cupiunt, rerum indice satisfaciemus.



CAPVT I.

Gentis Mogrouejæ lares. Hiſpania Mauris vt tradita, vt liberari cœpta. veteris Mogroueji virtutis trophæa. familiæ dignitates, & nobilis Affinitas.

VEtuſtiſſimæ nobilitatis Mogrouejæ ſtirpis, quantum extat memoria, patria fuit prouincia Libanenſis, vulgò, *Lieuana*, in veteri Caſtella, & Regno Legionenſi, in Hiſpania: vbi fundum, & larem habuerunt ante annos circitèr mille, in montibus, quos Europæ vocant, quatuor leucis à celebri Crypta hodiè dicta Sanctæ Mariæ a Couadunga, non procul a ripa fluminis Deuæ: Felix patria, fauſta familia, ex qua vtraque fortunata libertas chriſtianæ Catholicæ Hiſpaniæ auſpicatò cœpta fuit!

Annus Chriſti duodecimus Ioanni Vaſæo, rerum Hiſpanicarum Chronographo, ſupra ſeptingenteſimum agebatur, quando Iuliani Comitis Zelotypia per Roderici Gothorum tunc in Hiſpania Regis libidinem in furorem verſa, Mauros Africanos Mahometi perfidiam profitentes, trans fretum Herculeum, in Hiſpaniam accerſiuit: qui omnem regionem barbara vi in ſuam ipſorum poteſtatem redegerunt, præter Cantabriam, & illos Aſturiæ montes, de quibus iam diximus; quo-

quorum asperitas Mauros a propagandis illùc suis armis aliquandiù deterruit: proptereàque vetusta Hispaniæ nobilitas illuc refugium habuit.

Quod, vbi occiso in acie Roderico, aduerterent Gothi, veteresque Hispani, (quanta in concordia salus?) magno illuc numero confugerunt, & Regem statuerunt Pelagium regij Gothorum sanguinis egregium iuvenem, qui selectis ex omni populo mille viris, lacertis & virtute validis, at non tam telis, quam diuinæ opis fiducia fretis, in specum illam Couadungam se cum ipsis abdidit, reliquis copijs in montis cliuo relictis, vbi suæ quoque virtutis exercendæ commodum expectarent. Intereà Tariff Maurus, Miramolini Africani Regis in Hispania Vicarius ingentem exercitum in Pelagium, & Christianos immisit, qui, tanquam canes venatici, Christi milites velut cuniculos è cauea depellendos Mahumeto mactarent. Hi specum imprimis obsident, & intrare non ausi, saxis, & sagittis, omnique vibratili telo agendum censuerunt; Sed quotquot in antrum inijciebant, eadem omnia in ipsos iaculatores, Dei matris auxilio retorta, viginti ipsorum millia ante ostium Caueæ prostrauerunt, non aliter, quam ducentis ferè prius annis, ad specum S. Michaëlis in monte Gargano, Sypontino homini contigisse legimus. Atque hæc prima Pelagio Regi de Mauris victoria fuit: quæ tam ingentes animos Christianis addidit, vt quamquam viribus im-

mpares, sed fide & spe Christi superiores præliaturi cum barbaris in campum prodierint.

Cùmque pugnæ classicum præstolarentur, ingens rupes dicta *Subiedes*, diuina, vt creditur, manu ex reliquo montis excisa, sexaginta tria millia Maurorum sua ruina compressos vnico se sepulchrali lapide contexit. Videns ergo Pelagius Rex cœlum pro se pugnauisse, fugientes Maurorum reliquias per montium abrupta persecutus est, ac deleuit; Christianorum intereà nemine, vel sagitta, vel saxo, vel consertis manibus ne læso quidem. Legionem vrbem illis abripuit, suique restaurati regni sedem auspicatissimam, regiamque constituit: Ex qua omnis deinde Hispania per Pelagium ipsum, posterosque Christianos Reges libertati suæ, & Christianæ Religioni paulatim restituta fuit. Quæ anno post Christum natum septingentesimo decimo octauo contigisse notauit Vasæus.

In his Pelagij Regis prælijs regium vexillum prætulisse constat Heroem quendam Mogrouejum cuius proprium nomen excidit, sed facti memoriam conseruat tùm perpetua montanorum traditio, cùm ipsius vexilli hasta in hodiernum vsque diem pendens anathema in Mogrouejorum sacello S. Martini. Quinimò & facinus aliquod memorabile in ijs prælijs perpetrasse Mogrouejum, propter quod victoriam ipsi tribueret antiquitas, mihi significare videntur verba veteris Epitaphij adhuc

adhuc in illa domo, & vulgi ore ſeruati, cuius ſimplex canendi character longam prodit vetuſtatem, ſic enim ſonat.

Soy Mogrouejo el Guerrero,
que venciò la gran batalla,
De Tarif, y ſu canalla,
ſegun texto verdadero:
Sobiedes peña frago ſa
Sobre los Moros cayò,
Y los Chriſtianos librò,
ved que milagroſa coſa!

Accedit huic argumento ſincera beneuolentia, & ſingulares prærogatiuæ apud Pinellum legendæ, quibus Caſtellæ Reges Mogrouejorum familiam deinceps ornauerunt, ijſque perpetuis, & hæreditarijs: armorum, & aulæ Regiæ primarijs muneribus, iure perpetuo proprij tribunalis in ſuis dominijs, & in domo ſecuritate aſyli; à quibus nemo quantumuis flagitioſus extrahi, vel euocari poſſet, ſi Diuinæ vel humanæ Maieſtatis læſæ criminis reus non prius probaretur: quibus Iudices per annos aſſignandi ius penes Dominum domus integrum erat, & liberorum ſuorum collactaneos hoc ſolo titulo, Regum authoritate, nobiles pronunciare: atque alijs, quæ proculdubio patrati alicuius præclari facinoris, & præſtiti Regibus obſequij præmia cenſenda ſunt.

Alij hic recenſent Hiſpanorum familias, affinitatis, vel ſanguinis vinculo cum Mogrouejis coniun-

iunctas, quarum præcipuæ hodiè censentur Duces Infantadi, Duces Metimnæ turrium, Marchiones Astorgæ, Comites Beneuenti, aliæque multæ Castellanæ nobilitatis familiç, quas ego non prosequor: vt non immeritò, hac perspecta nobilitate nostri Thuribij, Ioannes Pimentelius Beneuentani Comitis frater suo testimonio non dubitauerit comprobare, ipsum Thuribium, quod genus attinet, cum quouis Hispaniarum Dynasta comparari posse.

CAPVT II.

Thuribij Maiores proximi, patria, parentes, natiuitas, indoles, pueri virtus, domestica educatio.

EX tam generosa stirpe vnus erat senior Thuribius Mogrouejus, Thuribij nostri Archiepiscopi proauus, cognomento Bonus, homo togatus, ideoque dictus Baccalaureus. Hic gentem propagauit ad oppidum, seu Ciuitatem Maiorgç, ducta ibidem antiquç nobilitatis vxore Beatrice Muñozia de Ceron, cuius paterni iuris hçreditarium munus perpetui prætoriatus Maiorgç ad Thuribium coniugem, & posteros per ipsam deriuatum est. Est illa Ciuitas caput eiusdem nominis Comitatus, cuius titulum, viuente patre, gerit primogenitus filius Comitis Beneuenti, ad quem

locus proprio iure pertinet: ab vrbe Legione distat leucis circitèr nouem.

In hoc loco Thuribius Bonus ex coniuge Beatrice suscepit filium Ioannem Alfonsum Mogrouejum, & hic ex filia Marchionis Santillanę, coniuge sua, Ludouicum Alphonsum Mogrouejum, Thuribij nostri Archiepiscopi genitorem, omnes togatos, Iuris peritos, & perpetuos Prętores Maiorgę. Vxorem duxit Ludouicus Annam Robles, Moran, ex oppido Villaquexida, ex eaque suscepit Maiorgę filios tres, Ludouicum alterum, qui Patris posteà hęreditatem possedit. deindè Lupercium, de quo aliud non didici: ac tertio loco Thuribium Alfonsum Archiepiscopum, de quo iam agimus. Erant ei prætereà filię duę, Maria Coco, quę cum opinione Sanctimonię morum decessit Monialis in Cœnobio Maiorgano S. Dominici: & Grimanesa per Apostolicam dispensationem nupta Francisco Quinionio, consanguineo suo, de quorum vtroque frequentior nobis mentio redibit.

Hac patria, hisque progenitoribus, atque parentibus natus est Thuribius noster, die decimasexta mensis Nouembris, & octauo indè die baptizatus Anno Christi millesimo quingentesimo trigesimo octauo, eodem quo Aronę diœcesis Mediolanensis editus est S. Carolus Borromęus, die secunda pręcedentis Octobris: vt quos Deus in extremis fere Christianitatis partibus, tanquam Ecclesiasti-

cę

cę diſciplinæ reformandæ polos conſtituere decreuit, eoſdem idem annus, idemque ferè menſis in lucem proferrent. Mirum ſanè quanta inter vtrumque actionum, atque morum ſimilitudo per totam vitam interceſſerit, quamuis vix forſitan ex nomine ſibi mutuò notos; quod & Pinelus paſſim animaduertit, & alij fortè fuſius explicabunt.

Natum Thuribium parentes infantem, pro ſui generis & fortunarum conditione, tenerrimè nutrierunt; proque pietate Chriſtiana, qua inſignes erant, puerum piè etiam, & catholicè educarunt. Intereà, pro parentum de filijs cura, ſoliciti, dubijque, an quem natiuitatis ordo, primogenituram denegando, domeſtico patrimonio, pro patriæ conſuetudine deſtituit, eum armis, an liberalibus diſciplinis adaptarent, quibus opes, & gloriam reliqui poſt hæredem filij quærere conſueuerunt. At quoniam Tullij Ciceronis conſilio docemur; quidquid homini naturaliter inſitum eſt, eo vti decere, & quidquid agat, agere pro viribus. Naturam enim ſequentibus, docente Seneca, omnia facilia, & expedita ſunt; contra illam nitentibus non alia vita eſt, quam contra aquam remigantibus; ſeu, vt alibi viciniùs Chriſtiano loquitur: Inſita ſunt omnium artium nobis ſemina, magiſterque ex occulto Deus producit ingenia: ſic diuinæ gratiæ Magiſterij vis, atque neceſſitas etiam ethnico nota fuerunt.

Cato mai.

Epiſt. 122. de

Benefic. l. 4. cap. 6.

Expectabant propterea Turibij Parentes, quid in

in puero naturæ vis, quid magiſtra Dei gratia ex occulto producerent: ac Deum ipſum orabant aſſiduè, vt ipſorum mentes, puerique vias eo dirigeret, quò maximè ad veram filij felicitatem, deique ipſius gloriam eum conducendum ſciret. Omnes interim pueri actiones, geſtus, motuſque, & verba obſeruabant, vt ex his effectibus inueſtigarent affectus, & omnem innatæ ipſius indolis impetum perdiſcerent; vt ſi quæ protenderent mala, dùm adhùc rudis, atque tenera mens eſſet, id emendarent, & educationis aduerſo pondere corrigerent, nè ex affecta radice arbor vitioſa prodiret, & virulentum olim animæ ſimul, fortunæ, ac famæ fructum proferret: ſi ex aduerſo pro votis benè ominarentur, id pro viribus agerent, ac promouerent.

In Thuribio nihil aſperum, aut martiale, non iactantia virium, non facilis aliorum offenſio, non iraſci nutricibus, non reluctari parentibus, non inſultare famulis, non contemnere magiſtros, non ſaxis torquendis, vel iaculandis ſagittis, non gladiolis, aut nummulis delectari, non equitare in arundine longa: at omnia ingenua quidem, & liberalia, pudica tamen, modeſta, & pia: coætaneorum crepundia contemnere, rixas, & ludos fugere, domi ſe continere, altariola fingere, &, quantum valebat, ornare, ſacras imagines cum luminibus adhibere, genua coràm flectere, deuotè precari: alios etiam conuocare, puerorum proceſſio-

ſiones ducere, ad virtutem pro concione hortari, dehortari vitia, rei ſacræ reuerentèr adeſſe, & albis aliquando indutus omnes ſacerdotum ritus imitari, ſuopte ingenio ad omnia bona tam pronus, quam auerſus à malis, ac mente ad res comprehendendas perſpicaci, & in agendis prudenti, ac ſedula.

Verum, quo eius in Deum pietas, & in proximos prona charitas magis innotuit, vna tantum nocte, nono circitèr ætatis anno, vocantibus fortè coæuis, puerum lunæ ſplendor inuitauit, vt in forum cum illis exiret, vbi pauper fœmina fructus vendebat. Sed pueri poma rapere, illa execrari licentiam, iſti caniſtrum totum euertere, illa conuicijs, maledictis, & blaſphemijs quidquid in mulieris plebeæ buccam veniebat, in pueros effutire, & peſſimè omnibus imprecari. Tum Thuribius, qui nullam culpam præter præſentiam, & diſplicentiam in facto habuit, fœminæ paupertati compaſſus, ac Deum per vtroſque offendi grauiter ferens, pueros compeſcere, & vetulam blandè, ſuauitèrque precari, ne Dei patientiam eiuſmodi maledictis irritaret: ſi de pomorum damno res eſſet, ſolum ediceret, quantum valerent, rogaturo ſibi matrem, vt pretium integrum perſoluat. Hinc placata fœmina, Thuribius verborum, geſtuumque pijſſima teneritudine, vetulæ pauperiem, & caſum, numiniſque offenſam, & compaſſionem ſuam, iunctis manibus more, ſupplicantis, genitrici repræ-

repręſentauit, ab eaque interrogatus, an ex illis rebus quidquam comederit? ille mirabundus, Ego nè, chara mater, inquit, res malè partas guſtaſſem? Hac filij virtute delectata mater pecuniam dedit: quam cum ipſe proprijs manibus ad fœminam detuliſſet, eandem denuò hortabatur, ne tam facilè Deum deinceps vnquam prouocaret; nec ipſe amplius tota vita noctu ſe foris recreare viſus eſt. Mos etiam illi fuit, vt quod ad ientaculũ ipſi, vel præcœnium dabatur, hoc, quod pauci ſolent, ieiunus ipſe alijs egentibus tribueret.

Per hæc, & plura id genus indicia futuræ virtutis, agnoſcebant Parentes Thuribium litteris idoneum, & Eccleſiaſtico ſtatui a Deo, qui hæc inſpirabat, iam deſtinatum eſſe, ingentemque fructum ipſi ex eiuſmodi ſeminibus præſagiebant. Quapropter aſcitis præceptoribus, prima litterarum elementa, & grammatices præcepta domi illum diſcere curauerunt: In quibus, & morum diſciplina ſic ſub parentum oculis profecit, vt exacto iam ætatis anno duodecimo, iudicatus fuerit idoneus, qui ſui quodammodo iuris, extra domum, amoenioribus diſciplinis animum intenderet. Valliſoletum ergò tunc miſſus ad publicum litterarum gymnaſium, Dei magìs, quam humano magiſterio ità ſe geſſit, vt cùm ſtudijs gnauitèr incubuerit, non minus profecerit pietate, & modeſtia morum. Præuentus enim erat in benedictonibus dulcedinis, animam bonam ſortitus eſt, & educatio do- (Pſal. 20.)

me-

mestica, simul cum gratia Dei sic in eo maturarunt iudicium, vt ipse sibi in tenera illa ætate sufficiens magister morum videretur.

Ante annos animum gerens curamque virilem.

CAPVT III.

Thuribij pueri mira prudentia. perfectæ vitæ proposita constanter seruata. Sanctitatis, & sapientiæ progressus.

NEc ea spes fefellit parentes: nam quod Thuribius Vallisoleti a censoria Senatorij Patris seueritate procul abesset, id ad licentiam sibi minimè sumpsit prudentissimus puer, sed deesse Patris ferulam, non prodesse, qua non benè vteretur, libertatem considerans, Deum sibi in Patrem, ac Deiparam in matrem elegit: Nouumque virtutis stimulum, licentiæque frœnum adhibuit idipsum, quod mireris, quo adolescentes multi nobiles eadem libertate donati, omnia sibi licere putant, insolescere solent, & in cogitationibus suis euanescunt: quando isti generis nobilitatem in superbiæ fomentum, ille in humilitatis incitamentum: isti Academicæ vitæ promiscuam societatem in vitiorum scholas, ille in omni generæ virtutis conquirendæ recessum: isti litterarum, si quem faciunt, profectum in opum, dignitatumque mundanarum instrumenta, ille in innocentissimæ vitæ apparatum,

tum, ac diuini numinis cultum, & æternæ felicitatis patrimonium conuerteret.

Thuribius enim ſuæ ſtirpis nobilitatem altè contemplatus, hoc id effecit in ipſo, (quod vtinam plures imitarentur,) vt fortitèr apprehenderet, indignum omninò, ac turpiſſimum eſſe, ſi nobili genere dignum ſe non exhiberet. Vndè primam totius vitæ benè degendæ regulam deprompſit, in omnibus ſeruare decorum, & nihil admittere quod ſui ſanguinis nobilitatem non deceret, vel quo ipſe degeneris vllius affectus, vel actionis, vllo vnquam loco, vel tempore redargui poſſet: per quod maiorum ſplendorem præ ſe ſemper ferendo, ampliorem deinceps toti generi gloriam comparauit, ſeſeque Deo pergratum, hominibus amabilem, & ſuſpiciendum præſtitit.

Quod Academicus eſſet, hoc ſapientiæ ſectatorem, & virtutis alumnum interpretabatur, ſeque vt pullum aquilinum illicò abijciendum, ſi altricis luminis fulgorem, vel palpitante ſemel pupilla refugeret. Cumque intelligeret ſapientiam, ad quam auidè anhelabat, in maleuolam animam non introire, neque habitare in corpore ſubdito peccatis, hinc ſecundum concepit comparandæ virtutis propoſitum, conſcientiam ſemper incontaminatam ſeruare, nec Academicas libertates, & priuilegia ſcholarium in criminum licentiam ſumere; omninò ratus, nunquam ſe magìs liberum fore, quam ſi legibus nihil plectendum deberet.

Sap. 1.

Finem

Finem quoque ſuorum ſtudiorum perpendens Eccleſiaſticum ſtatum eſſe, qui abſque religione, & pietate in Deum conſiſtere non poteſt, tertio loco ſtatuit, omnem ſuam cogitationem, actionemque in Dei cultum, ampliorémque eius gloriam referre. Mirum ſanè, nec niſi peculiari Sancti Spiritus magiſterio fieri potuit, vt adoleſcentulus tantillæ ætatis, perfectæ apud Deum, atque homines degendæ vitæ rationes tribus apicibus complecteretur. Ex quibus tanquam non Delphici Appollinis fallaci tripode, ſed æternæ Triadis arcano pectore perpetua, certiſſimaque in omni occaſione ſectandorum, vitandorumque omnium oracula per totam vitam promptè depromeret. An Patris dignitatem, & imaginem animabus noſtris inditam decerent? an ex filij ſapientia, & ſacratiſſimis legibus licerent? An Deo ritè colendo, ſpiritu ſancto ducente, conducerent? alioquin reſpuenda.

Innocens anima terra quidem bona eſt, ſed tamen ocioſa, ſibique ſoli vtilis, ſi pœnitentiæ, religionis, reliquarumque virtutum fructus non proferat. Neque ſic quidem omne tulit punctum, ſi alijs per iuſtitiæ, & miſericordiæ opera non profit, docente Apoſtolo, oportere nos prouidere bona, Rom. 12. non tantum coram Deo, ſed etiam coram hominibus: & multa nobis licere, quæ operari non expedit. 1. Cor. 6. Quæ omnia tam cautè, & conſtantèr per omnem vitam ſuam ſeruauit Mogrouejus, vt reliqua hiſtoria demonſtrabit, ac teſtes è iuris norma

ad Sacramentum adacti, ijque viri graues, & docti, ætate prouecti, & in dignitatibus constituti, ex intima ipsorum, diuturnaque cum Beato viro consuetudine, sanctè affirment, se iudicare, ipsum baptismalis innocentiæ candorem nulla vnquam lethalis culpæ labe contaminasse: Quamquam enim homo existeret, supra hominem tamen viuendo conuersatus est: vt Chrisostomus de Iobo pronunciauit.

Homil. 1. in Iob.

Quæ quàm aptè, quàm apertè in Thuribium conueniant non facilè negabit, qui ipsius vitam attentè considerauerit, eamque cum illis contulerit, quæ inter Iobi laudes diuino testimonio referuntur, quæque in ea commentati sunt Sancti Patres Ecclesiæ Catholicæ.

Hæc vitæ benè, beatèque viuendæ vota in Thuribio semper acuebat ingenuus innatusque pudor, præclarum ornamentum omnis ætatis, & Senecæ sententia, bonum in adolescente signum, verecundia: quæ ideò hominibus data est, vt erubescant, indigna suo genere, vel vitæ ratione patrare; vel a Deo cum indita libertate creatos, diaboli mancipia peccatis, vitijsque fieri: vile quidpiam, turpe, vel inhonestum admittere: ignauiam, segnitiem, socordiam, ociositatem non detestari; quibus Christi militiam, & ardua virtutum certamina, quæ Thuribius animo versabat, nihil magis labefactare solet: simulationem, falsitatem, & mendacia sequi, quæ pulcherrimam naturæ

Epist. 11. ad Lucil.

turæ

turæ partem dehoneſtant, & ſocietatem humanam, Chriſtianamque charitatem, & amicitiam, ad vſum vitæ maximè neceſſariam,corrumpunt.

Has ergò,atque huiuſmodi cæteras maculas decoris, ac peſtes innocentiæ, & honeſtatis ſic in ſe cauebat Mogrouejus; vt etiam in alijs non abſque rubore, & animi auerſione conſpiceret: adeò compoſitus, adeò in omnibus ſerius, adeò cautus, & ſibi vbique præſens, vt ſaltu quodam, intactis adoleſcentiæ ſcopulis, ex puero repente maturus vir factus videretur. Non ipſum diſtrahebant coætaneorum ludi; non delectabant ioca, fabulæ, vel ocioſę obambulationes, non veſtium curioſa nouitas, quibus, etſi pro conditione decentibus, & mundis; ſed ſemper modeſtis vtebatur. Et quantum è ſodalium conſortio boni, maliuè contrahi ſoleat, probè cognoſcens, non alebat amicitias, ex quibus & modeſtiæ morum, & pietatis animi, litterarumque profectus adiumenta ſe conſequuturum non intelligeret. Si quando in alios incidiſſet, ex quorum vel actionis leuitate, vel inconſiderantia ſermonis minimum periculi ſuo candori, vel æſtimationi metuebat, ſi minores eſſent, hos blandè commonebat, ſi maiores, aut quibus alioquin monendis, pro ętate, & modeſtia inidoneum ſe exiſtimaſſet, eos arrepta occaſione, quæ neminem offendere poſſet,citiùs deuitabat.

Ne leui ſaltem maculare vitam
Famine poſſet.

Indolebant his adolescentes quidam Beati Thuribij condiscipuli, sed à candidissimis ipsius moribus alieni, &, vt solatium est miseris socios habere penates, nec sustinere valent, vt vel per abstinentiam vitiorum in alio conspectam, ipsorum licentia, cum illa collata, redargui queat; sic illi impudentiæ suæ patrocinium fore putantes, si Mogrouejum ad castra sua quoquo modo trahere possent, conduxerunt puellam forma speciosam, sed moribus lasciuam, quam sancti adolescentis castissimum pectus turpi lenocinio expugnaturam sibi persuaserunt, sed frustrà: nam in cubiculum immissa putidula, non citiùs a Thuribio conspecta fuit, quàm ille, si vnquàm, tunc maximè, & quidem tempestiuè iratus, asperrimis verbis, arreptoque baculo verbera minitans, inuerecundam illicò fugauit, summa ipsius fœminæ & intentati sceleris authorum confusione: tunc diuinæ monitionis efficaciam expertus: Resistite diabolo, & fugiet a vobis. De quo hoc modo triumphans Dei seruus animo constituit, nunquam deinceps admittere, vt fœmina eum noctu, vel vnquam sola conueniret, vel manus osculandi, vel cuiusuis necessitatis prætextu contingeret, idque etiam in sorore & neptibus obseruabat.

Iaco. 4.

Quæ res tantam ipsi venerationem ab omnibus conciliauit, vt presente Mogrouejo nemo tandem auderet ea dicere, vel facere, quę ipsius modestię regulas excedere suspicarentur, vel candidam eius

fron-

frontem rubore aliquo suffundere pertimescerent; vt, dum ipse tam iuvenis ab alijs discere debere censeri posset, ipsius potiùs conuersatio, vel sola pręsentia (quantum valet exemplum) omnibus socijs & condiscipulis vtili, efficacissimoque morum compositionis, & studiorum sedulitatis magisterio fuerit.

In litterarijs etiam exercitijs nemo solertior ipso; nemo diligentior: inire rationes studiorum, attendere ex animo: præfecto domestico, & scholaribus magistris obtemperare, docentes audire, monentes ferre, pensa ab eis imposita assiduè meditari, cum alijs conferre, & promptus reddere, in officio esse, nihil pretermittere eorum, quę studiosis pręscribebant, siuè ad doctrinam, siuè ad mores pertinuissent.

CAPVT IV.

Perpetuum orationis studium. miraculosa manus curatio.

Didicit B. adolescens sapientiam à Deo postulandam esse, & ingenium, industriamque humanam sine rore gratię diuinę nil ad christianę virtutis profectum valere: proindè, quanquam in gymnasio, musęoque assiduus, sed in templo frequentior erat, nec alias calcabat vias, quàm quę ad has pietatis, & sapientię scholas ducebant. Sa-

lutaris pœnitentię, & ſanctiſſimę Communionis ſacramentorum vſum iam familiarem habuit. Miſſę ſacrificio, cęteriſque diuinis officijs, ea mentis attentione, & compoſitione corporis, feruoreque ſpiritus aſſiſtebat, vt exemplo ſuo alios accenderet. Tunc equidem, quod tenerę, Deoque deditę adoleſcentum ſolent mentes, eum cœpiſſe exiſtimo, diebus ſingulis ex libro recitare officium Beatiſſimæ Dei Matris Marię, officium defunctorum, ſeptem pſalmos pœnitentiales, & quindecim graduales, cum officijs minoribus ſantiſſimę Crucis, & Spiritus Sancti; quę a ſe, poſt primum diem, quo cœperat, nunquam deinceps intermiſſa fuiſſe, poſtmodum ſenex affirmauit: quo neptes ſuas, aliaſque ſorores Monaſterij Limani ſanctiſſimę Incarnationis ad ſimile ſacrarum precum ſtudium, perſeuerantiamque moueret: Nec tamen eo minus quidpiam temporis ad ſtudia, vel officiorum, aut curę paſtoralis occupationes ſibi ſuppetijſſe. Sic oratio in Deum directa alijs bonis operibus tantum abeſt vt detrahat, vt potius ea veluti pennis eleuata, facilius, feliciuſque ad omnem ipſorum perfectionem, & optatum effectum, non tam currant, quam volent. Quinimo Ioannes Chryſoſtomus cunctis manifeſtum arbitratur, quod ſimplicitèr impoſſibile ſit, abſque orationis pręſidio cum virtute degere, cumque hac huius vitę curſum peragere. & alibi: Is nouit recte viuere qui nouit recte orare.

Lib. 1. de orando Deum.

Idem in 1. Corint. 4.

Iſta

Iſta ſic Thuribij animo inhęſerunt, vt maiorem vitę partèm in ſacris precibus, ac diuinarum rerum contemplatione conſumpſerit. Continuum in omni ętate, diligens, zeloſum, ordinarium eius orandi ſtudium oculati teſtes in actis iurati celebrant; ineoque conueniunt, quod Didacus a Cordoua, Franciſcanę Religionis vir doctus, cui pręter libros quos ipſe ſcripſit, Apoſtolici Notarij authoritas, qua fungebatur, ampliorem vindicat fidem, de Thuribio inter alia litteris conſignatum reliquit. In officina (inquiens) orationis virtutes ſuas probabat, cui nunquam defuit, vt nec ſtatis precibus, quas votiua conſuetudine recitabat, inter tot occupationes, & itinera: imo profectiones ipſę perpetua illi oratio fiebant, dum quidquid in illis occurrebat, hoc ipſe in orationis argumentum verteret. In omni vita, omnique negotio manifeſtum erat, ipſum ne hilum quidem a diuini vultus pręſentia diſtractum fuiſſe. Sic ille in authographo Hiſpano, quod alij, vt fortè ſignificantiùs eloquerentur, alijs verbis latinè verterunt.

In ſtatas preces maiorem diei partem, & integras ferè noctes impendebat: nec alius plerumque ex ore eius, quam diuinę laudis, vel de rebus diuinis ſermo ſonabat. Communis, eius & ordinaria ſalutatio fuit: *Alabado ſea el ſeñor*, hoc eſt, laudetur Dominus: ſumma humilitate, ac demiſſis oculis, alacri tamen animo, fronte ſerena, hilari vultu, & quandoque ſplendente a conſortio ſer-

monis

monis Domini, qui intuentes ſummopere recreabat, & eorum etiam animos componebat. In domeſtico receſſu nunquam non intentus vel orationi, vel ſacrorum codicum lectioni deprehenſus eſt, quo vel ipſe cum Domino, vel Dominus cum ipſo iugiter loquebatur. Quidquid agebat, vel cogitabat, etiam in turba, & mole negotiorum, ità perpetuò in Deum referebat, vt tota ipſius vita continua oratio fuerit; adeò in hoc exercitio familiaritèr verſatus, vt Deum ſemper pręſentem cernere videretur.

Quanquam ſanctos omnes inſigni pietate colore conſueuerit, pręſertim S. Ioannem Euangeliſtam, Eccleſię ſuę Limenſis tutelarem, S. Thuribium Aſtoricenſem in Hiſpanijs Epiſcopum, cuius nomen gerebat, Sanctos Patriarchas, Auguſtinum, Dominicum, & Franciſcum, in quorum omnium trium religioſis veſtibus, ſub apparatu Pontificio, ſepeliri voluit; ſingulariſſim a tamen eius religio in Sanctiſſimum Euchariſtię Sacramentum, & immaculatam Dei Matrem Mariam prę cęteris ferebatur. Quibus quantum obſequij grandior pręſtitiſſet, poſteriùs dicendum erit: quantum adoleſcens placuiſſet, in hac ipſa Academia valliſoletana viſum fuit.

In ſiniſtra eius manu natum eſt enorme tuberculum, quod ad pomi communis magnitudinem excreſcebat, in quo tollendo cùm incaſſum iret opera Medicorum, afflictus Thuribius, non tam

defor-

deformitate manus, quam, quòd hæc ipſa cauſa quandòque foret, vt ſacris ordinibus initiari non concederetur, ad Chriſtum in ara præſentem, & miſericordiæ matrem è Cælis aduocatam recurrit. Eſt vallıſoleti Deiparæ virginis icon crebris miraculis clariſſima, quam à ſacrario vocant, quamque pius adoleſcens Thuribius frequentèr, feruentèrque colebat. Sacrificium, inuocata virgine, Deo pro ſe fieri iuſſit: interfuit ipſe deuotione peculiari, &, præmiſſa piaculorum humili confeſſione, ſacram Euchariſtiam, ſumma recuperandæ ſanitatis fiducia, reuerentèr ſumpſit. Intereà verò dum ſacerdos rem diuinam faceret, ille tuberculum ſignaculo Sanctæ Crucis frequentèr ſignare, & votum ſuum deiparæ feruentèr commendare, tuber paulatim detumeſcere, & euacuato pure reſolui; finito demùm ſacrificio penitùs euanuit, & manus priſtinæ ſanitati, & formæ integrè reſtituta fuit; vt nemo ambigeret, rem piè quæſitam, & repentè conceſſam deiparæ virginis, & ſacrificij miraculo tribuere, Thuribij fide, & in matrem, filiumque deuotione, meritiſque digno.

Hæc adoleſcentulus conſeruando decori, diuinoque numini ritè colendo ſic exercebat Mogrouejus, vt eorum exercitatione, perpetuoque vſu non facilia tantum, ſed ad voluptatem quoque illi reddita ſint, & per totam vitam cum ætate, & oneribus dignitatum creſcerent magis, quam vt iſtis minuerentur. Honeres in Mogrouejo non mu-

tabant mores, diuitiæ si affluebant, non apponebat cor; sed illis, vt metheoris bonus agricola, vtebatur sole, ventis, pluuia: authoritatem omnem suam, & fortunas in animæ suæ cultum, & cæterorum sibi commissorum salutem conuertebat.

CAPVT V.

Cura puritatis conscientiæ. Externorum sensuum mortificatio.

VT conscientiam suam sartam, tectamque seruaret, hostem domesticum imprimis, qui militat aduersus animam, pubescente mox ætate in se irruiturum præuenire satiùs existimauit, quàm inopinato aggressu dormientem se, ac imparatum opprimi. Et, quod prudentissimi bellatores consueuerunt, proprias segetes in herba demoliri, quàm duplicato damno, & patriam, & pabulum inimico tradere. Solent etiam vias omnes occludere, ne hosti venturo pateat aditus. Nunc autem patriam nostram regnum dei censemus, quod intrà nos est: ac dùm hic à Cælo peregrinamur, cœlestis conuersatio, quæ in conscientię puritate maximè consistit. Sathanæ hostis pabulum, quo plurimùm nutritur, ipsa caro nostra, & carnalis animæ desideria. Viæ per quas in hanc segetem ingreditur, quinque sensus corporis, quos S. Gregorius vocat fenestras, per quas hostes irrumpunt.

Greg. in cap. 31. Iob.

punt. Hæc igitur omnia vt sibi fida redderet, & in officio contineret, seriò, & seuerè dùm viueret, incubuit, & inuigilauit Mogrouejus, omnium sensuum obiecta, quæ oblectationi, & voluptati tantum inseruirent, a se procul faciendo.

Oculis erat modestissimis, & demissis, nec eos in fœminæ faciem, vel alia curiositatis, aut vanitatis obiecta vnquàm eleuauit, aut fixit. Nèc id solum adolescens, vel iuuenis, aut in se solo, sed etiam Archiepiscopus, & senex obseruabat, & à suis obseruari curabat: Si quandò in platea, vel foro ludicrum aliquod, aut profanum spectaculum cum concursu fieret, ille domus suæ fenestras occludi iubebat, prohibebatque familiæ, nè quisquam per eas prospicere permitteretur. In primo Concilio Prouinciali quod Limæ celebrauit, inter alia decreuit, vt, quo tempore ab Ecclesia supplicationes publicæ fiunt, nulla fœminarum cooperto vultu, vel vias publicas inambulet, vel ex fenestris prospiciat; & vt supplicantes viri sacrorum ministros præcedant, mulieres, iuxtà Prophetã, seorsùm sequantur, nè leuitate fœminea à cultu Dei populum auocent: sic non suorum tantùm, sed populi quoque sibi commissi oculorum custodiæ prospiciens, vt illos auerterent, ne videant vanitatem, sed piè procedentes, in via Dei viuificarentur.

Zachar. 12.

Psal. 118.

Quod auditum attinet, adeò notum & celebre fuit, eum ab ipsa pueritia, verba quæcumque vana, quæcumque adulatoria, quæcumque immo-

desta, incomposita, inconsiderata, quæcumque bonos mores corrumpere, vel Deum aut proximum offendere possent, sic animo sempèr abhorruisse, vt eo præsente nemo iam talia proferre non vereretur. Nec ipse musicis instrumentis, aut alio cantu, quàm quæ Dei laudem personarent, oblectabatur.

Odoratus, oblectamenta sic abigebat, vt pastilli, vel thuris fumum, nisi cum in templo ad colendum numen incenderentur, sustinere non vellet. Odorarias aquas, aut pulueres cibis eius, vel vestibus inspergi prophanum, & fœmineum censebat, nihil puro aëre suauius, aut virorum naribus conuenientius esse existimans, vel spiraculum illud folijs, floribus, vel fructibus à simplici natura sine fuco inditum, quod ille tamen vltrò vix vnquàm attrahebat. Accidit aliquandò, vt parochorum quispiam, apud quem in visitatione prouinciæ prandebat Archiepiscopus, odoratam aquã eius manibus post mensam abluendis infuderit. Quod cum ille sentijsset; caue, inquit, nè hoc vnquàm deincèps mihi feceris, si me tibi iratum non cupias: & accepta pelui aquæ fluminis, manus suas odore illo diligentiùs, quàm ciborum, quos leuissimè tetigit, reliquijs abluit: hæc, inquiens, aqua melior est, quam Deus ad hominum vsum, absque odore, sapore, colore creauit; alteram illam homines ipsi ad morborum remedia inuenerunt, sanorum voluptati ciendæ non adhibendam.

Gu-

Gustum sic delitijs, & conditis saporibus dissueuit, vt, quod in pueris rarum est, etiam in illa ætate, ac semper deinceps bellaria, & cupedia omnia, & quæcumque gulam irritant, vel palato placent, præ felle, & absynthio detestaretur. Auiculas, oua, crustulas, butyrum, lactaria, vel delicata vlla, aut alia cibaria ad saporem condita nunquàm comedebat. Si quæ apponebantur, vel nimio sale, vel cinere, quem in cartula ad hunc vsum in pera portabat, occultè inficiebat, vel ieiunij religionem causatus gustare nolebat, vel Indis, fortè fortuna tunc accedentibus comedenda porrigebat. Monebat eos, apud quos iure visitationis refici debebat, nè lautum quid apponerent.

Eorum vnus quidam Archiepiscopi itineribus, & à prolixis functionibus fatigationi ex animo compassus, pulmentum illi lacte conditum parauit: quod cùm ille suspicaretur, patellam amouit; & quanquàm affirmante presbytero, non caprinum lac, sed succum amygdalarum esse; id tamen attingere non voluit, nè vel sapore quidem oblectaret palatum. Similem cibum domi suæ in mensa oblatum, cùm leuitèr degustasset, insipidum simulans, vt salem inspergere videretur, totam salinam infudit; heù me peccatorem, inquiens, condire cibos nescio, coquinam exercere non didici: Et pio hoc dolo se, nè comederet, excusauit, quanquàm vtrobique sexagenario maior, laboribus

fra-

fractus, & perpetuæ abstinentiæ inedia extenuatus.

Cibus illi ordinarius erant carnes bubulæ, vel veruecinæ in aqua elixæ, nullis aromatibus vel alijs saporibus, præter salem, conditæ: vel, diebus præcepti seu votiui ieiunij, olera, legumina, cruda cæpa, vel piscis salsus: aut, si quandòque recens, adeò tamen vili genere, & mole pusillus, vt eiusmodi genus comedere, domus eius mancipia refugerent, sola etiam salis, & aquæ paratura conditus. Nèc nisi ex vno solo ferculo prandere solebat, ciborum varietatem suo stomacho nocere causatus; nèc illud ipsum quamtùmuis exiguum vnquàm euacuabat. Si guttulam quampiam pinguedinis in disco detegebat, butyrum suspicatus, non tangebat cibum, crudis tùnc herbis, vel crudo pomo, vel cæpa contentus:

Mensam tamèn domi suæ sempèr habebat pro dignitate copiosam, sed quidquid lautum, quidquid sapidum, quidquid succosum, quidquid exquisitum, vel pretiosum, quidquid arte paratum esset, omnia huiusmodi ad aliorum assidentium tractationem, non ad suum palatum, vel superfluum corporis nutrimentum apponi solere dicebat. Si quisquam laudasset cibum, vt illi comedendum suaderet; æquè, aiebat, tibi bonus est, accipe quæso, & manduca. Mensam suam in aula patula semper parari volebat, nec accessum, interìm, dùm assideretur, aduenæ cuipiam impediri, & accedentibus

tibus pauperibus Indis, quos vt filios diligebat, meliores missus, vel honoris, vel eleemosynæ specie propria manu donabat: vtque quod sibi futurum timebat oneri, subtraheret voluptati.

Extrà domum suam, vel statutum itinerantis hospitium prandere, vel conuiuari nunquàm voluit, quanquam à Cœnobiorum Prælatis, & Ecclesiasticis viris in dignitate constitutis, etiam Episcopis, à Proregibus itidem, & Prouinciarum Præfectis persæpè, & instantissimè rogatus; nè abstinentiæ rigorem in minimo remittere; vel sapidum aliquid extremis labijs delibare cogeretur.

CAPVT VI.

Tactus continentia, & varia corporis castigatio.

ACrior erat, & perpetua pugna cum sensu tactus, qui toto corpore fusus, & periculo propior est. Nam S. Franciscus, teste Bonauentura, experientia certa didicit, dæmones asperitate terreri: deliciosis autem, & mollibus ad tentandum fortiùs animari. Thuribius ergò, vt portam hanc hosti occluderet, ordinariam vestem cuti proximam ex pertusis ferri laminis corpori suo adaptauit, cuius acumina retorta carnem eius assiduè pungebant: supra hoc cilicium honestatis causa, magis, vt id occultaretur, quàm, vt carni delicium,

Bonau in vit. S. Franc.

aut

aut fomentum foret, album indusium: thorax desuper lineus, simplex, & leuis, femoralia lanea panni communis, trita quandòque, & lacera, tibialia paritèr lanea. Interiora hæc talari toga eiusdem materiæ, & pro occasione superpelliceo, mantello breui, & mozzetta superinduebat. Nec alijs vtebatur, nisi cùm solemnis aliqua Pontificalis functio in templo subeunda fuisset, pro cuius ampliori decore omnia mutabat.

Erat enim Thuribius, vt priuati sui ornatus incurius, ità Pontificiæ dignitatis, & decentiæ præ multis studiosus: tùnc ergò veste interiori rasi serici vtebatur, & tibialibus è serico filo acu textis, exteriores autem omnes serici leuioris induebat. Chirotecas manibus extra hæc Pontificalia munia nunquam adhibuit. Cilicium autem ordinarium, nè functionis libertatem impedire posset, non tàm deponebat, quàm in aliud, ipsius opinione, minus molestum commutabat; hoc est, in planum thoracem, è calybe ex industria confectum, licet carnem non vndequaque pungeret, latera tamen arctè stringebat, & pondere suo humeros grauitèr premebat; nè vnquam deesset, quo crucis mortificationem iugitèr in suo corpore pro Christi nominis honore portaret: Nec reliquo die hunc deponebat, priusquàm sub medium secutæ noctis ordinarium, cilicium resumpturus, ad secretius cubile, amotis testibus secedebat.

Restabant tùm noctis quatuor, aut quinque horæ

ræ: nam in Peruuia æquinoctium ferè perpetuum est. At eas non quieti, vel somno dabat Christi vigil Mogrouejus, sed orationi, & crudis prolixisque sui corporis flagellationibus: quas tùm ingeminare notatus est, cùm afflictionem aliquam, aut iniuriam ab alijs passus fuisset; vt, qui id scirent, tunc ipsum pro inimicorum peccatis eiusmodi cruciatum Deo offerre non dubitarent. Ordinariæ verò flagellationi sabbata omnia, & ferias, in quibus ieiunabat, festa item solemnia, horumque peruigilia, & multas prætereà occasiones consecrabat; tam abundanti sanguinis effusione, vt domi deindè in secreto cubiculo, peregrè autem in syluarum & montium recessibus conspicua eius vestigia cernerentur; ea carnis laniena, vt curandis scapulis medicas manus adhibere nonnunquàm oportuerit. Sed Thuribius Chirurgum sacramento stringebat, nè rem vlli detegeret. Tàm fortitèr sustinebat curam, vt cùm aliquæ particulæ carnis abscindendæ forent, nè minimum signum doloris, vel impatientiæ præ se ferret, id solum inculcans, nè quispiam, præsertìm soror eius Grimanesa resciret, quid apud ipsum ageret Chirurgus.

Nequè à periculis tactus sibi soli, sed alijs etiam ità cauebat hic sanctus Præsul, vt manus suas fœminis osculandas nunquàm præbere voluerit. Accidit semèl vt nobilis, & grauis matrona, in medicis rebus perita, vlceratam Antistitis manum videre voluerit, adhibuit ille videndam; at cùm ista

etiam tangere tentaret, is ea re valdè perterritus, manum retraxit, & fugientis instàr è loco recessit, intereà mussitans: Hèm fœmina manum meam sibi porrigi voluit: id ego non patiar, nec vlla me hactenùs mulier tetigit, nèc tanget vnquàm dùm vixero.

Ridiculum fortassis mundanis mentibus videbitur, sed purissimæ mentis castimoniam contemplantibus venerandũ, sanctumque, quod sequitur. In valle quadam, non procùl Ica; Confirmationis sacramentum Archiepiscopus, & ætate senex ministraturus erat. Conueniebat ex agris copiosus vtriusque sexus paruulorum numerus: Quos vt ille aluei magnitudine impediri cerneret, nèc vadum tutò tentari, eos in suorũ iumentis ponè tolli iussit, ipseque cæteris exemplo præiuit, sex circitèr annos natum suæ mulæ tergo suscipiens. Iam in medium vadum venerat, cum puerum putans, nomenque sciscitatus, Mariam se paruula vocabat: tùm ille ad fœminei nominis, vocisque sonum expallescens, pedem indè non citiùs mouit, quàm aduocati famuli amotæ puellæ loco puerum collocassent: adeò pudicitiæ, modestiæque suæ mundissimus eius animus ab omni, vel exigua occasione pertimebat.

Carni humanæ, lassæ præsertìm, ac debili nihil suauius, placidiusque contingere potest, quàm quies & otium aliquod; quorum tamèn alterum patiendi meritum, alterum faciendi fructum, animæ

mæ ſuffuratur : alijs intereà vitijs, quæ ex ocio deſidiaque naſcuntur, inſoleſcit, & blandè ſibi beata videtur, cùm ad infelicitatis huius culmen peruenerit; ac tunc maximè mortua eſt, cùm ſe commodiſſimè viuere ſomniat. Sed horum damnorum impatiens Thuribius, qui Chriſtianum æſtimabat agere & pati, nullam requiem ſuo corpori concedebat. Nunquàm domi ſedere viſus eſt, niſi ad menſam, vel vbi aduentantium qualitas conſidendum poſtularet. Negotia cæteroquì omnia curæ paſtoralis in pedibus conſiſtens expediebat. Quod quàm eſſet moleſtum debili, & inedia conſumpto corpori, & aculeatis vinculis conſtricto, nemo non facilè capit.

Ne vllam diei horam ſine negotio tranſiret, curabat aulæ ſuæ ianuas, etiam cùm ad menſam, quod dixi, comederet, accedentibus quibuſuis patere, nullam excludi perſonarum conditionem, hilari vultu omnes excipere, patientèr audire, & promptè cum omnium ſumma ædificatione, ſatiſfactione, & ſolatio expedire. Non rarò ſolus ipſe in exteriori aula, nigra toga indutus expectabat ſupplices, tàm ſimplici cultu, vt illum, tanquàm aliquem domus miniſtrum, plures interrogarent, an Archiepiſcopus domi eſſet? an eidem loqui liceret? quos ipſe paucis verbis eodem loci, & conceſſa omni iuſta, & honeſta petitione, ſtatìm lætos dimittebat. Solus Diabolus eum nunquàm inuenit ociosum, cùm obſequio Dei perficiendo, & homi-

nibus ad exonerandam conſcientiam , pro officij ratione audiendis, tempus ei numquàm deeſſe videretur. Ore ſæpè dicebat, & opere ſempèr obſeruabat ; tempus noſtrum non eſſe, ſed Dei, qui ſtrictam eius exiget rationem . Indè , vt momentum eius, vel negligeret ipſe, vel non vtilitèr collocaret, piaculum exiſtimabat, vel ſuprà ſui cuſtodiam vigil, vel in Deum feruentèr intentus, vel circà proximorum ſalutem ſolicitus, ſemper exhibens ſemetipſum ſicut Dei miniſtrum, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs .

Quantum corporis incommodi in prouinciæ luſtratione, ab itinerum aſperitate, quæ ſæpe ad loca alijs inacceſſa, & inter baiulos onuſtus agebat: quantum ab aëris intemperie caloris , & frigoris, in vallibus, campis, & montibus, aliquandò ſinè tecto, ſinè lecto, ſinè cibo poſt longum iter diei pernoctans, per multos continuos annos paſſus fuerit, alius erit ampliùs enarrandi locus. Quodcumquè facere poterat manus eius, adeò inſtantèr operabatur: ſomni, cibi, potus, & quietis tàm parcus; vt qui eum nouerant, tàm ingentes, perpetuoſque labores, tantamque corporis afflictionem ſinè ea vitæ ſuſtentatione, quam natura alioquìn exigere videbatur, perpetuo ſupra naturæ vires miraculo tribuere minimè dubitarent.

CA-

CAPVT VII.

Cibi, somnique perpetua parcitas. Ieiuniorum frequentia.

QVis nùnc humanum corpus, tot laboribus fatigatum, cibo reficiendum non crederet? post viginti circitèr continuas horas, orandi, legendi, operandi, absquè sessione, vel cubatione, sempèr vel pedibus, vel genibus innixum: à quarta enìm hora post mediam noctem, vsque ad alterius noctis medium in his indesinentèr versabatur hic seruus Dei; nèc interdiù quiescere, aut somnum capare visus est. Audita media noctis hora, detracta in exteriori aula per cubicularium toga, interioribus integrè vestitus (sinè quibus nunquàm se, vlli, quantumlibet familiari, sanus conspiciendum præbuit) intrabat secretius cubile, & ostium interiùs, obducto pesulo claudebat. Sed nè vel tùnc somnus obreperet, nullum ei fomentum concedebat. Vesperi frequentiùs nihil alimenti sumere, vel si aliorum rogatus, vel casus aliquis sumendum suaderet, tota cœna; etiam nullius ieiunij diebus, etiam festiuis, frustulum sicci panis, & breuis aquæ frigidæ haustus erat, quæ cerebrum nullis vaporibus somno digirendis opplerent. Nec post pueritiam alitèr vnquàm cœnauit.

Prandebat autèm tantùm, vt vix viueret, vnico,

co, eoque exiguo ferculo, finè omni condimento contentus, vt paulò priùs explicaui; quod prætensa causa, vel ieiunio contraria, vel alia ex ijs quæ diximus, non raró integrum amouebat, certè non absumebat vnquàm. Extrà statas ordinariæ refectionis horas bibere, etiam aquam fluminis, Thuribius, in alijs necessitati, in se autem intemperantiæ tribueret; sicut prandij horam, vel momento præuenire. Antiqui Canonis memor, quo Clericis vetitum erat, vltrà tertiam vicem poculum tangere, nunquàm pluries in prandio gustabat liquorem. Et quanquàm doctissimus, idemque temperatissimus Prosper Fagnanus canonem discretè interpretandum doceat. Thuribius tamèn maluit plus legibus credere, quàm debere. Vsui suo factum habebat cyatum vitreum communis mensuræ, tribus sinubus distinctum: huic semèl infundebat modicum vini, sed aqua plusculâ dillutum; & seruus Dei tèr indè, hoc est, ex vno quoquè angulo semèl, non hauriendo, sed sorbendo, in sanctissimæ Trinitatis nomine tantum bibebat, quantum alteri ad simplicem haustum non sufficeret. Quidquid alimenti per viginti quatuor diei horas sumere solebat, octo cibi, potusque simùl vncias non excedebat; vt perpetuo potius miraculo, quàm naturali nutrimento vitam in tantis laboribus tolerare censeretur.

Cap. Quandò Presbyter dist. 44.

In cap. crapula. de vit. & honest. Clericorum.

Præter communia Chistianis præcepta ieiunia, ille Dominici Aduentus dies, totiusque anni ferias

rias quartas, ſextas, & ſabbatinas, etſi libera deuotione, ſed canonica ſeueritate ieiunabat: & hebdomadæ ſanctæ dies omnes, & multos alios per annum in ſolo pane, & aqua; Sed feria ſexta Paraſceues nè aquam quidem delibabat. Biennio circitèr antè mortem in progreſſu viſitationis prouinciæ, ſacræ Paraſceues officia ſolemnitèr celebrauit in oppido Guaras: ſed hoſpiti ſuo ſacerdoti præcepit, nè ignem eo die domi accenderet ad cibum, vel ipſi Archiepiſcopo, vel familiæ parandum. Et vt ſolebat ipſe, quo per viam liberiùs oraret, vel ſe flagris in dumo cæderet, ſocios itineris pręcedere ſolus, vel poſt eos longiuſculè ſequi, ſic tùnc ieiunus, vt erat, relictis, qui ſequerentur cæteris, iter incomitatus arripuit verſus oppidum Caruas. Quod cùm aduerteret Præſes diſtrictus, dictus Mariduenãs, honoris cauſa Præſulem comitatus eſt. Vbi ad intercurrens flumen ventum eſſet, hic, inquit Antiſtes, commodum, vt comedamus, panis in ſarcina eſt: non quod comedere vellet, ſed vt indicaret illius diei ſanctitati magìs conuenire, panem ad vndam frangere; quàm Epiſcopum in Presbyteri ædibus epulari. Nam cùm Pręſes panem ab eo benedicendum, diuidendumque crederet, Thuribius integrum in fluuium dimiſit; me peccatorem, inquiens, panis in aqùam cecidit. quid ni? vt moneret nos Deus, hodie comedendum non eſſe. Et ità etiàm veſperi nihil penitùs guſtare voluit.

Se-

Sequenti die Sabbato Sancto, in diuinis officijs, in conferendis ordinibus, a summo manè ad secundam à meridie horam occupato tantùm tùnc abfuit cogitatio prandij, vt statim Indis prædicare cœperit, & sermonem in plures horas produxerit: sub quo, duo ipsius comites ab vtriusque diei ventris inanitate, & laboribus, animi deliquium passi sunt. At ipse Thuribius quanquàm alioquìn ab hac inedia, ac prolixis, ferèque continuis illorum septem dierum laboribus, etiàm domi adeò exanguis, extenuatus, ac debilis esse soleret, ac si febre vel graui alio morbo recentèr liberatus esset: hac tamen vice, adiuncta etiàm itineris quotidiani molestia, totus ardens, oculosque micans, & intèr concionandum longè, quàm aliàs, vegetior, pulchriorque cerneretur. Quod qui distantior priùs vidisset, ac vt rei veritatem certiùs exploraret, propiùs accessit, pro veritate dicenda iuratus, non dubitauerit affirmare, sibi visum Thuribium Archiepiscopum eodem tùnc igne flagrasse, qui super Apostolos de Cælo Ierosolymis descendit.

Aliàs in oratorio, quod iuxtà palatium in alto Cathedralis templi loco habuit, præ corporis inedia, & oratione per aliquot horas vltra meridiem protracta, sensibus destitutus, & in terra prostratus à quærentibus eum famulis repertus est, & omninò extinctus, ac mortuus credebatur. Sed postquàm in se redijt, nullius rogatu, suasuvè consensit, vt saccharati panis vino intincti minimum

mum

mum quid intrà os admitteret, miratus quòd in die ieiunij, vt erat, id ab eo peterent. Tàm hos, quàm cæteros totius anni ieiuniorum dies, seù votiua illa, seù præcepta forent, adcò sanctè colebat, vt quauis graui corporis ægritudine pressus, nunquàm persuaderi poterat, vt carnes, aut lacticinia gustaret; præterquàm in vltimo morbo, postquàm diebus plùs decem ieiunus decubuisset, & quarto priùsquam obierit: tunc enim districto Medicorum præcepto, aliqua carnium iuscula comedit: sed vocato priùs loci parocho, demissèque rogato, vt ieiunij dispensationem, considerato Medicorum iudicio, concedere velit.

Nunquàm cibum petere, famem, aut lassitudinem accusare, de horæ tarditate queri auditus est; tametsì non rarò à summo manè ad secundam, tertiam, quartam, quintam, sextam à meridie horam in Clericis, & Episcopis ordinandis, in consecrandis altaribus, in confirmandis Neophitis, in cæteris functionibus, & expediendis Archiepiscopalis curæ, ac tàm vastæ prouinciæ negotijs detineretur: Nàm post hæc in secretioris oratorij secessu reducem citare ad mensam oportebat: nèc nisi, vt cum Sancto Bernardo Abbate, & Antonio Vlisiponensi, quotiès sumendus esset cibus, totiès tormentum subire videretur.

Sed quoniàm dulcis est somnus operanti, siuè Eccles. 5.

uè parùm comedat, non satis Thuribio, perpetuis laboribus onustissimo, fuit, alimentum corpori, tanquàm pabulum iumento subtrahere, nè calcitraret; nisi exaggeraret onera, diurnis laboribus nocturnos ingeminando: dormitans stimulis excitaret, succumbens flagris erigeret, pigritans duris pelleret verberibus. Paucæ restabant à media nocte ad albam diei quatuor circitèr horæ: sed Thuribius persæpè in oratione Dei pernox diem diei iungebat, & nè somnum vel ipsa fatigatio adferret, ipsum propellebat plagis multis, & puncturis acuminati cilicij, molestis stationibus, nudis, & crudis genuflexionibus, strictæque vestis, ac duri cubilis incommodis profligabat.

Erat in cubiculo lectus, commodis, & ornamentis principe dignus, cum suppeditaneo tabulato vlnam circitèr amplo, ac tecto tapete: si quandò morulam dormire, naturæ necessitas, & ratio cogebant, vestitus, vt erat, & cilicio cinctus, in tabulato iacebat, supposito ceruici ligneo trunco, quem ad bireta formanda in cubiculo reperiebat. In lectum autem nunquàm ascendit, quamuìs, vt in eo decubuisse videretur, eius linteamina, strataque manibus confundere soleret, in hoc solo sincerissimè fictus, vt Sathanæ pompas, carnis illecebras, & mundi vanitates vnà deciperet. Sed cubiculariorum curiosam inspectionem fallere non potuit, qui semper munda,

da, minimè pressa, vel à membris tepescentia, nequè culcitra ipsa, vel ceruicalia ab his compressa; sed plana & frigida reperiebant, sine vero vllo, quod in eis iacuisset, corporis vestigio: præterquàm quòd in tabulato iacens, & integrè vestitus, per rimam aliquoties visus fuerit à Ludouico Quiñonio, ipsius Archiepiscopi, ex Grimanesa sorore nepote, qui in proximo cubiculo dormiebat, & curiosus aliquandò perspiciebat, posteàque doctus, pius, & grauis vir, Eques Alcantaranus, & Auditor, vt vocant, Præfecturæ Quitensis, hęc & alias nocturnas Thuribij avunculi vigilias, & pœnitentias, vt oculatus, & auritus flagellationum testis frequentèr narrabat. Præter alios plures, qui inopinatis casibus eadem, inscio Archiepiscopo, aliquotiès detexerunt.

Nèc in cognitione Prouinciæ, tametsi ab itineribus, & functionum laboribus fatigatus, alio strato vsus est; quàmuis culcitra, & alia lecti ornamenta pro dignitatis decore secum circumuehi semper, & ad speciem commodè sterni permitteret. Aurora illum iacentem nunquàm deprehendit, sed antè horam à media nocte quartam, qua in Peruuia plerùmque albescit, absquè cubicularij, vel Ephebi ministerio, extrà secretum conclaue vestitum, precibus vacantem, vel illi, qui à secretis erat, agendorum illo die, scribendorumque mandata dictantem.

 CA-

CAPVT VIII.

Explicantur affectus appetitus sensitiui ; Quantum eis dominatus Thuribius. Nostrum indè instructio.

HAc ratione Thuribius mortificabat membra sua super terram, & omnem aditum præcludebat ipsorum in animam insultibus. Nundùm tamen per hæc securum se credidit; Nascuntur enim in interiori anima, ex seminibus appetitus sensitiui, tribuli, & spinæ passionum, cùm sibi mutuò, tùm aduersus rationem pugnantes: quæ si propagare ramos, & fultis folijs luxuriari permittas, alliciunt sensìm sinè sensu, & attrahunt blandè externorum sensuum samsonianas vulpeculas, quæ demoliuntur segetes virtutum, & ignitis caudis inflammant internas vepres iam tùm igni concipiendo maturas: quæ irrequieto crepitu suo perturbant rationem, meliorum rerum confundunt suo nidore memoriam, & intellectum sic obnubilant fumo, vt nudam veritatem cernere non valeat; ideòque cæcam per se voluntatem, vel suauitate quadam ità demulcent, vel asperitate quadam ab arduo virtutis opere deterrent, vt iniquitati decepta consentiat.

Quod liquidiùs nihilo, quàm Euæ demonstratur exem-

exemplo, quæ ſuggerente Diabolo, humanæ felicitatis inuido inſidiatore, impulſa priùs per internam curioſitatem ſciendi bonum & malum, & per ambitionem cuiuſdam apprehenſæ deitatis per ſerpentem promiſſæ, tunc primùm vidit mulier, quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile, ac tandèm, tulit de fructu illius, & comedit; intellectum imaginationis, & voluntatem ſenſitiui appetitus tyranidi proſtituens: quæ mala poſteri omnes ab ipſa hæreditamus: Hæc ergò ſunt animæ noſtræ carni mortali coniunctæ, & originalis culpæ maledicto deprauatæ maleſuadi affectus, ſeù, vt Petrus Apoſtolus ait, carnalia deſideria, quæ militant aduerſus animam, & à quibus ipſe obſecrat, vt tanquàm aduenas, & peregrinos nos abſtineamus. Genel. 3. 1. Petri. 2.

Sunt enim inimici hominis domeſtici, & proditores arcis animæ, qui, tanquàm exteras copias, aduocant ſenſuum externorum auxilia, qui vndìque circumuigilant, & ipſum Diabolum, qui circuit rugiens, & quærens quem deuoret, ſecum intrò trahunt; Hæc ſunt amor, & odium; deſiderium, & abominatio: ſpes, & deſperatio: audacia, & timor: ira demum, & ſtupiditas: atquè horum germinis varia, & infinita capita; quæ in ſe magis experitur vnuſquiſquè, quàm, vt vnus poſſit explicare ſermo- 1. Pet. 5.

ne:

ne : eorumque progenies mala magis prolixa est , quàm expediat proposito nostro per singula prosequi. Sunt omninò omnia , vt Aristoteles loquitur , quæ vel voluptas consequitur , vel dolor : acquirendi, videlicet, vel acquisiti : amittendi , vel amissi commodi, vel delectabilis, quę non ordinantur ad honestatem : quæque se , cùm sint filij tenebrarum , in Angelos lucis aliquandò conuertunt : & , cùm rationi & virtuti contraria sint , virtutum tamen falsa specie , & vsurpatis nominibus incautam rationem decipiunt , vt veras virtutes eliminent , si subtili intellectus examinatione non discernantur , eorumque vehementes impetus recto & constanti voluntatis imperio non superentur , perque Thuribij nostri trutinam : An deceant ? an liceant ? an Dei glorię conducant ? contineantur in officio , & mediocritate , in qua consistit virtus , & vera vita creaturę rationalis : Nàm , docente Apostolo , si secundum carnem vixeritis , moriemini ; si autem spiritu facta carnis mortificaueritis , viuetis.

Rom. 8.

Quę cùm Sancti Dei omnes, & viri verè sapientes obseruauerint , dùm sensuum operationes rectè moderato appetitui, appetitum autem rationi , & rationem Deo subijciunt , certè Beatus Thuribius Mogrouejus in hoc adeò multis excelluit , vt cùm ipsius eximia laude , viri graues , & docti longa consuetudine , & intima

familiaritate cum ipso coniuncti, iureiurando legitimè testati sint, quod antè diximus, se peccatum quoduis, in ipsius vnquàm conuersatione non deprehendisse. Nàm vt gratiæ Dei dono, perpetuaque exercitatione, & vsu domandis ijs monstris intentissimus erat; sic demùm ratione, & constanti voluntate dominatus est illis, vt omnes verteret illicò quo vellet, & spiritus nutui subiecta contineret, carnem suam crucifigens cum vitijs, & concupiscentijs.

Nihil vnquàm vehementèr amasse præter Deum, propter quem cætera diligebat: nihil odisse, præter peccatum: Nihil magìs desiderasse, quàm Dei honorem, & salutem animarum: nihil abominatum fuisse, quod non inhonestum: Nihil sperasse præter Deum, & illa quæ eo fruendo conducerent: nihil desperasse, quod ope diuina fieri mereretur. Nihil temerario ausu, vel suis viribus, aut malis medijs fisus attentasse. Nihil inconstantèr timuisse, nulli vnquàm irasci, nec Dei offensam, vel Pontificiæ authoritatis contemptum stupida ignauia dissimulasse visus est; æquè sibi mente præsens, & suorum affectuum dominator potentissimus.

Quod nostrum hic interest, hæc Deus in Sanctis suis ità disponit, vt nos etiam peccatores ad similia per ipsorum exempla confirmet; vt

vt ipsorum certamina discamus, & æmulemur victorias, obtineamus triumphos, dùm cernimus, non naturæ præstantioris fuisse, sed obseruantioris, nèc vitia nescijsse, sed emendasse. Quod cùm S. Ambrosius de veteris Testamenti Patriarchis dixisset; quanto magìs Euangelij professores debeant, & possint; quibus & maior obligatio perfectionis, & acquisitio facilior: nàm & amplior doctrina, & gratia copiosior est, & exempla clarissima, postquàm Christus passus est, relinquens nobis exemplum, vt sequamur vestigia eius.

De S. Ioseph cap. 1.

At nè nos æuum incusemus, eadem in hesternis, hodiernisq; etiam conspicimus; quemadmodum in S. Petro de Alcantara notauit S. Theresia, quandò Herculei eius animi victorias, & ad Cœlos ascendentis triumphum referens, ex tepidorum opinione dixit: Non est iam mundus recipiendo tantam perfectionem idoneus. Dicunt, quòd valetudo debilior sit, & quòd non sint ampliùs illa prisca tempora. Sed mox è propria: Hic sanctus vir, inquit, erat huius temporis, magnus illi spiritus inerat, & priscis temporibus æqualis; & ità mundum sub pedibus suis continebat. Eodem Petri tempore viuebat ipsa Theresia; quæ licet viribus, & sexu debilior, easdem tamen semitas viriliter calcauit. Posterior vtroque noster Thuribius, & illo alij priores, posteriores alij, alijque contempo-

Vitæ suæ cap 27.

po-

poranei, & alij hodiè viuunt, nèc vllo vnquàm æuo defuerunt, vel defuturi sunt, qui per hanc passiones, earumque motus mortificandi viam, crucem Christi per omnem vitæ statum fortitèr, & strenuè tollentes, eandem viam posteris in Cœlum post Christum demonstrant: arctam quidem illam, & ingressu difficilem; sed, vt S. Petrus Theresiam docuit, progressu valdè possibilem se assuescentibus.

Vt nulla excusatio nobis relicta sit, qua minus vnusquisque pro conditione sui status, & maiori, minoriuè eiusdem obligatione, ad sensualis animæ moderationem, & vitæ perfectionem in sua vocatione pro viribus contendat. Quod nèc à pueris quidem, aut adolescentibus alienum esse, ea quæ de his ætatibus Thuribij Mogroueji narrauimus, ac de alijs narrata reperiuntur, clarè demonstrant. Nèc dignitatum eius munera, nèc maturam ætatem, aut senectam sustinere non posse, ea quæ posteà monstrabimus clarissimum facient.

CAPVT IX.

Virtutis adipiscendæ studium, ac primùm humilitatis; cuius natura, necessitas, & vtilitas declaratur.

THuribius in hac exercitatione sequutus est vsum naturæ, quæ nullam formam de-

ſtruere conſueuit, quìn aliam ipſi contrariam inducat. Id quod, etiam in gratiæ operibus
Ad Epheſ. 4. ſeruandum S. Paulus præſcribit: Deponentes veterem hominem, induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis. Dùm enim agrum animæ ſuæ iſtis ſentibus, lappis, & lolijs expurgaret Mogrouejus, non minori ſtudio, vel induſtria ferebatur, vt eandem ſuam animam pulcherrimis virtutum omnium plantationibus coleret, & ſuauiſſimis floribus exornaret.

Nèc ſinè cauſa exorſus eſt à prima, cæterarumque fundamento humilitate. Vt enim in terrenis rebus rarus eſt ager, qui ſuccum in ſe ſufficientem habeat, adeòque non indigeat alieno fomento, & rigatione, vt fructum proferat, vel etiàm prolatum ad maturitatem perducat; ſic cœleſtis hæc animæ agricultura eidem
Greg. in 3. pſal. pœnit. to. 2. p. 1138 à tergo. neceſſitati ligata eſt. Nàm qui ſine humilitate virtutes congregat, quaſi in ventum puluerem portat. Hæc enim virtutum viridarij lætamen eſt, ſine quo vel radicem non figunt, vel folia non faciunt, vel exangues, aridæque florem, aut fructum non proferunt, vel vtcumquè productos ſuperbiæ ventus ante maturitatem exſiccat, & in pulverem per aëra ſpargit: Quod in virtutum ſtudio, quo magìs laude dignæ ſint, eò maximè timendum eſſe, Augu-
Epiſt. 56. ſtinus Dioſcorum ſuum docens his verbis de-

mon-

monſtrauit. Niſi humilitas omnia quæcumque bene facimus, & præceſſerit, & comitetur, & conſecuta fuerit, & propoſita, quam intueamur, & appoſita, cui adhæreamus, & impoſita; qua reprimamur, iam nobis de aliquo bono facto gaudentibus, totum extorquet de manu ſuperbia.

Vitia quippè cætera in peccatis, ſuperbia verò etiàm in rectè factis, vel maximè timenda eſt; nè illa, quæ laudabilitèr facta ſunt, ipſius laudis cupiditate amittantur. Hanc humilitatis virtutem cæteri Patres paſsìm primam Chriſtianarum virtutum, fundamentum ſanctitatis, originem, radicem, matrem, & magiſtram virtutum omnium appellant. Hæc eadem erat lætum illud, ferax, ac nobile ſterquilinium, in quo ſedens Iob, vlcerum ſuorum Iob. 2. &c. ſaniem teſta radebat, id eſt, vilis terræ humanæ miſeriæ profunda inſpectione, iuſtitiæ Dei ſolis contemplatione indurata, & in patientiæ fornace cocta; paſſionum, & vitiorum fluxum expurgabat: cùm ſolum nihilum ſibi tribueret: Nè in nihilum redigas me; ex quo nimirùm creatus eſt. Idque non ſuis, vel viribus, vel meritis, ſed dono Dei, à quo naturæ bona conſequutus eſt: Manus tuæ fecerunt me, & plaſmauerunt me totum in circuitu. Nèc minus faſſus eſt bona fortunæ: Nudus egreſſus ſum ex vtero matris meæ, & nudus

reuertar illùc: Dominus dedit, Dominus abstulit. Gratiam denique eidem acceptam referens: Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? nonnè tu qui ſolus es? vitam, & miſericordiam tribuiſti mihi, & viſitatio tua cuſtodiuit ſpiritum meum. Quæ omnia
1. Cor. 4. vno verbo complexus Paulus Apoſtolus: Quid habes, inquit, quod non accepiſti? ſi autem acceperis, quid gloriaris, quaſi non acceperis?

Ex hoc ergò ſterquilinio, tanquàm ex arce tutiſſima, Iob omnes Sathanæ machinas, & machinamenta diſrupit, omnia paſſionum monſtra ſuperauit, & ex humilitatis feraciſſimo ſucco, omnia, quæ per humiliationem perdi videbantur, diti fœnore duplicata recepit, eumque virtutum, & ſanctitatis gradum aſcendit, vt,
Iob. 2. ipſius Dei teſtimonio, non eſſet ei ſimilis in terra, homo ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo. Vt iàm non mirum ſit, ſi Mogrouejus noſter ad excelſum perfectionis, & ſanctitatis gradum pertigerit, cùm hanc radicem in agro puri cordis ſui tàm profundè fixerit, cùm fundamenti huius lineas nuſquàm exceſſerit, cùm huius matris vbera ſempèr ſuxerit, huius magiſtræ præcepta ſempèr ſeruarit, nihil vnquàm ſibi præter ipſum nihil, ſed bona omnia Deo datori accepta referret: Nihil ille vana gloria magìs pertimeſcebat,

bat, per quam ſciebat detrahi gloriæ Dei, & merita bonorum operum, quæ tanto labore quæruntur, in puncto deperdi: cœlumque ipſum, ſummum hominis bonum, infeliciſſimo foro vili vanitatis aura venum dari. Nèc fortiori ratione perſuaderi poterat, vt pœnitentiæ ſuæ rigorem aliquantispèr mitigaret, quàm ſi ſingularitatis notam, aut vanæ gloriæ periculum ſubeſſe ſuaderetur.

Arbitraria omnia pœnitentiæ, vel pietatis opera, quæ aliorum præſentiam non requirebant, cilicia, flagellationes, caumenias, & prolixiores preces noctu; ac domi quidem in ſecretiori receſſu, foris autem in montibus, & ſyluis, amotis vtrobiquè arbitris, libentiùs, quàm interdiù, vel vbi detegeretur, exercebat. Dùm prouinciam luſtrabat, non quo credebatur die accedebat, ſed præueniebat plerùmque, vel, vt ingrederetur, intempeſtam noctem expectabat, nè ſolemni occurſu, vel publica pompa exciperetur. Nèc per oppida priùs cognita, niſi celata ſua præſentia, & raptìm redibat, vel diſſimulato habitu diuerſoria, tanquàm alius intrabat, nè ab oppidanis, aut Parocho honeſtiùs, lautiusvè haberetur.

Accidit aliquandò, vt Parochorum quiſpiam multa nocte venturum, in templo, accenſis fortè luminibus præſtolaretur, quo, vt credebat, ſuo muneri excipiendo Archiepiſcopo ſatisfa-

faceret : ſed à Thuribio, qui incognitus ad Eccleſiæ fores ſilentèr adorare ſtatuit, grauitèr obiurgatus eſt; tanquàm, qui maiorem curam egiſſet ingratæ tùm ipſi cæremoniæ, quàm obſeruantię ſynodalium conſtitutionum, Romanę ſedis authoritate firmatarum; quibus ſub excommunicationis interminatione cautum eſt, nè Indorum Rectores, templorum valuas noctu patere ſinerent : ſe quippè venire, vt legum diſtrictio firma foret, non vt populorum plauſum, ijs poſtpoſitis, aucuparetur, aut eorum quietem importuno tempore perturbaret.

A ſuis non ſemèl monitus, hac eius demiſſione non parùm authoritatis deperdi, ac detrahi Pontificię ipſius dignitati, reſpondit; vbi Archiepiſcopus innoteſceret, ibi oſtentatione opus non eſſe: At vbi ignotus eſſet, priuatusque haberetur, hìc nihil detrahi dignitati. Cùm plura ſacra loca ſtudio ſuo & impendio fabricaſſet, nèc titulos ſuos, vel nomen lapidibus, aut muris inſcribi, nèc affigi portis inſignia vſquàm permiſit, prętérquàm in Archiepiſcopali Seminario Limenſi S. Thuribij, vt ipſiùs Collegij Eccleſiaſticam immunitatem Archiepiſcopalium inſignium ſignificatione, & Concilij Tridentini authoritatem illęſam, integramque ſeruaret. Quę inſignia poſtmodùm, Regię poteſtatis vindicandę pretextu, violentèr depoſita Thuribius patientèr tulit : cùmque Rex ipſe iuſſiſſet,

fiſſet, vt reponerentur, ac de Sacri Concilij, atquè Collegij iuribus pro Archiepiſcopo tuliſſet ſententiam; Thuribius tamen hac ſola contentus; inſignia ſua nunquàm ampliùs reſtituit loco.

Quoties quidquàm ſui laudis, vel inuitus audiebat, ſe miſerum mortalem eſſe, & peccatis obnoxium, natureque pondere pronum ad concupiſcentiam, ac niſi diuino munere retentum, in peccata ruiturum. Quęcumque demùm opera ſua bona poterat, humilitèr occultabat: quę verò ab hominum oculis, vel auribus abſcondere nequibat, ea vel in Deum authorem omninò referebat, vel caſui, alteriuè cuipiam cauſę ſic attribuebat, vt nihil in eis laudis, vel proprię ęſtimationis reliquiſſe ſibi quidem videretur. At vbi Dei gloria, iuſtitia, vel charitas, aut aliorum ędificatio poſtulabat, proferebat, ſed parciſſimè, ſuarum actionum exempla, quę alij in eius quoque laudem vertere poſſent, quamquàm longè pręter ipſius intentionem. Sic cùm dixiſſet, ſe curſum votiuarum precum, ex quo die ſemel cœperat, nunquàm deinceps intermiſiſſe: & iterùm ſe malle mori, quàm leuiſſimi peccati labe inquinari; neutrum tamen iactabundus extulit; ſed alterum expoſuit, vt eandem diuini cultus perſeuerantiam Chriſti ancillis, & neptibus ſuis, quas tunc hortabatur, inculcaret: alterum autem, vt auditores, qui ipſius innocentiam antè no-

uc-

uerant, ad minimi cuiusuis offensionis Dei detestationem, & fugam concitaret, exemplo S. Anselmi Cantuariensis, qui dicere solebat: si hinc peccati horrorem, indè inferni dolorem corporalitèr cernerem, & necessariò vni earum immergi deberem, priùs infernum, quàm peccatum oppeterem: vt in eius vita scribit Surius. Et ipse de se alibi: Mallem purus à peccato, & innocens gehennam intrare, quàm peccati sorde pollutus intrare Regna Cœlorum.

Anselm. lib. de Beat. cap. 130.

Thuribius eleemosynas pro Pontificij muneris obligatione publicè faciebat, sed plurimas occultè, pro abundantia suæ humilitatis. Cumque hæc, & alia bona opera sua Pontificio præcepto coactus Romam perscciberet, id ea modestia fecit, vt verè coactus, Dei gloriæ, & homines ædificandi zelo ardens videretur, nulla sui laude motus, sed quod Saluator docuit: videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in Cœlis est: Omnis eius actio cùm humilitatis virtute tàm arctè coniuncta fuit, vt qui huius ab illo edita exempla in vnum conferre vellet, huic tota eius vita solo humilitatis titulo referenda foret. Quapropter plurimis hìc abstinemus, quæ cùm aliarum virtutum actibus, quos exornabant, necessariò iterùm, & opportuniùs annectenda sunt. Satis nùc erit reminisci, quæ priùns diximus,

Matth. 5.

mus, Thuribium cum hac virtute rationis vsum inchoasse, quandò paruus puer fœminæ, fructuum venditrici pomorum iacturam compassus, ac Dei per eius blasphemias offensa, ipse vehementèr offensus, accensusque zelo diuini honoris; fœminæ tamen plebeæ, puer nobilis, & potentis in Ciuitate parentis filius non conuicium pro conuicio, non arrogantem increpationem reddidit; sed mansuetè, & humilitèr orauit, nè infinitam Dei Maiestatem lacesseret maledictis; damnumque, quod alij intulerunt, per pretium pari humilitate à sua genitrice impetratum, integrum restaurauit:

Non minus erat argumentum humilitatis, qua per totam vitam perpetuò & constantèr seruata, eandem vitam sanctissimè finiuit, quandò in extremo morbo, octauo supra sexagesimum suæ ætatis anno, cùm districto Medicorum præcepto iussus, vt iusculum aliquod è carnibus coctum restituendæ valetudini necessarium, postquàm decem priùs dies ieiunus decubuisset, semel delibaret, & quarto priusquàm obijsset, non priùs consensit, quàm vocato loci Parocho ieiunij dispensationem obtinuisset, cum insigni concertatione humilitatis. Parocho enim humilitèr interroganti, vt quid hoc ab ipso peteret Archiepiscopus, & maior loci parochus, qui non minùs cum alijs, quàm secum ipso dispensare posset? respondit ille ma-

iori animi, & verborum demiſſione: frater, inquiens, Chriſtiani ſumus, quos Eccleſiæ parere decet; atque ſic ſe infimo Chriſtianæ plebis parem haberi voluit, & in cauſa propria pauidior eſſe, quàm arrogantior.

CAPVT X.

Thuribius Iuris Baccalaurei gradum adeptus migrat Salmanticam. V. I. licentia donatur. Conymbriam diuertit. Salmantini Collegij Ouetani ſocius. Huius Collegij laudes. Quo tempore, quaque animi diſpoſitione Colgium ingreſſus.

HViuſmodi vitæ tyrocinium; veluti nauem in tutiſſima ſtatione, validis mortificationis, humilitatiſque anchoris firmam Valliſoleti iam deponebat Mogrouejus, & animæ ſuæ curandæ, litterarumque ſtudijs prouectus, per omnes liberalium artium gradus ad vtriuſque Iuris lauream peruenit, Baccalaurei inſignibus publicè donatus: in quibus ſuſcipiendis id ſuæ, & probitatis, & doctrinæ ſpecimen dedit, vt magnum virum eum olìm fore cuncti ſibi perſuaſerint, magnoque plauſu prædicarent.

Florebat ea tempeſtate apud Salmanticenſes Iuris vtriusque peritia clarus, Doctor Ioannes Mo-

Mogrouejus, Ludouici Mogroueji, Thuribij genitoris vterinus frater, celebris Ouetensis Collegij socius: qua vsi opportunitate parentes Thuribij, de filij profectu, & adepta inter Vallisoletanos fama læti, deque ampliori eius progressu solliciti, ipsum Salmanticam ad patruũ proficisci iusserunt; vt in celeberrimo illo totius Hispaniæ Lyceo celebrior ipse, maiorque fieret sub disciplina tàm spectabilis, charique curatoris, & intèr librorum supellectilem, quam Ioannes magno selectu, sumptuque comparatam habuit. Nèc ipsos fefellit expectatio. Thuribius enim tùm præcedente fama, tùm patrui causa, communi Salmanticentium applausu exceptus est; qui tùnc præsagiebant hunc magnùm olìm Academiæ decus allaturum. In Ioannis Mogroueji patrui sui contubernium, disciplinamque susceptus, suam omnibus breuì pietatem ergà Deum, morumque integritatem, & sedulitatem in studijs ità probauit, vt ampliorem ipsi patruo, & parentibus apud omnes æstimationem attulerit.

Quanquàm autem ciuilis prudentiæ curam haud quaquàm abiecerit, ardentiori tamen studio, & pronitate ad canonicas sanctiones percallendas ferebatur. Nèc vtrumque Ius tàm hic discere ampliùs, quàm patruum in ambobus dictandis iuuare visus est. Cuius rei monumentum in instructissima Collegij Ouetensis bibliotheca, Thuribij dono, hodièque venerabundè seruatur, iustus codex

quæstionum vtriusque Iuris, authore Ioanne, qui eum prelo destinauerat, maxima parte propria Thuribij manu descriptus, & notis ad marginem illustratus. Cæterùm hic etiam temporum momenta sic distribuebat, vt quemadmodum exercitijs aulæ publicæ nunquàm defuerit, ità domesticis libris incubabat, & non rarò innoctabat, vt viua bibliotheca euasisse; omnia quippè librorum nomina, & sensus inuasisse videretur. Nèc proptereà perfectionis Christianæ rationes quas semèl iniverat, quidquàm diminnuebat; sed publicis templorum, priuatisque domestici recessus exercitijs sua concedebat interualla litterarum: nunquàm, & nusquàm ociosus, donèc Academici gradus lauream, quàm Licentiam vocant, pro scholæ Salmanticensis consuetudine,ritè cõsequutus esset.

Dùm hæc ità fierent Ioannes III. Lusitaniæ Rex veterem Academiam Vlisipone Conimbriam transferre statuit, erexitque variarum disciplinarum cathedras quinquaginta, assignato singulis amplissimo stipendio. Cùmque ex vniuersis Europæ scholis præclariores facultatum Professores accerseret, Ioannis Mogroueji celebri nomine motus, illum ad vesperariam, quàm vocant, canonici Iuris Cathedram inuitauit: quam cùm aliquandiù pro omnium satisfactione, & sui laude rexisset, primariam deindè promeruit, & adeptus est. Post decennij fermè spatiũ Salmanticenses tanti suæ scholæ decoris desiderio flagrantes, vacantem tunc

apud

apud se ciuilium legum cathedram, & Cathedralis Ecclesiæ doctoralem Canonicatum illi, vt rediret, obtulerunt, isque ea conditione accepta reuersus est. Thuribium etiam animi sui dimidium in his migrationibus conduxisse, & reduxisse ferunt; quanquàm, quid interim egerit Conimbriæ, non satis innotescat. Antonius a Leone Pinellus, qui Thuribij vitam publicè primus edidit, eum aliquandiù Conimbriæ commoratum esse, per indicia se comperisse refert.

Ioanni Mogrouejo honoribus per Salmanticenses collatis non diù gaudere licuit, cùm anno apud eos nundum exacto, in Cœlum, vt opinari licet, euocatus est, Thuribio Nepote facultatum suarum scripto hærede, inter quas præcipuum ei obtigit multiplex illa, & erudita bibliotheca. Verùm Thuribius quanquàm non habitu, vel professione, sed moribus tamen, & priuatæ vitæ instituto iam Monachus, & curæ domesticæ, mundique facultatum pertæsus, maluit priuatus, & sub aliorum disciplina, cœlestem vitam in Congregatione ducere, quàm patrisfamilias solicitudinum tribulis implicari. Diuendita igitùr, cum reliqua suppellectili bibliotheca, pretium vniuersum sororibus, quarum antè meminimus, copiosiùs collocandis distribuit, retento sibi solo studio virtutis, & electo loco, in quo ijs impedimentis liber, Deo, atque sibi vacare posset; Et res ex voto successit.

Va-

Vacabant enim tùnc in Collegio Ouetano Salmanticensi S. Saluatoris Becæ tantùm tres, seù litterarij huius, nobilisque contubernij abollæ, vel trabeæ, quarum nos alibi formam, vsum, dignitatemque descripsimus:& ad eas ex multis qui aspirabant, tres itidem electi fuerunt; Ioannes à Pineda, qui quinto pòst anno religiosæ societati Iesu nomen dedit; Franciscus Contreras multis deindè, magnisque in Hispania muneribus, & morum probitate clarissimus. At à tàm insignibus viris Thuribius, ætatis suæ tùm anno trigesimo secundo, primum locum obtinuit: quod eximio meritorum eius cumulo vitæ scriptores attribuunt.

In Lima Limata p. 61.

Est autem illud Collegium Ouetanum magnorum virorum illustre, perpetuumque promptuarium, ex quo nimirum ante annum Christi 1653. quo Pinellus Thuribij vitam conscripsit, ad subli-miora loca deprompti fuerunt S. R. E. Cardinales quatuor, totidemque Præsides Supremi Consilij Regni Castellæ. Archiepiscopi Toletani duo: aliarum Ecclesiarum Archiepiscopi multi; ex quibus Limanus noster Mogrouejus vtriusque Orbis desiderio inter Cœlites iam conscriptus. Episcopi quadraginta, & vnus. Regiæ cameræ à Consilijs sex. Aliorum Curiæ consessuum, Consiliarij quadraginta tres. Cancellariarum, Audientiarumque quas vocant, Auditores centum: Generales Sanctissimæ Inquisitionis per Hispanias Præfecti quatuor. Ad dignitates, & Canonicatus Cathedra-

lium

lium Ecclesiarum allecti decem & octo suprà centum. Regnorum Visitatores octo: Prouinciarum Præsides viginti duo: scholasticarum Cathedrarum Rectores publici nonaginta septem. Ex eodemque Collegio sacræ Synodo Tridentinę interfuerunt tredecim. Alijque postmodum ad huiusceemodi, vel alia loca, & munera plures. Non enim in ipsum Collegium admittuntur alij, quàm qui generis claritudine illustres, ætate maturi, & eruditione insignes, per præuium, rigidumque harum qualitatum, vitæque probitatis examen, & communia sodalium suffragia probati repe riuntur; vt post exactam candidatorum inquisitionem, cui plures numero suffragantur, is reliquis præferatur.

His Thuribij migrationibus ego prudens annorum ęram non asscripsi; Nàm qui eam designant, id pauidè faciunt, nèc sibi per omnia constant, nèc ea cùm rebus ipsis facilè combinādą venit, nèc tanti mea refert, qui hoc loco non Chronologicam, sed asceticam, & exemplarem eius vitam profiteor. Quo anno Ioannes Patruus obierit Salmanticę, indicat Epitaphium sepulchri in Cathedrali templo his vltimis eius notis: obijt 13. Kalend. Aprilis, anno à Christo nato 1566. Thuribium autem ad Collegium electum fuisse die tertia Februarij anno Domini 1571. ex formula professionis, propria ipsius manu in Collegij monumentis exarata, & apud Pinellum, aliosque descripta con-

constat, quæ incipit. Ego Licentiatus Thuribius Mogrouejo &c. Ex quibus vlteriùs habemus, ipsum post Patrui mortem domus eius curam per integros quinque annos ante Collegij ingressum gessisse: qui sufficientissimi erant, vt certò experiretur, eiusmodi œconomiam spiritualibus suis exercitijs, & litterarum studijs, vel nihil conducere, vel omninò nocere. Cuius ipsius animi circà temporalium administrationem clariora documenta producturi sumus, vbi œconomiæ ab ipso obseruatæ ratio vniuersìm nobis tractanda redibit.

In hoc insignium virorum Salmanticense sodalitium tertio die Februarij adlectus, iàm tùnc Licentiatus, Thuribius laudabili studiorum æmulatione cum diligentissimis quibusque concertabat; & cùm cunctos vitæ sanctimonia superaret, à nemine scientia superatus est; præsertìm in Iurisprudentia, quam præcipuè profitebatur. Ingenium illi erat clarum, & promptum, exercitatio infatigabilis, & memoria tàm felix, vt cùm Limam Archiepiscopus regeret, Indos omnes totius prouinciæ, quos semèl nouerat, vultu deinceps, & vocabulo discernere potuerit. Sed maior, & efficacior profectus eius causa fuit inhabitantis eum spiritus sancti gratia, & animi pudicitia. Duas etenìm has arhas sapientiæ ad extremam vitę periodum in se summo studio conseruauit; illibatę, scilicet, virginitatis candorem, & santificantis gratię stolam in

bap-

baptiſmate ſuſceptam, vario cęterarum virtutum ornamento tanquàm opere phrygio contextam: quarum alteri conſeruandę ſeueram ſenſuum, & carnis caſtigationem; alteri magìs magìſque augendæ perpetuum orationis, & bonorum operum ſtudium adhibebat. Nàm & purum virginem cum vita hac mortali defunctum eſſe, & mortale peccatum nunquàm commiſiſſe, teſtes diuturna conſuetudine coniuncti, quantùm ſe in his extendit contubernalium iudicium, iurati deponunt, quorum aliqui intimas eius conſcientiæ rimas, & receſſus in ſacra confeſſione cognouerant; vt mirum non ſit, ſi diuina ſapientia ſedem in ipſo fixerit, quæ in electis ſuis mittit radices, & in hæreditate Domini moratur. Eccl. 24.

CAPVT XI.

Thuribius quàm bonus Collega. Peregrinatiò Compoſtellana. varia macerationis, humilitatis, paupertatis, obedientiæ, caſtitatis, aliarumque virtutum exempla.

HInc, vt omnes inſignis collegæ partes expleret, cunctas ſocialis vitæ virtutes in ſe vno complexus eſt; & animæ colendæ, carniſque ſubiugandæ ſtudia, quæ antè retulimus, ità hic minimè deſeruit, vt potiùs, non iam litteratorum Collegium, ſed veterum Eremitarum deſertum ingreſ-

ſus, & monaſtici rigoris tyrocinium aggreſſus videretur. Nàm, & paupertatis, & obedientiæ, & caſtitatis ſingularia hic ſpecimina dedit. Et pro ſocialis vitæ integritate tres ſibi perſonas, ſeù perſonarum claſſes tractandas propoſuit, eaſque omnes in Deum; (cui arctiori ſe ſempèr perfectionis vinculo colligabat,) eiuſque cultum,& gloriam referebat: ſeipſum nimirum, poſteà Maiores Collegij, denique Contubernales. Quæ, cùm verbis breuì dixerim, nùnc factis ampliùs declaranda ſunt.

Itaque cupiens perfectus eſſe, venditis Chriſti conſilio omnibus, quæ habuit, & ſęcularium rerum poſſeſſione, ac diſpenſatione expeditus, omni eiuſmodi non cura tantùm, ſed & cogitatione procùl abiecta, omnem tolerandę vitę neceſſariarum rerum ſolicitudinem in liberam adminiſtratorum Collegij voluntatem coniecit. Iis deinceps ad nutum obedire ſtatuit, & pręſtito, vt ſolet, iuramento, ſe ex Collegij conſtitutionibus gubernandum tradidit, quod, quamdiù ibi vixit, integrè obſeruauit. Verùm cùm cuncta pro nobilis contubernij qualitate ſuppeterent, indolens Thuribius, percupitę paupertatis experimenta ſibi deeſſe, vt ingenioſus eſt Euangelicę perfectionis ardor, pręter parciſſimum rerum vſum, in quo ſempèr cunctis pręſtabat, inuenit etiam per quod paupertatis incommoda tolerando, Chriſti ſequela per ampliùs proficeret.

Cùm

Cùm enim vſu veniat, vt vacantibus, ſeù, prò animi relaxatione, intermiſſis celebris Academiæ litterarijs laboribus, cæteri omnes, vel parentū viſendorum cauſa domum remeare ſoleant, vel prætenſæ dignitatis cuiuſpiam appetitu, Aulam adeant, vel cum amicis interim recreandi villas ruſticatum petant: Thuribius noſter, contemptis his rebus, & Cœli regno poſtpoſitis, Compoſtellana S. Iacobi limina, quinquaginta leucas diſſita cogitauit; eoque, & nudis pedibus, & pedeſtri itinere, & peregrini habitu, & mendicato per viam victu, etſi pecuniarum non inops, proficiſci ſtatuit. Sic tamèn, vt pecuniæ quidpiam non deeſſet, nè vel extremum pati, vel pauperioribus pro ſe non indigente grauior eſſe cogeretur, qui plus illiuſmodi hominibus dare, quàm ab eis accipere, & cupiebat, & ſolebat, & beatius eſſe, cùm facultas ſuppeteret, non ignorabat.

At nè ſolus iret, quo honeſtatis ſuæ teſtem, cuſtodemque haberet, mentem ſuam aperuit Franciſco Contreræ, de quo antè diximus, & ſibi modeſtia morum ſimili, & proindè inter ſodales maximè familiari, & qui eodem die Collegij toga ſimul induti fuerunt; quique Thuribij macerationes, vel paritèr exerceret, vel ſaltèm per ipſum exerceri permitteret, quemadmodum in aliarum virtutum ſtudijs eum imitari conſueuit. Profecti ſunt ambo eò corporis habitu, & animi pietate, quæ tantæ peregrinationis ſanctitatem decebant.

Compostellam appulsi, cùm templum ingrederentur, inuenit Thuribius nouam exercendæ paupertatis, & animi gratitudinis materiam.

Erat ibi mulier Aethiops, quæ cùm iuuenes pio, & pœniteni peregrinorum cultu sacram ædem subire cerneret, verè pauperes rata, extractum æneum nummulum eleemosynam pro Dei amore Thuribio porrexit. At ille amoris diuini dulcissimo nomine datum, paupertatis titulo lætus, humilitèr accepit, & actis pro charitate gratijs, maiori mulieris paupertati compassus, humanissimè restituit, affirmans, sibi, socioque suppetere, quo peregrinationem æquo animo tolerare valeant. Suspicata illa exiguitatem nummuli contemptam fuisse, modestè respondit, se plus daturam fuisse, si plus ipsi fuisset: sed Illustrem Comitem, Dominum suum in templo esse qui plus, modo petant, illis erogaret, & vt peterent, beneuola voce hortata est. Quæ inopis seruæ charitas ita Thuribij pia viscera peruasit, vt eius rei memoriam per omnem vitam retinuerit, & sæpè deinceps apud amicos celebrauerit, Deumque in primo suo priuato, & in primo suo Pontificali, ac cæteris deinceps Missæ sacrificijs pro ipsa Deum orare consueuerit.

Ioannes de Almeida, vir grauis septuaginta tres annos natus, & Beato Thuribio, dùm Limæ viueret, familiaris, in actis authoritate Ordinarij Limensis compactis, postquàm hoc factum, legitimè interrogatus, retulit, aliud adiunxit, &

vtrum-

vtrumque persæpè ex ipsius Beati viri ore se audiuisse affirmauit. Erat autèm, quod alia paritèr Aethiops, ac tùm Compostellæ hospita, cùm iuuenes in peregrino, & pauperum habitu cerneret, eos ad suum diuersorium inuitasset, & omni charitatis officio impertijsset. Quæ duo beneficia perpetua memoria recolebat Mogrouejus tùm in sacrificijs apud Deum, tùm conuersando cum amicis; non quòd vel vnius obolum, vel alterius hospitium tanti faceret, quanti charitatem vtriusque, & voluntariæ suę paupertatis exercitium, quo valdè delectabatur.

Peractis Sacris functionibus, quæ ad peregrinationis, tota Europa tàm celebris, complementum pertinebant, seque ipsis, alijsque Sancti Apostoli patrocinio commendatis, Salmanticam, ad Collegium reuersi sunt, & Thuribius ad consuetas carnis macerationes; seque ieiunijs, cilicijs, ac frequentia, & atrocitate flagellationum, nimiaque sanguinis effusione sic extenuabat, vt sæpè languescere, debilitari, & pedibus non satis regere se posse cerneretur: quod cæteris Collegis admirationem, doloremque afferebat; Sed serui Dei constantia, & propositi tenacitate probè cognita, nemo erat, qui ipsum hortari pro viri reuerentia non pertimesceret. At Didacus Monreal Collegij Rector, quanquàm eadem reuerentia in Thuribium affectus, tanti nihilominus effundendi sanguinis retinaculum necessarium perspiciens; non qua polle-

bat

bat authoritate, & imperio, neque dubitans ipſum obedientiæ promptitudine pariturum; ſed ingenij ſuauitate, & arte vtendum prudentèr cenſuit, quo & ipſe malo mederetur, ac Thuribius propria virtute, & ampliori merito ſolitam ſuæ carnis lanienam temperaret, & proprio ſuo iudicio ad id agendum, ſuauitèr, & artem non aduertens induceretur.

Igitùr Franciſci Contreræ apud Mogrouejum intima familiaritate, & beneuolentiæ fiducia vſus, per hunc illi, proprio Franciſci nomine loquentem, perſuaſit, etſi ſibi Contreræ amico videretur Thuribius conſeruandæ carnis caſtimoniæ, & puritati mentis, adipiſcendæque perfectioni, rem optimam agere; ſed virtutem in mediocritate ſitam, exceſſum autem periculi plenum eſſe; nèc poſſe Rectorem aut Collegas latere, quibus per manifeſta ſigna, & curioſam indagationem iàm palàm patefacta res eſt; atque adeò inanis gloriæ damnis expoſita, quæ vniuerſam perfectionis ſtructuram ſensìm ſine ſenſu diſſoluere ſolet, omniſque boni operis fructum, præmiumque ſurripere: malum dæmonem hac præcipua ratione lucrum ſuum cum noſtro exterminio, in bonis præſertìm operibus venari: fugiendam proindè hanc eius caſſem, diſcrimine plenam, & viam virtutis, & chriſtianæ perfectionis per medium iter tuto incedendam, modumque feruori imponendum eſſe: ſibi ſanè amicè, & feriò, ſincerèque conſulenti videri. Hac oratione territus Thuribius, qui nullum monſtrum,

ſtrum, quàm gloriam apud homines magìs oderat, vel timebat, atrocitati quidem ſanguinolentæ flagellationis modum deincèps adhibuit; abſtinentiæ tamèn, vigiliarum, cæterarumque domandæ carnis exercitationum nihil intermiſit, litterarum ſtudijs commodiùs incumbendi excuſationem pro conſueta humilitate prætexens.

In his autèm quàm eximiè profecerit Mogrouejus, ſuſcepti iam valliſoleti Baccalaureatus, & ſalmanticæ Iuris vtriuſque licentiæ gradus claro argumento ſunt: in quibus Academijs non fauore, vel largitionibus, ſed examine diſtrictiſſimo, certaque experientia doctrinæ, grauium Magiſtrorum iudicio comprobatæ conferuntur. Sed omnem dubitandi ſuſpicionem è medio tollit ipſius in Collegium Ouetanum Salmanticenſe receptio, in quo non triuiales pueri, non adoleſcentes litterarum candidati, ſed vel viri iam facti, & Cathedrarum re ipſa Rectores, vel maturi iuuenes prouectæ ſcientiæ, morum probitatis, & generoſi ſanguinis, ad Iuris normam probato teſtimonio commendati, in contubernium ſuſcipiuntur: qui vel magiſtrali Cathedræ, vel ſacri, ciuiliſque Reipub: tribunalibus regendis, vbi per ætatis maturitatem deceat, conſtanti, & matura virtute digniſſimi cenſeantur. Nèc parum efficit, primum locum Thuribio per omnium Collegarum ſuffragia adiudicatum fuiſſe; atque vt teſtes in actis iurati comprobant, non Potentum interpellatione, non emendicato fauore ſuf-

suffragantium, sed solius doctrinæ, & morum sanctimoniæ titulis, per iustitię rigorem exigentibus.

Sciebat sanctus doctusque Thuribius è sacris libris, quos diù, noctùque versabat, sacerdotes, qui scientiam repellunt, repellendos esse, nè sacerdotio fungantur Deo; nèc vllum Pręepositorum à culpa per iuris ignorantiam excusari posse; propterea, vt & conscientię suę, & impositorum deindè magistratuum officijs satisfaceret, non in Collegijs tantùm, sed per totam vitam diuinę scripturę, & sacrorum prę sertìm Canonum iugi lectioni impalescebat. Iuvat grauissimi viri testimonio, pro veritate rogato claudere periodum. Is erat Doctor Petrus de Ortega Sotomaior, qui postquàm esset canonicus magistralis, Archidiaconus Ecclesię Metropolitanę Limensis, & in eiusdem Ciuitatis Academia Primarius Theologię Professor, deindè Truxillanus, mòxque Ariquippensis, ac demùm Cuscensis Episcopus factus, dignissimus Pręsul, hoc de Thuribij Archipręsulis doctrina testimonium dedit: Eùm adeò doctum fuisse, vt vniuersum Ius Canonicum, & Concilij Tridentini sanctiones memoria retineret: harum nihilominus codicem circumferre solitum fuisse, & in quauis re dubia, vel difficili quęstione, resolutiones suas tàm ad rem aptis eius locis comprobare, ac si eos industria, studioque perquisisset, ac viros doctissimos, quos rerum difficiliorum consultationibus

Osee.4.

adhi-

adhibebat, admiratos dictitasse, se ab Archiepiscopo vocari, non tàm, vt ipsorum consilijs dirigeretur, quàm, vt eos sapientia sua erudiret, doctrinęque luminibus illustraret.

Nèc minùs promptè in sermonibus, per quos pro concione populos instruebat, proposita quęuis documenta, sacrę scripturę appositis sententijs, ex tempore depromptis, confirmabat; vt multi sibi persuaderent, tantam doctrinæ copiam, & facilitatem, non adeò studio, & labore illi acquisitam, ac diuinitùs infusam fuisse; vt quem ab inita ætate plus temporis orationi, & pietatis exercitijs, quàm voluendis paginis impendere consueuisse scirent. Erat nihilominùs, adeò humilis, vt prudentiæ suæ, Salomonis monitu, minimè nisus, deligeret viros optimos, & scientia probatos, quorum consilio atquè authoritate, in arduis præsertìm rebus, nitebatur. Immò, & Sedem Apostolicam ab illo Orbis extremo consulebat, cuius triginta, & octo ad Thuribium responsa in Congregatione Concilij Tridentini discussa, & decreta, nos alibi edidimus, & ille tanquàm certas, & securas gubernij sui regulas sanctissimè obseruabat.

Prou. 3.

In Lima lim.

Per annos quinque, quos in Collegio vixit, nemo erat illo, aut ad pietatem pronior, aut ad labores promptior, aut ad obediendum alacrior, aut in omnibus disciplinæ muneribus diligentior. Ergà Moderatores obsequentissimus, æqualibus æq; amabilis, & officiosus, Collegij constitutionum

obſeruantiſſimus. Præfecti ab ore pendere, Collegis humilitèr miniſtrare, & infrà omnes haberi geſtiens: Vbi publicus conuentus eum non euocabat, cubiculi ſeceſſum ſeruare, ſtudijs, & pietati vacare, foris in templo, vel gymnaſio verſari, frequentare Sacramenta, ſacris concionibus attentè intereſſe, Sacrificio Miſſæ vel reuerentèr miniſtrare, vel prolixiùs aſſiſtere. Atquè ità per omnia conuerſatus eſt, vt in toto contubernio ſpeculum ſanctitatis, & virtutum exemplar habitus ſit, omneſque in ſui admirationem, amorem, & reuerentiam rapuerit; & Sancti appellationem apud Collegas, quocumquè poſtmodùm ierint, & eorum in Collegio ſucceſſores, deinceps adeptus ſit.

Verùm vt iuventus viriditate ſua læta, & oblectationum auida eſt, ità, qui prudenticuli ſibi in ſocietate videntur, non odio vel contemptu perſonarum, ſed ſolius ioci, & recreationis cauſa, ſeruorum Dei, vel ſimplicem innocentiam, vel in quibus ipſi parem ſibi iocandi licentiam, aut hilaritatem non cernunt, nonnunquàm vexare ſolent ijs rebus, à quibus iſti magnoperè abhorrent: Deo etiam ſic permittente, vt ampliora eis victoriarum certamina paret, & ipſius dona in eis magìs eluceſcant. Sìc hac altera vice voluit, vt conſtantiſſima caſtitas Thuribij, ioco ſaltem, probaretur. Conuenerant Collegarum aliqui, vt ipſorum vnus mundo muliebri ornatus, ipſius noctu ſtudijs incombentis

cu-

cubiculo se silentèr inferret, alijs ridendum prælium post portam spectaturis. Fecit iste, & ponè sedem se mouentem sensit Thuribius: cùmque visum, quid esset, oculos retrò verteret, fœminæ specie territus, & conspectam, quam suspicatus est, puellam abominatus, arrepto manu candelabro, surrexit, eleuataque voce, apagè scelesta, inquit, actutùm te hinc abripe, vel ego Rectorem vocabo, qui meritas temeritatis tuæ pœnas exiget. Abijt laruatus Collega, & ab exteriùs præstolantibus cachinno exceptus fuit: quos etsi intùs inaudisset Thuribius; nihil tamèn tùnc, vel vnquàm posteà, pro solita sua modestia, & mansuetudine, hac de re illis locutus est. Sed, obducto portæ pesulo, suis rebus quietus incubuit.

Ipsi verò, vt Annæ Robleziæ matri iucundum aliquid, & gratum de Thuribio filio nunciarent, rem totam illi per epistolam scripserunt, Vallesoletanam Thuribij victoriam nouo hoc experimento comprobantes, triumphasse de castitatis hoste Mogrouejum, & præclarum suæ mansuetudinis exemplum cæteris exhibuisse.

Sed ipsius illibatæ castimoniæ plura documenta posteà proferemus.

CAPVT XII.

Granatensis Inquisitionis initia. Thuribius fama celebris illi Præfectus, vt se gesserit.

IN finem iam vergebat annus à Christi Natiui-tate 1575. ætatis Mogroueji trigesimus septimus, & incolatus Ouetani Collegij quintus. Cùm Regnum Granatense, non amplius octuaginta circitèr annis priùs, Ferdinandi, & Isabellæ, Catholicorum Regum armis è Maurorum manibus abreptum fuit. Et quanquàm serui Dei Francisci Ximenij Cisnerij nostri, Cardinalis, Archiepiscopi Toletani, à Regibus ei negotio præfecti, ardenti zelo, singulari prudentia, & quo prę multis pollebat, animi vigore, omnes Mahometicæ professionis, & maxima pars Regni, intrà breue tempus, non leuibus obstaculis, Deo mirabilitèr auxiliante, superatis, ad Christiana sacra conuersi fuerint, & anno 1499. die 16. Decembris vltrà ter mille Catechumenos, de fidei misterijs per ministros ab Ximenio destinatos ritè primùm instructos, ipse suis manibus, aliquos quidem ijs ritibus, quos Ecclesia Romana præscribit, reliquos, proptèr multitudinem, aspersorio capitatìm sacro baptismatis lauacro lustrauit, quorum numerus per tres indè menses ad vigesimum millenarium creuit.

Post-

Poſtmodùm deincèps, Catholicorum Regum ſtudio, & ſupremi pèr Hiſpanias Tribunalis S. Inquiſitionis authoritate, peculiare Tribunal pro illis in fide continendis, in vrbe Granata erectum fuit; non defuere tamèn intèr Neophitos, quibus priſtinæ ſuperſtitionis affectus aliquis inhærebat, qui aliquandò in effectus prorumpere viſus eſt, nec Iudaicæ quoquè perfidiæ occulti cultores, neque ex vetuſtioribus Chriſtianis aliqui, pluſquàm oportet, ſapientes. Quapropter, prò rei pondere, viri, pietate, ſcientia, & ætate grauiſſimi tanto fidei negotio & S. Granatenſi Inquiſitioni Iudices præfici conſueuerunt. Eo autem anno quem diximus 1575. vacauit in eo Tribunali locus Inquiſitoris, & Thuribius noſter, in ſuo cubiculo Collegij Salmanticenſis, latere ſe credidit, ac ſolitis litterarum, & pietatis exercitijs, quietè vacare ſe poſſe gaudebat, nulla dignitatis titillatione, cura, vel cogitatu ſolicitus.

Verùm vt ſol Oriens nullam peruiam obuiamque rimulam non penetrat; ſic eximia virtus, quanquàm humilitatis ingenioſis artibus in terram altè defoſſa, volens, nolens, per omnem terræ porum emergit, & lucis ſuæ radios, longè latèque diffundit, eo gratiores aſpectu, quo contrariç demiſſionis voluntario appoſitu magìs elucent, & omnem vanitatis vmbram longiùs a ſe diſpellunt: ſic ſanè Thuribij Mogroueji doctrinç, & ſanctitatis fama, quam intrà çonſcientiam contegebat, &

intrà

intrà priuati cubiculi parietes sepelire pro viribus satagebat, in publicum emicuit, & per Hispaniam vniuersam percrebuit, atque in Philippi prudentis, Catholici Regis aulę secretiora penetralia irrupit: cui nimirùm oculatissimo Regi solemne fuit, quod Symmachus de Theodosio, religiosissimo Imperatore dixit; longè intendere oculos, & per immensum requirere venas bonorum, nullosque auidiùs trahere, quàm nihil desiderantes; pręsertìm ex illo Salmanticensi S.Saluatoris Contubernio, quod virorum ad omnem reipub. administrationem aptissimorum copiosum, perpetuum, & singulare promptuarium est.

Epist.18.l.5.

Quo factum, vt postpositis multorum, cùm virtutibus, tùm grauiore ętate, iuvenis Thuribius, pręter consuetudinem eatenùs obseruatam, per quam ex alioquìn ęqualibus ętate maiores pręferri solebant, sed incomparabilis probitatis, sensuum senectutis, oris reuerendi aspectus, prudentię spectabilis, ardentis zeli diuini honoris, Ecclesięque dignitatis, &, quod omnia comprehendit, morum grauitatis, doctrinę amplitudinis, & vitę sanctitatis commendatione pręcellens, ex omnibus electus est, qui in tanto rerum pondere, ac difficultate, in vrbe, & Regno Granatensi, in Neophitos Catholicę fidei censuram exerceret; munus omnium Christianę Reipub. grauissimum; in quo nimirùm, non tantùm de temporali vita, facultatibus, & fama, ęternaque salute hominum,

sed

sed de summi Dei pręcipuo in terris honore, cultuque sententia ferenda est.

Erat hora vltra montes post meridiem decima, & apud Italos in brumali solstitio quinta noctis, cùm ianua Collegij fortitèr pulsata fuit: quam, quòd aperire intempesta nocte non liceret, fasciculum litterarum, ex aula, Madrito allatum, & per foramen immissum, ad Licentiatum D. Thuribium Alphonsum Mogrouejum; Collegarum primi, qui aderant, aperuerunt, existimantes iuvenilem sodalis alicuius iocum fuisse. Cùm repe-rissent veros dignitatis titulos à supremo Inquisitionis senatu ad Mogrouejum esse, hominem adeunt, aperti fasciculi veniam deprecantur, dignitatem ipsi communi iubilo gratulantur, ac tremulum, & patientem confortant, vtque oblatam honestatem acceptet cohortantur; & obedientiæ titulo suadent, sed nondùm persuadent.

Ille siquidèm è medio se surripuit, & clausus in cubiculo, ingeminatis ea nocte flagellationibus, & producta oratione consilia sua Domino commendauit: quibus per dies consequentes adiunxit ieiunia, secumque ipse, & cum alijs pugnans, nullum non mouit lapidem, quo tàm graui onere, cui se imparem censebat, omninò liberaretur. Cessit tandem tremendi Senatus, & Regis imperio, persuasæque Collegarum rationibus diuinæ voluntati. Granatam profectus impositum sibi munus exercuit, non vt Iudex, sed vt Episcopus; paupe-

rum

rum imprimis pater effectus, verecundis præſertim egenis, & Neophytis plus tribuens, quàm officij ſtipendia, domuſque ſuſtentandæ ſumptus concedere videbantur: ſed frugalitatis cuſtos plus largiri poterat, quàm aliter viuentes intellectu percipere. Et vt parentes in filios pij, voluptati, & vanitati ſuæ ſubtrahunt, quod filiorum indigentiæ, & honeſtati conſeruant; Ità Mogrouejus per omnem deinceps vitam ratus, inopes Eccleſiaſticæ pecuniꝫ hæredes eſſe, ſe autem quaſi vſufructuarium, ſic illa ſemper vſus eſt, vt ſuæ domui merè, & modeſtè neceſſaria, tanquàm eleemoſynam, caperet; reliqua illis tanquàm debitum dominis impertiret. Sed hæc ampliùs alibi.

Cæterùm, vt erat ſeruus Dei ſincerus, Beatus Mogrouejus, ità imprimis Granatæ conuerſatus eſt, vt modeſtia morum, & cultus perſonæ, domuſque ſuæ, ac vitæ ſuprà obligationem religioſæ obſeruantia, & comitatis, grauitatiſque temperamento, omnium in ſe admirationem affectuſque rapuerit, vt eius iuventus aliorum canitiem ſuperare cenſeretur. In grauiſſimi muneris præſtatione, primas criminum delationes, neque leuiſſimas contemnebat, neque grauioribus capiebatur, dùm rem pro Iuris ordine totam cognoſceret; nè alterius leuitate, ſuſpicionibus, odio, æmulatione, vel quibus vis adiuventis nocendi modis, alterum lædat. Verè deprehenſos ſuauitèr iuſtruebat, monebat, hortabatur, vt vitæ ſuæ, famæ, & æternæ

ſaluti

ſaluti conſulerent: nèc certam diuinæ fidei veritatem, phantaſmatum ſuorum vanitati; aut veri Dei cultum, à quo, & vita, & ſalus vnicè prouenit, imaginationum ſuarum idolis ſuperbè poſtponerent: ſed renunciato Diabolo, & pompis eius, captiuarent intellectum in obſequium fidei, ſinè qua impoſſible eſt placere Deo. 2. Cor. 10. Hebræor. 11.

Pertinaces ità damnabat, vt in ſeipſum ſententiam ferre videretur; & manifeſtè appareret, lucrari omnes, non perdere quemquàm velle; & ſalutem eorum ſitire, non ſanguinem. Erat enim vt iuſtitiæ diuinæ, honoriſque zelo ardentiſſimus, ità in reos iſtos miſericordiæ, & charitatis viſceribus plenus; vt, dùm vtraque Dei miſericordiæ, iuſtitiæque norma temperaret, ſed æternum Dei honorem, temporarijs hominũ commodis præferre cogeretur, ſic in finem perfidos condemnabat, vt ipſe in eorum tormentis, & animarum imprimis damno cruciaretur, eorumque ſalutem, & mentis mutationem, carnis ſuæ ſanguinolentis verberibus, ieiunijs, cilicijs, vigilijs, & prolixis precibus Chriſto, vt ſui ſanguinis pretium, commendabat. Et aliquandò obtinuiſſe, etſi hiſtoria non referat, piè ſanè credendum eſt. Id certum, his rebus illum integerrimi Iudicis, viri ſanctiſſimi, miſerorum parentis, & Chriſtianæ perfectionis, omniſque Sanctimoniæ, doctrinę, cęterarumque virtutum ſpeculi famam (quam reliquarum rerum minimè curabat) per omnem Hiſpaniam adeptum fuiſſe:

quę , vt vmbra corpus , & solem fulgor , sinceram virtutem vbique sequitur etiam nolentem .

Huic eius æstimationi maximoperè confirmandæ fuit , quod Deus ad gloriam suam , seruique sui manifestandam perfectionis excellentiam eo tempore permisit . Disceptabatur de Iuribus Ecclesiæ, & sacri Tribunalis inter huius Ministros , & Regiæ Granatensis Cancellariæ Præfectos. Atq;horum is, qui cæteris præerat , vel zelo iustitiæ , vel vincendi cupidine , petijt , & obtinuit , vt Granatensis Inquisitionis Ministri, supremi Tribunalis authoritate , per destinatos Visitatores , Iuris ordine cognoscerentur . Omnibus ritè discussis , singuli in aliquo deprehensi sunt , et omnes ad vnum Officijs , locoque amoti , excepto Thuribio Mogrouejo , qui tàm procùl à culpa,vel minima,inuentus est , vt nemo esset , qui minimam de illo querelam , vel aduersam mentionem adferret : sed cuncti virum inculpatum , integerrimum, hominem sanctum , et omni laude præmioque dignum deprędicarent .

Quo factum fuit , vt cùm priùs vltimum intèr Iudices locum , tanquàm ætate iunior, et qui posteriùs accesserat , obtinuit ; tunc nedùm loco non moueretur , sed cæterorum omnium , qui nouitèr constituti fuerunt,primus, & Præfectus Tribunalis euaderet : totaque eum Ciuitas , Neophiti paritèr , & veterani fideles euidenti hoc documento in pristina opinione firmati , amarent vehementiùs , & ampliùs venerarentur , miraretur Hispania , & pruden-

dentissimus Rex Philippus, aulæque Senatus omnes, supremus præsertim sanctissimæ Inquisitionis, ad quem res propiùs pertinebat, in delitijs haberent.

CAPVT XIII.

Eius œconomiæ, domesticæque disciplinæ, tùm hìc, tùm Limæ ratio.

GRanatæ domum regere, & familiam alere debebat Inquisitor Mogrouejus: in qua re eas œconomiæ rationes instituit, quas per maximam animi tranquillitatem, & securitatem conscientiæ, summa sui laude, & maiori meritorum cumulo, amplioreque profectu perfectionis, per totam deincèps vitam, etiam Archiepiscopus, obseruauit. Atquè hæc in eo solemnis fuit perseuerantiæ sanctæ prærogatiua, & clarum prudentiæ specimen; vt nihil rerum ad perfectiorem vitam conducentium vnquàm semèl statuerit, quod vsquè ad finem non obseruasset, & omni status ipsius mutationi non conueniret. Quinquennio illo, per quod, antè Collegij Ouetani ingressum, defuncti patrui domus curam egerat, didicit experientiâ, quantum detrimenti huiusmodi œconomicæ rei solicitudo suis litterarum studijs, & multò plus vitæ spiritualis profectui afferret.

Didicit monente S. Bernardo: summis occupatum, infimis non intendere, & quasi Ministrum fieri; Lib. 4. de Consid. ad Eug.

fieri; nèc minimis impendere, quod maximis debetur. Nèc Epiſcopo turpiùs quidquàm eſſe, quàm incumbere ſuppellectili, & ſubſtantiolæ ſuæ; ſcrutari omnia, de ſingulis morderi ſuſpitionibus, moueri ad quæque perdita vel neglecta: ſcrutari quotidie omnem ſubſtantiam ſuam, numerare ſingula, de minutis, & quadrantibus exigere rationem. Quapropter, cui iam conſtitutum fuit, litterarum, & Sanctimoniæ ſtudia nunquàm deſerere, præſertim in munere Inquiſitionis, quod vtrumque magnoperè, & altero curæ paſtoralis, quod pro obligatione ſtatus iam acquiſitæ perfectionis, maximè depoſcit, dùm iſta per ſe ageret, & Bernardi ſententia oportebat procurare, quem illis implicaret, eaque per ſe abſque ipſo faceret; vacuus quippè prorſus, inquit, à ſolicitudine rerum minimarum, & vilium, oportet eſſe animum tàm magnis, & multis intentum rebus.

Vt id aſſequeretur Thuribius, quod & animæ procurandæ, & impoſiti muneris integritati neceſſarium iudicabat, virum imprimis omnibus numeris abſolutum domui ſuæ, & familiæ præficere ſtatuit; quo ſecurè ſe omnium illarum rerum cura, & ſollicitudine, ſine vllo domus detrimento eximeret. Nequè de perſona præficiendi diù deliberandum fuit: Erat quippè noſtro Inquiſitori, & Archiepiſcopo ſororis coniux, vir nobilis, Franciſcus Quinionius arcto ſanguinis vinculo coniunctus, & Grimaneſa, ſoror, eiuſdem Franciſci vxor,

par

par personarum omni exceptione maius; quarum iam nos antè meminimus. Erat Grimanesa fœmina selectissima, proba, pudica, prudens, & pia, ac domui, cum omni virtute bonæ matrisfamilias, præesse sciens. Erat Franciscus vir integerrimus, non imparibus pietatis, & prudentiæ dotibus insignis: vterque Thuribij amantissimus, et omni eius nutui paratus; atquè adeò in rerum administratione fidi, vt crimini sibi haberent, si vel obolum Ecclesiasticæ pecuniæ in proprios, vel alienos vsus conuerterent, quàm quibus per Deum, et servum eius Thuribium, pro sacrorum Canonum rigida obseruatione destinata sit.

His ergò ad se vocatis omnem temporalem vniuersæ domus administrationem tradidit, et ipse tanquàm in aliena domo, non alitèr quàm in Ouetensi Collegio, cum illis habitabat. Solam egenorum curam, et eleemosinarum dispensationem, quæ sacris Præsulibus propriæ sunt, sibi, et alijs Ministris ad hoc ipsum deputatis reseruans; quanquàm extrà ordinem magnas, non raró, summas huius generis Quinionio imperare soleret, quarum posteà rationem exponemus. Qui domesticis temporalis obsequij ministerijs necessarij erant, hos admittendi, regendi, demittendique curam, et cogitatum Francisco, tanquàm domus Præfecto commisit. Qui verò pastoralis officij negociorum participes essent, Iudices, Examinatores, Sacellanos, Secretarios, Camerarios, et, pro consuetu-

dine

dine patriæ, Ephebos iuvenes, ipsorum educationi, et parentum leuamini magìs, quàm obsequijs Archiepiscopi adscitos, ipse sibi, pro cuiusque muneris qualitate, tùm genere, tùm virtute egregios, vel in Synodo, vel priuatìm, non sinè matura deliberatione, et cognitis personarum dotibus, adhibebat; nèc semèl probatos facilè dimmittebat, nisi quandò pro meritis ad maiora proficerent.

At verò, nè sanguinis propinquitas, vel ipsi Sancto Præsuli conscientię scrupulum, vel externis suspicionem pareret: quantumuìs Quinionij probitatem, & fidem compertissimam haberet: vt tamen omnem sinistræ suspicionis ansam tolleret, & conscientiam suam apud Deum, & famam apud homines redderet certissimam, curabat vt Franciscus affinis, & consobrinus, per singulos annos, Prouisori Metropolitanæ Sedis, & Vicario Generali suo, ac simul duobus Regularium Ordinum Superioribus, distinctas, exactasque dati, & accepti rationes redderet. Et ijsdem his Exactoribus conscientias onerabat, eosque grauissimis verbis obtestabatur, & obstringebat, vt aduerterent, quam ipsi rationem Deo reddituri essent, adeòque rationes Archiepiscopalium reddituum diligentèr inspiciant; scientes eos non ad ipsum, sed ad pauperes, vt aiebat, proprio iure pertinere: omnemque in hoc negotio humanum respectum procul abijciant.

Hanc Archiepiscopi domus curam gessisse Franciscum Quiñioniú, postquàm ille Archiepiscopatú su-

susceperat, ipsumque cum vxore, & liberis ex Hispania Limam comitatum fuisse certum est. Verùm non tùnc primùm adscitum, sed hoc ei muneris Granatæ, ab Inquisitore Mogrouejo commissum fuisse, vel indè satìs innotescit, quod in actis Canonizationis Romæ impressis reperio, vbi D. Mariana de Guzman, & Quiniones, Francisci, & Grimanesæ filia, & neptis Thuribij, tùm grauis matrona, & ætatis annorum octuaginta, quandò multa copiosa, & grauia testimonia, Auunculi vitę, & virtuti in actis deposuit, causam scientiæ suæ inter alia profert, quòd in Thuribij domo Granatæ nata fuerit, cùm ille in ea Ciuitate Apostolicus fidei Quęsitor esset; & cùm Archiepiscopus in Peruuiam migraret, inter alias familiæ personas ipsa fuerit, cum dictis suis Patre & Matre, qui Thuribio sempèr in propria ipsius domo, vt illa testata est, assistebant.

Ea verò vniuersæ familiæ cura præcipua Inquisitori, & Archiepiscopo fuit, vt mundanis rebus, & publico se, quantum negotia paterentur, abducerent, vt vitia, præsertìm auaritiam, discordiamque oderint, virtutes omnes, maximè temperantiam, morumque modestiam, & Christianæ vitæ perfectionem, bonorumque operum exempla sectarentur. Deum ex animo colerent, & proximos diuina charitate diligerent, & iuuarent, ignorantes docerent, ad virtutem prouocarent: domum enìm Episcopi decet sanctitudo, & cæterorum be-

nè viuendi norma esse debet. Domum Inquisitoris summa, cum comitate, grauitas, modestia, pietas, pax, patientia, charitas, & maxima munditia manuum, vt quæ fidem exigit opera fidei manifestè præbeat. In quem finem doctos, & pios viros, ex Ecclesiasticis, domi alebat, quorum nonnulli ad magnas dignitates è Mogroueji domo, ac disciplina emerserant, & dies suos in illis honoribus, vt ipse Thuribius, tanquàm peregrini in hoc seculo, cum sanctitatis opinione felicitèr finierunt.

Grimanesa Præsulis soror, & Materfamilias, non domesticum alebat puellarum gynæceum, non aduenarum frequentiam garrula vanitate attrahebat; quanquàm alioquìn modestis matronis comis & officiosa; sed paucas habebat ancillas, suis ac filiarum obsequijs, & muliebribus domus officijs necessarias. Harum, nescio quæ, vna virum quempiam, vel allocuta liberiùs, vel arrisisse ei semèl deprehensa, tota domo exulare debuit. Nàm Thuribij parietes, vel minimum nutum lasciuiæ continere non poterant. Filias ipsas tres, per annos quatuordecim, in Cœnobio Limensi, seculari habitu, educari oportuit. Seculares autem viri, quos Thuribius in familia habuit, imò & nigra mancipia singularis modestiæ, virtutis, & boni exempli nomen, & famam per vrbes, & prouinciam adepti sunt. Et omnes denique satis ad commendationem habuerunt, quod in Sancti Archiepiscopi domo ad Domini votum pro tempore seruijs-

uijſſent. Eorum & numerus copioſior, & plerorumque qualitas maior, pro ratione munium, & dignitatis decore, in Archiepiſcopatu, quàm antè fuit.

Domus ipſa Archiepiſcopalis, pro ſtructuræ Limanæ conſuetudine, ampla, & honeſtiſſima, Cathedralis Eccleſiæ lateri iuncta, et fori maximi proſpectu illuſtris; ſed quem Thuribius, quandò pro ſpectaculis gratior eſſet, occluſis feneſtris, familiæ prohibebat: ipſe tunc maximè in ſecreto receſſu, tanquam Iob pro conuiuantibus filijs orationi inſtans, nè quid mali inter ludendum populo accideret. Domus parietes ſericis auleis ornabantur; ſed quos Epiſcopus nonnunquàm clàm denudabat, vt nudos pauperum Chriſtianorum humeros operiret. Lectus commodis, ornatuque, Eccleſiaſtico Principe dignus; ſed in quo Mogrouejus nunquàm decubuit. Menſa pro accumbentium honore, ſplendida: ſed in qua cùm cæteri epulari poterant, ſolus Thuribius quotidiè ieiunabat, et ex qua (nam in aula patula, aduentantibus peruia, ſternebatur) pauperum Indorum ieiuna viſcera, per fercula proprijs manibus Antiſtitis porrecta, reficiebantur.

Seppellex argentea; ſed cui nullus fur, præter Thuribium timebatur; qui vel cum cibis palàm donabat orbes, vel candelabra per feneſtras ad pauperes occultè proijciebat, vel argenteas cruces, quæ per prouinciam præferebantur, cæteramque

ſuppellectilem pauperum presbyterorum altaribus relinquebat. Ipſe interìm ligneis, et paupertatis titulo pompoſus; terras priùs diabolo deditas expugnaturus, vt qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur. Sic Apoſtolicus hic Præſul, ſanctum Bernardum iterùm dicentem, audiens; procurandus quem implices, qui pro te molat, prò te dico non tecum; quędam enim per temet facies, quædam per te et alios ſimul, quædam per alios et abſque te: ſic per eum hæc obſeruata ſunt, ac ſi ipſi, vel ſoli, vel præcipuè dicta fuiſſent, monaſtica per ſe, œconomica per alios, politica per ſe et alios exercebat.

Pręf. Miſſę S. Crucis.

Quanquàm etenìm animarum regimen, et ſolicitudo Eccleſiarum ſummi meriti ſit apud Deum; ſed qui domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodò Eccleſiæ Dei diligentiam habebit; vel etſi vtrumque rectè peregerit, quid prodeſt homini ſi totum mundum lucretur, animę verò ſuę detrimentum patiatur. Tria ergò hęc Epiſcopo neceſſaria ſunt, magna cura domus, maior gregis, ſed animę ſuę maxima, primam per alios, ſecudam per ſe et alios, tertiam per ſe ſolum agere.

1. ad Tit.

Matth. 16.

CAPVT XIV.

Archiepiſcopatui ſuſcipiendo quantum reluctatus. Qua ratione perſuaſus. vt conſentiret:

LVſtrum iam, paucis menſibus minus, in Granatenſis Inquiſitionis officio egerat Beatus Thu-

Thuribius, quandò per ſex circitèr annos, poſt mortem Fr. Hieronymi Loayſæ, primi, & probatiſſimi Archiepiſcopi, ex ordine Prædicatorum, paſtore viduata fuit Eccleſia Metropolitana Limenſis, in America Meridionali. Eam plures interìm ſibi appetebant, & adeptus eſt, expeditis etiam Pontificijs Diplomatis, Didacus Gomez à Madriz: qui cùm deindè mox ad Pacenſem in Hiſpanijs Epiſcopatum, vulgò Badayoz, translatus eſſet, Limenſis iterùm continuò vacauit, eiuſque noua prouiſio, vt res maximi momenti, in regio rerum Indicarum Conſilio, diù, multùmque diſcutienda fuit, expeditæque, vt conſueuit, ad Præſules prouinciarum Hiſpaniæ, Regiæ litteræ; vt, quem nouiſſent ei muneri maximè idoneum, hunc ſuæ Maieſtati per litteras indicarent.

Inhæſit Senatorum, atquè ipſius Regis animo celebris fama Thuribij, tàm procul ab appetitu dignitatis, vt an Lima, Peruuia, vel India in Orbe terrarum eſſent, nè cogitaret quidèm; ſed eo prorſùs inſcio, rem non ſegnitèr vrſiſſe cenſetur Didacus de Zuniga, ipſe quondam Ouetani Salmanticenſis Collegij ſocius, & regij Granatenſis Senatus Auditor, qui Mogroueij ſapientiam, & ſanctitatem, doteſque omnes expertus vtrobiquè fuit, ac tùm, cùm hæc tractarentur, Indiarum Conſilij Aſſeſſor erat. Sed vndecumquè venerit, à Deo proculdubiò profectum eſt, vt Thuribius nihil petens, & rei omninò ignarus, competitoribus

omnibus prælatus, & Limensis Archiepiscopus, communi Senatus consulto decretus fuerit. Placuit res prudentissimo Regi, qui Mogroueji dotes perspectas habuit, nèc alius melior ei visus est, quem ex Granatensi Neophitorum in Hispania, iusto, pio, prudenti, zelante, docto, & sancto, probatæque fidei Quæsitore, Neophytis Peruuianis Archiepiscopum Romano Pontifici præficiendum offerret, quod lætus, & lubens fecit.

Atquè imprimìs electus ipse Metropolita, misso Regiæ voluntatis decreto, monitus est, vt suscepto huic oneri, prò Dei gloria, & Ecclesiæ illius vtilitate, & animarum salute humeros suos ferendo summitteret. Sed ad inopinatam rei nouitatem territus, & tremens Thuribius, qui animæ suæ ad cœlestes fructus excolendæ, maiori cura, quam vllius dignitatis humanæ, ne dùm talis, ac tàm innumeræ gentis, qua forsitan sub nullo tùnc Archiepiscopo copiosior, in remotissima orbis regione regundæ cogitatu tenebatur, illicò rescripsit summas gratias Regi, & Excellentissimo Senatui, pro ipsorum in se beneuolentia: se tamen nequè dignitati idoneum, nèc ponderi sustinendo parem, assentiri, impellente conscientia non posse; Regiam proindè Maiestatem humilitèr orare, vt id oneris in præstantem aliquem virum transferre velit.

Hæc responsio ex alio quopiam, & ad alium Principem data, ingratitudinis ergà Regis beneuolen-

len-

lentiam, contemptus iudicij grauissimi Senatus, ac recusantis temerariæ animositatis suspicionem parere posset; sed ex Mogrouejo ad Philippum non poterat, cui prudentissimo, pijssimoque Principi Thuribij sanctitas. & sincera humilitas satis superquè innotuit. Proindè constantem hominis virtutem admiratus Rex rescribi iussit, vt menses tres rei deliberandę caperet, Deumquè instantiùs oraret, vt Regis, ac Senatus, suamquè mentem eò dirigeret, quod diuinæ Maiestatis obsequio, & animarum saluti maximè conducere sciret. Intereà Rex ipse Apostolica Gregorij XIII. Pont. authoritate rem Romæ expediri curabat; vt, si Thuribius alia ratione persuaderi non posset, obedientiæ vinculo cogeretur. Thuribius autèm ad antiquas artes conuersus, ieiunia, vigilias, cilicia, flagellationes, & preces, vel nùnc maximè coaceruabat, vt intelligere posset, quæ esset voluntas Dei beneplacens, & perfecta, cui se ex intimis visceribus committebat, rogabatquè seriò, vt inidoneum oneri tantis periculis eximere dignaretur:

Fortitèr etiàm amicorum suadelis pulsabatur; maximè verò, maiorum Collegij Salmanticensis, qui non parui honoris accessionem indè suo contubernio prouenturam censebant. Nèc minùs vrgebant sanquine propinqui, præsertìm qui domi aderant. Quiñonius & Grimanesa. Qui timendam potentissimi Regis iram, qui senatus perdendam beneuolentiam commonebant; qui boni nominis

minis iacturam, à pertinacia mentis, à duritia cordis, ab animi vilitate minitabantur. Qui ingratitudinem ergà parentes, & patriam, ergà nobile Collegium, & gentem totam Mogrouejam exprobrabant; tanquàm qui obuium, oblatumquè hunc illis honorem inuideret. Sed nihil horum Thuribij constantiam debellare poterat: cùm ea cuncta non nisi ambitionis irritamenta diceret, Deum magìs timendum, quàm Regem, cœlestemquè aulam, præ Senatu Indiarum respiciendam esse, omnes honores humanos, ęternùm in Cœlis duraturę glorię, omnia emolumenta, animę suę saluti postponenda esse; non proindè horum certa pericula, pro illorum fallaci spe; ineunda esse: quasi cùm Petro Blessensi dicere vellet: licet parentibus debeam affectionem naturalem, (licet Collegio debeam educationèm); sed illud non debeo, vt pro eis me perdam. Curam animarum, & Ecclesiarum regimen angelicis humeris formidanda esse, ipsi pręsertìm, qui suos, nèc minori ponderi sustinendo sufficere existimaret, nèc Indorum linguam calleret, nèc mores nosset.

Epist. 26.

Greg.

Alia ergò via suasoribus ineunda fuit; alijsque machinis vtendum, vt in via Dei constantissimum pectus Mogroueji expupnare possent. Dicebant igitur, eum, non tàm ad honorem, quàm ad laborem vocari, nèc ambitionis crimen timeri posse, vbi nulla dignitatis appetentia esset, nullum

ab

ab eo interpositum eius adipiscendæ studium, qui vocabatur vt Aaron, matura deliberatione Consilij, & voluntate pijssimi Regis, cui præstò esset Romani Pontificis & sententia, & præceptum: quibus qui parere nollet, inobedientiæ scelus ei timendum fore: nèc dubitandum de auxilio diuinę gratiæ, qui, ex Diui Augustini sententia, eis, quos nihil ambientes, nihil petentes, ipse ad gubernia vocat, copiosum gratiæ suæ munus ad rem rectè peragendam conferre solet, & facere cum tentatione prouentum: vt Moysi fecisse fides Catholica docet. Hic non agi de educendo ex manibus Pharaonis populo Hebraico; sed, quod magis Deo gratum est, de eripiendo è potestate Diaboli, & cultu Idolorum infinito Indorum populo, pro quorum salute dulcis patria deserenda est, subeunda maris terræque pericula. Si existimaret Granatæ pro tuenda Chisti fide promereri cœlum, id incomparabilitèr in Peruuia magis futurum in eadem inter Barbaros propaganda: de nouo mundo redimendo tractari.

In eo negotio veram filij Dei sequelam esse, qui de sinu patris descendens, carnem doloribus laboribusquè obnoxiam suscepit, vt omnem carnem saluam faceret: proindè cauendum ipsi Thuribio nè vocantem Christum sequi detrectet. Hic amplissimum ipsi charitatis campum aperiri, vbi non solum curandis animabus exerceri possit, sed etiam iuuanda calamitate afflictissimorum Indorum,

quos

quos & locupletiſſimæ ſedis Antiſtes ſpecunijs ſubleuare poſſit, & authoritate Pontificia ab oppreſſionibus tueri: aduertendum, nè ſtrictiorem rationem Deo prò ipſorum animabus, corporibuſque redditurus ſit, eorum curam abijciendo, quàm ſi eandem agendo, prò humana fragilitate in aliquo deſit. Deinde in ſuis obſequijs, à nobis non velle, vltrà id, quod cum ipſius gratia poſſumus. Si adeò vehementèr martyrium ſubire cuperet, ac ſepè ſignificabat, nullam, vel optari, vel offerri poſſe eius rei certiorem, vel magis legitimam, approbandamque occaſionem, quàm ſi infidelium ad fidem conuertendorum curam, ex apoſtolica miſſione, & mera obedientia ſuſciperet, animam ſuam poſiturus prò ouibus ſuis. Denique Patrum ſanctionibus, pari culpa teneri, & obnoxium eſſe, qui vocationem Dei præuenit, & qui recuſat oblatam. Qui periculum peccati timens renuit Eccleſiæ gubernium, ampliùs peccare; quam ſi populum Dei, velut in fluctibus poſitum, & periclitantem, cum iuuare poſſit, ſubterfugit. Et contra Iuſticiam eos facere, qui merito ſuæ conuerſationis, vel eruditionis electi, otioſum ſtudium fructuoſæ vtilitati regendę multitudinis anteponunt; & cùm poſſint laboranti Eccleſiæ ſubuenire, operoſæ adminiſtrationis laborem, fruendæ quietis contemplatione refugiunt.

S. Clemens.

S. Proſper.

Tunc Thùribius, qui nihil magis formidare conſueuarit quam omnem ſpeciem peccati, nihil cu-

cupere vehementiùs, quàm Christum ad crucem, & sepulchrum sequi, animamquè suam, & omne studium pro catholica fide, & ovium Christi sanguine redemptarum salute profundere; secundis his rationibus, quæ nihil humanum saperent, nullo temporali commodo, nulla vanitatis elatione fulcirentur, cessit tandèm, & seipsum holocaustum Domino consecrauit. In quo non minùs emicuit eius humilitas, & prudentia, obedientia, & charitas, quàm dùm suis rationibus fugeret dignitatem. Prudentis enìm ęquè est, nèc temerè rem grauissimam suscipere, & ea maturè deliberata, mutare consilium: & humilis, aliorum potiùs, quàm sua sensa sequi: & obedientis, obtemperare maioribus; & hominis Dei, proximorumquè charitate conspicui, animam suam pro fratribus ponere, & crucem tollere pòst Christum.

CAPVT XV.

Profectioni se parat. Sacris Ordinibus initiatur. Abrahæ assimilatur. Regijs fauoribus ornatur. Archiepiscopus consecratur. Prosperè transfretat. Mortis periculo per miraculum eripitur. Solemni lætitia Limæ excipitur.

ITàque Granata Madritum profectus, gratias Regi & Senatui pro eorum in se beneuolentia

reddidit; seque, vt aiebat, Dei & hominum auxilijs egentem, & Ecclesiam sibi commissam ipsorum assistentię, zelo, pietati, & fauoribus commendauit: omnem quippè spem rei benè gerendę, pòst Deum, in eis sibi sitam, positamquè esse. Indè Maiorgam, in patriam perrexit, vt ciues, & sanguine propinquos, non ampliùs videndos, vltima salutatione impertiret. Sèd præ omnibus, vt matrem optimam, et senem, ac viro viduatam, sèd Thuribij, & Grimanesę binę prolis abscessu doloroſiùs orbandam, sacris monitis consolaretur.

Erat tùm Thuribius, etsi pro Canonici Iuris professione, & Ecclesiastici muneris Quęsitoris fidei ratione togatus, sèd nullo Ordine clericali, prętèr primam tonsurā initiatus. Reuersus est ergò Granatam, reliquos minores Ordines accepturus; cùm Archiepiscopus Granatensis eas vna die conferre voluisset, Thuribius, canonicarum sanctionum obseruantissimus, non, nisi quatuor Dominicis diebus eos suscipere voluit. Per sacros hinc Ordines, sacerdotio demùm ibidèm donatus est, ad honorificum titulum Archiepiscopatus Limensis. Et celebrata priuatìm prima Missa, mòx Hispalim, in Indias indè nauigaturus perrexit, vbi Regia Classis Indiarum ad profectionem parabatur.

Diceres audisse, fecisse, & accepisse Thuribium Archiepiscopum ea, quę Deus Abrahę Patriarchę
Genes. 12. dixit, pręcepit, & promisit. Egredere de terra tua,

&

& de Cognatione tua, & de domo Patris tui, & veni in terram, quam monstrauero tibi. Faciamquè te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisquè Benedictus: Benedicam benedicentibus tibi, atque in te benedicentur omnes cognationes vniuersæ terræ. Quę sanè Mogrouejo sic euenisse, totius eius vitæ historia testatur. Egressus est enim Thuribius, sicut præceperat ei Dominus: tulitquè secum selectissimam sororem suam Grimanesam, & integerrimum coniugem eius Franciscum Quiñionium, vniuersamquè mobilem substantiam, quam isti possederant, & animas, quas in Inquisitoris Thuribij domo fecerant Granatæ.

Atquè, vt Beati Archiepiscopi benedictiones illicò inciperent, adeò placuit Regi, & Indiarum Senatui sanctitas, & sapientia Thuribij, eiusquè prudens, humilis, & prompta obedientia, expeditaquè rerum executio: quodquè primus fuerit Indicorum Præsulum, qui in Hispania consecratus illùc iuisset; vt tantæ virtutis exemplum solemnius celebraturi, multis eum & insolitis beneficijs ornauerint. Atquè imprimis Pontificiorum Diplomatum Executoriales regiæ, teste Pinello expeditæ fuerunt decimo die mensis Iunij anno 1579. Mòx decretum, vt viginti duos familiares, & nigra mancipia sex, suppellectilem domus pretij quatuor millium ducatorum, gemmas autèm, & elaboratum argentum, pretij ducatorum bis mille,

totam quoquè suam bibliothecam, omnia, regijs iuribus, & quibusuis vectigalibus absoluta, liberè transvehere posset. Et ijs transvehendis iussum, vt vna ex maioribus classis nauibus ipsi concederetur. Deniquè regio Chirographo præceptum est, vt Thuribio, pro sua habitatione, & Metropolitana residentia statìm atquè Limam appelleret, ædes Archiepiscopales apertæ, & sinè vllo impedimento liberę in promptu sint. Et altero Chirographo regio Peruuiæ Proregi iussum, vt eius familiaribus (quod alijs Indiarum Præsulibus concessum non reperitur,) ex conquisitis Indorum possessionibus lares, & latifundia distribuat, & assignet cuiquè propria; præter magnam pecuniarum summam Limæ illi conferendam.

Omnibus ad nauigandum dispositis, noster Archiepiscopus Hispali cõsecratus, ex Hispania cũ suis omnibus discessit, in regia classe anni 1580, & omnibus saluis, prosperè, & bono omine appulit ad Portum Nominis Dei, in America, per Oceanum nostrum Athlanticum. Indè verò isthmus terrestri itinere traijcienda fuit; ad vrbem Panamam in mari pacifico, vulgò *del zur*; cuius itineris asperitatem, & pericula descripsimus in notis ad apparatum historicum, quem præfiximus nostræ Limæ limatæ: Sèd hìc omittere non licet discrimen vitæ Thuribij, & an prodigium, an cœleste præsagium secutæ ipsius felicitatis.

Vadum fluminis Chagræ iumento insidens traijcie-

ijciebat, cùm, nescio quo casu, certè disponente Deo, territa bestia Archiepiscopum in aquam decussit, longè infestam truculentis animalibus quos Indigenæ *Camaynes*, nos vulgò Crocodilos vocamus, mole immani, ac tantis viribus, vt tauros ad ripam bibentes in fluenta viuos trahant, & aquis præfocent, deindè in terram retractos deuorent, & homines nonnunquàm absumant. Horum duo strepitu iumenti, & sessoris lapsu concitata, patulo rictu currunt ad prædam, vtramque voratura, sed sanctus vir, perpetua præsentia Dei, sibi præsentissimus, inuocato numinis auxilio, stupere belluas, & stare fecit, & ipse liquido elemento miraculosè sustentatus est, dùm ad alteram ripam incolumis euasisset; vt ea de belluis prima diuinitùs reportata victoria præsentiret, se fortiùs de Peruanorum ferocia, sæpiùsque triumphaturum. Ideò fortassis duo erant, vt Ecclesiæ paritèr, & seculi homines, vel gentiles, & christiani vincendi prænunciarentur; quod euentus postmodùm demonstrarunt. Gratijs igitur actis Conseruatori Deo, Panamam peruenit, atquè indè per mare in Peruviam.

Eò præcessit celebris fama sanctitatis noui Præsulis, disciplinæ, & modestiæ familiæ, & ordinatissimi eius regiminis: qua in omnium animis, cùm summo gaudio, concitata est firma spes, vt qui domui suæ tàm benè præesse sciret, eum proculdubiò tantam Ecclesiæ Limensis diligentiam habiturum, vt & Christi fides, & Ecclesiastica di-

sci-

ſciplina ad Eccleſię primitiuę normam, & perfectionem per eundem reſtituendę, formandęquè forent. Quapropter vt ipſum condigno honore exciperent, imprimis omnes vrbis vias, per quas tunc procedendum erat, ditiſſimis auleis, & periſtromatis veſtierunt, ornatiſſimis aris per interualla diſpoſitis. Deindè tota Ciuitas, qua ſacra, qua ciuilis, ordine ſupplici, obuiam iuit ad Eccleſiam S. Lazari, quę extrà vrbem, vltrà fluuium eſt, vbi eum tantiſpèr ſiſtere rogarunt.

Indè per pontem in vrbem, ſolemni ritu, et pedeſtri pompa, quoniam equeſtri non voluit, ſub conopęo, ad forum maximum ductus eſt, et in Cathedrale ſuum templum introductus, vbi Pontificij ſui poſſeſſionem, ritu in Romano Pontificali pręſcripto, accepit. Dùm per viam procederet, et obuium vbiquè populum Epiſcopali benedictione impertiret, mirus erat cordium iubilus, et vocum fauſtę acclamationes, nec multi lętitię lachrymas continere poterant, dùm Paſtoris pręſentia, Angelicus vultus, ac totius corporis modeſta compoſitio ſuperaſſet opinionem, et famam, internoque motu mentium pręſentiret populus, non vulgare aliquod pręſagium felicitatis ſuę; quod falſum eſſe non ſiuit pręclara virtus Thuribij.

Hęc autèm acta ſunt, vigeſimo quarto die menſis Maij anno 1581. et ętatis ipſius quadrageſimo tertio, pòſt mortem Hieronymi Laoyſę, (quam obijt 25. Octobris, anno 1575.) vacante ſede Limenſi,

mensi, et viduata pręsente Pastore per annos quinque, & menses totidem. Cùm vltrà viginti dies priùs, eandem vrbem Limensem intrasset nouus Peruuiæ Prorex, Martinus Henriquez, ex noua Hispania illùc translatus; vt eodem mense Ciuitas Limensis bearetur geminata lætitia, & sanctissimi Præsulis, & consultissimi Prætoris.

Alij Thuribianarum rerum scriptores Limam ipsam, & vniuersam Prouinciam hoc loco latè describunt. At nos id opportuno loco præstitimus, qua breuitate non lassaremus lectorem, qua integritate nostræ scriptionis institutum postularet. Nèc visum est, exemplarem Archiepiscopi nostri, quam hic profitemur, historiam interturbare naturalium rerum coaceruata narratione; quanquàm nec eas omissuri simus, cùm ipsius vel præstiti officij vel, virtutum, aut portentorũ opportuna explicatio id à nobis exegerit, eas præsertim quæ ad Ecclesiæ temporalium rerum prouidentiam, vel Cleri populiquè animarum curam viciniùs accedere videbuntur. In Appar. Limæ limatæ.

CAPVT XVI.

Episcopalis curæ summa capita. Thuribius cæteroquim idoneus, generalem Indorum linguam studio discit, prouinciales dialectos Dei donodoctus. Cognoscendæ gregis, & ordinandæ Diœcesis initia. Cuius tùm status describitur.

VT, quod præsens est, iam prosequamur. Tres res Episcopo necessarias, vt officio suo

per-

perfectè fungatur, summo studio curabat Mogrouejus, quæ christianæ moralis vitæ partes omnes complectuntur, vt etenìm oportet Episcopum irreprehensibilem esse, iustum, sanctum, &. seipsum præbere exemplum bonorum operum; necesse est, esse domui suæ benè præpositum: Deniquè Dei dispensatorem, rectè imperantem, & vigilem speculatorem in præsenti populo, id est, monasticam, oeconomicam, & politicam simùl vitam ducere: siuè vt priuatæ vitæ rationes, per proprios actus, ad æternam felicitatem assequendam sic dirigat, vt domus, & familiæ curam, per alios saltèm agendam, non deserat: & hanc iterùm sic agat, vt traditum sibi Rempublicam, tanquàm solus rationem pro subditorum animabus Deo redditurus, per se atquè alios regat.

Plusquàm dimidium facti habuit Mogrouejus, cùm Limani Archiepiscopatus curam suscepisset; quandò, penè puer, tàm sapientèr incœpit, vt eas vitæ suæ benè degendæ regulas instituisset, quibus per solam perseuerentiã, quæ in ipso vsquè ad finem constantissima fuit, insignis sanctus non tantùm esset; sed etiam, tametsi nolens, passìm haberetur: Et Granatensis fidei Quæsitor, eas domus suæ gubernandæ rationes constituit, quibus etiam Archiepiscopo nihil restabat addendum, prætèr ampliorem numerum familiarium, quem amplior dignitas, & officiorum accessio requirebat. His ergo curis liber, & securus, ad propriæ imprimìs Diœcesis

cesis procurationem se totum applicuit. Quam vt eximiè præstaret, partes omnes ad rem accommodatissimas possidebat: præcellentem animi sapientiam ad omnia rectè disponenda, & docendum Clerum, populumque fidem, & mores; ingentem voluntatis ardorem, & zelum salutis omnium: ætatem, & corporis valetudinem sustinendis laboribus aptam, quantum crebra ieiunia, & cæteræ carnis vltroneæ macerationes permittebant.

Sola peregrini idiomatis ignoratio, catichizandi, & prædicandi muneribus, Episcopo proprijs, obsistere videbatur: sed, vt volenti nihil difficile; adhibito Didascalo, tanto studio, & labore, ac puerili propemodùm exercitatione, generalem Peruanorum linguam, cæteroquì difficillimam, quam *Quechuam* vocant, breui temporis interuallo sic apprehendit; vt satìs expeditè, & mira facilitate, & facundia, publicè pro Concione dicere potuerit. Quod, qui cum ipsius ætate, dignitate, & occupationibus comparant, non absque singulari numinis præsidio factum credunt.

Sed euidentius eius rei, & superni doni linguarum argumentum in Thuribio fuit; quòd cùm apud Peruuianos populus ferè quilibet propriam suam linguam vernaculam habeat, non sola pronunciatione, sed rerum etiam nominibus, verborumque formis à reliquis diuersam, & apprehensu difficilem; Thuribius tamèn, cùm, vel charitas postularet, vel vrgeret necessitas, vel occasio quæ-

uis præstandi numeris sese offerret, proprio cuiusque sermone cum singulis loqueretur, ac eos vicissim loquentes perciperet. Et quanquàm Conciones, quas frequentes habebat, non nisi Quechuao barbaris Indis ignoto, vel Castellano haberet, vel quandò S. Scripturę verbis latino, ij, qui linguę qua dicebat alioquìn expertes erant, ipsum tamèn dicentem, quod sępè contigit, explicatè percipiebant, & latinè, vel Hispanicè dictis appositè respondebant, vt sancti olim Apostoli dùm.

Breu. Rom. in fest. Pentec. psal. 18. Actor. 2.

cunctis gentibus,
Græcis, Latinis, Barbaris,
Simulque demirantibus
linguis loquuntur omnium.

Ergò nouus noster Archiepiscopus omnibus numeris, ad Hispanorum paritèr, Indorumque regimen absolutus, Summum Pastorem, & Episcoporum normam imitari statuit, quem ex Euangelio prouocantem audiuit: Ego sum Pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meę, &: Bonus Pastor animam suam dat pro ouibus suis. Et: alias oues habeo, quę non sunt de hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus pastor. Has enìm Christi sententias non tanquàm se laudantis voces, sed tanquàm regulas Episcopis, & animarum Pastoribus ad imitationem propositas intellexit;

Ioan. 20.

lexit; ac sibi maximè, qui & oues iam in ouili, seu gremio Ecclesię, per baptismi Sacramentum positas habuit, & alias extrà ipsum eatenùs in ipsorum gentilitate relictas, quas oportebat adducere.

Igitùr, quoniam Medicus corporum, qui non cognita conditione patientis, languentem ventriculum curaturus, ea ingerit remedia, quorum incendio hepar consumitur; ità qui morbis mentium, & morum cupit mederi; si id, non indagata priùs harum constitutione, tentet, temerè vterque, atquè, ad ruinam potiùs, quàm restaurationem operari censetur. Ea pericula, vt pręueniret prudentissimus, idemque sanctissimus animarum curator Mogrouejus, vt oues suas probè cognosceret, vniuersę primùm Diœcesis amplitudinem, et statum, populorum multitudinem, et conditionem, Cleri pręsentis numerum, qualitatem, et munia, Ecclesiasticorum reddituum quantitatem, et obuentionis modum, sibi à pijs, prudentibus, et peritis hominibus per ordinem describi fecit: vt quid cuique tribuendum esset, & vndè quærendum sciret. Cæteri verò quibus artibus pro humorum constitutione, & moribus, vel ad fidem trahendi essent, vel tracti in officio continendi.

Hac adhibita diligentia reperit Mogrouejus prouinciam omnem eo statu fidei, & morum, quo nollet: & nouam sponsam suam Ecclesiam Limensem, etsi formosam, sed nigram: regionem scili-

cèt pulcherrimam, sed tùnc neque ritè cultam, neque, quod consequens est, fructuum prouentu locupletem: copiosissimam animarum segetem; sed quorum pars magna ferino more in montium cauernis, & abruptis rupibus, absquè sensu humanitatis, sinè lege, sinè numinis vlla notitia, nondùm vnquàm docta, nedùm Sacramentis abluta, nèc ab vllo, qui hæc bona præstaret, accessa, vel adita fuit. Alia quamvìs Religiosorum hominum vehementi studio, ad fidem; & ciuilem societatem adducta, sed varijs priscæ gentilitatis superstitionibus adhùc irretita. Tertia etsi veterum Hispanicæ gentis Christianorum, sed morum corruptelis deprauata. Et, quod vehementiùs indoluit optimus Præsul, Clerus ipse Sacerdotum, in locis præsertìm ruralibus, ignorantiæ tenebris obuolutus: Canonum inobseruantia, & Ecclesiasticæ disciplinæ contemptu, ipsi populis contemptibiliores, nèc vitæ exemplis, nèc doctrina proficui. E sæculi hominibus rarus erat, qui extrà tempus paschale sacram Communionem sumebat, nèc frequentior erat Confessio peccatorum, quæ multiplicitèr & frequentissimè committebant. Et Sacramenti Confirmationis, saltèm extrà Ciuitatem, nulla ferè extabat memoria. Cætera non prosequor, nàm ex remedijs facilè colliguntur, quæ Thuribius singulis adhibuit in tribus Prouincialibus Concilijs, decem Synodis Diœcesanis, alijsque monumentis, quæ nos in Lima Limata nupèr edidimus.

Quan-

Quanquàm etenìm cæteròqui laudatissimus Antistes Hieronymus Loaysa, Ecclesiam illam, per annos triginta duos Episcopus primùm, ac deinceps Archiepiscopus rexisset; eò tamèn temporis, quo ætas illi valida fuit, propter Pizzarrorum, Almagrorumque Hispanorum bella, cùm inter se ciuilia, tùm communia,cum Indis, nunquàm satis poterat Ecclesiasticam Prouinciam in ordinem redigere. Et, licèt intereà Congregationem vnam, cum subiectorum Episcoporum Procuratoribus, & cum Episcopis ipsis dehìnc Prouinciale Concilium celebrasset; quas tamèn in illis constituit leges, nèc Apostolica firmauit authoritas, & inter arma silere coactæ sunt. Reddita verò Prouincijs pace, morbis, & senectute pressus, nèc Diœcesim vnquàm forìs lustrare, nèc domi pro zelo, & voluntate sua, satìs iuuare poterat. Quæ porrò post eius obitum, per annos circitèr sex, vsquè ad accessum Thuribij, Pastore viduata, magìs indiès, magìsque siluescebat; ac vt regimine, sìc religione, morumque disciplina desolabatur. Nàm qui intereà nouus Archiepiscopus antè Thuribium constitutus fuit, Didacus Gomez Madrizius, alteri mox Ecclesiæ in Hispania præpositus, Indias nunquàm suis oculis vidit.

Ac propter eà imprimìs Metropolitana Limensis Ecclesia S. Ioannis Euangelistæ, etsi à limine, vt aiunt, fundationis, destinata fuerit dignitatibus quinque, hoc est, Decani, qui primum locum in

Ca-

Capitulo pòst Archiepiscopum obtinuit, Deindè Archidiaconi, Præcintoris, Cancellarij, Scholastici, ac Thesaurarij, Canonicis decem, Portionarijs sex, & sex semiportionarijs, ac insupèr triginta Sacellanis adstrictis Choro. Cùm tamèn solemnem Ecclesiæ possessionem iniret Mogrouejus, quinque tantùm erant, qui, vt Archiepiscopum exciperent, obuiam irent: Bartholomæus Martinez Archidiaconus, Ioannes Lozanus, Bartolomæus Leones, Christophorus Medel, Christophorus itèm à Leone, Canonici. Cæterorum numerus non censetur, sed ex omni genere paucos admodum fuisse, vel ex aliquo nullos, & eosdem ipsos paucos, qui Canonicatus obtinebant, ægrè alitos fuisse, eadem ratio, eædemque causæ persuadent.

Tùm enim, rebus nondùm ritè compositis, nequè Catholicorum Regum annua, perpetuaque diplomata, nèc Proregis Francisci Toletani scriptæ leges, nèc Archiepiscopi Loaysæ Sacri Canones vsum, aut integram executionem obtinuerunt. Et quanquàm arma publica, antè annos circitèr viginti quinque, cessauissent, præterquàm quòd in Regno Chilensi Barbarorum subindè commotiones compescendæ fuissent; erat tamen minor Hispanorum populus, & vigebant in multorum cordibus veterum inimicitiarum odia, cæterique bellici furoris affectus, omnes artes auaritiæ, minor Ecclesiarum, & sacrorum hominum, rerumque reuerentia. Et qui ex his ipsis aliquid habere

vide-

videbantur, id ipſum ex lucratiuis mercimonijs, ſtatum ſacerdotalem dedecentibus, & Indorum oppreſſione, (in quibus cum ſeculi hominibus concertabant) magìs quàm ex legitimis, & Canonicis redditibus obueniebat.

Quapropter nèc terra per Hiſpanos ad fructum ſatis colebatur. Nèc Indi adhùc tùnc decimas, aut primitias Eccleſijs pendebant. Nèc ſacerdotes, negotiationibus diſtracti, rependebant doctrinam, nèc induſtriæ ſuæ lucra in templorum cultum, nèc tempus colendo Deo, vel ſacris functionibus ſatìs impendebant: & qui ex religioſis Ordinibus maiori ſcientia, zeloque curam animarum agebant, ij ipſi à ſecularium auaritia, & violenta poteſtate turbabantur; vt inſtàr miraculi ſit, quàm ſeriò, quàm ſuauitèr, quàm citò ſanctus noſter, & ſcientiſſimus Archiepiſcopus Thuribius omnia in ordinem redegerit, eoque perduxerit, vt, antè ipſius mortem, Eccleſia Limenſis, & Sacerdotum numero, & legitimis, largiſque ſtipendijs, & ſcientia; ac pietate, morumque honeſtate, & populorum inſtructione, & Eccleſiarum ædificijs, ſacro ſuppellectili, & perenni, feruentique numinis cultu, cum quauis alia competere poſſet: ſanè tùnc exiſtentibus Auſtralis Americæ præcelluiſſe, & alijs ipſius Thuribij maximè hortatu poſtmodùm erectis, tàm Epiſcopalibus, quàm Metropolitanis modum, & normam dediſſe, in comperto eſt.

Quod qua ratione præſtiterit, iam dicturi ſumus.

Erat

Erat tùm ipse solus in tota illa terra Metropolitano Iure Archiepiscopus, habuitque sibi subiectos, suffraganeos Episcopos decem: In isthmo cìs lineam æquinoctialem duos: Nicharaguæ, sexcentis Leucis à Lima Metropoli per mare distantem: Panamensem, itèm per mare leucis quadringentis, & ex eodem latere ad Arctum, Popaianum in nouo Regno Granatensi, distantem leucis trecentis: & Quitensem; seu S. Francisci de Quinto, paulò vltrà lineam, in ipsa Peruuia, ducentis leucis dissitum. Ad orientem autèm in montanis Episcopum Cuscensem, seu Cuzquensem, per leucas centum & quinquaginta. Ad Austrum verò Argentinensem, seu Platensem, vulgò *de la Plata* in prouincia Charcharum, itinere leucarum ter centum. Imperialis, nùnc Ciuitatis Conceptionis, distantem leucis quingentis: S. Iacobi, quadringentis: & Tucumanensem, quingentis, omnes tres in Regno Chilensi, ac deniquè Paragayanum, ad mare Atlanticum, trecentis in orientali latere Andium; qui montes excelsi sunt, totam Astralem Americam, qua longam à septentrione in meridiem per medium secantes, qui Alpes nostros altitudine, & asperitate superant.

Tota prouincia longitudinis, amplius mille quingentarum leucarum, & latitudinis alicubi centum, & vbi arctior, quinquaginta. In medio verò consistit ipsa Metropolis Lima, non procùl ab ora maris pacifici, vulgò, *del zur*, cum propria Diœcesi,

cesi, quæ per leucas latitudinis à mari ad Andium iuga alicubì quinquaginta, & alibì centum tùnc extendebatur, & longitudinis ab Arcto in Austrum circitèr trecentas: In omnibus autèm his Diœcesibus per totam prouinciam æquè grassabantur illa mala, quæ iam indicauimus; præter aliquas Indorum regiones propter inaccessibilem locorum asperitatem, nondùm tùnc ad fidem, aut ciuile commercium reductas:

CAPVT XVII.

Morum reformationem magno animo auspicatur à propria Diœcesi. Redditus Ecclesiastici liciti, & necessarij. Quomodò per Thuribium constituti, & Clerus ad frugem reductus.

AT amplissimum animum Thuribij Alphonsi horum nihil exterruit: sed, vt solent fortissimi Duces, victoriarum auidi, instàr Elephantium pugnæ classico fortiùs animari; sic ille, difficillimo conspecto labore, pro summo suo zelò, Christique, & sponsæ eius charitate, fortitudinem induit, magisque concitatus est, vt rem acriùs aggrederetur; & vt diabolum veteri imperio pulsurus; animam suam, si opus foret, pro ouibus suis ex eius faucibus eripiendis traderet; vt noua faceret omnia, & exhiberet ipse Christo gloriosam Ecclesiam non

habentem maculam aut rugam; ſed, vt ſit ſancta, & immaculata. Nèc magis eum quidquàm deterruit amplitudo prouinciæ, & inaccesſa locorum aſperitas, quo minùs omnia ſuis oculis, etſi ineluctabili profectione luſtrare decreuiſſet. Non ſuæ tamèn prudentiæ innixus, non viribus, non meritis; ſed miſerentis Dei promptis auxilijs, ſed Sacrorum Canonum obſeruantiæ, ſed Chriſti ſummi Paſtoris imitationi, cuius cauſa iam agenda fuit: quique, vt pro ſua iuſtitia gentem illam, quam à ſeculis, tanquàm in Petri naue dormiens, Sathanæ fluctibus agitandum deſeruiſſe videbatur, idem nùnc in fine ſeculorum, pro miſericordia ſua exurgens imperaret mari & ventis, vt illi ad æternæ ſalutis portum facilè trahi poſſent, & qui iam in ouili erant, educi à peccatis, & reduci ad paſcua virtutis, & qui extrà, adduci ad viam veritatis, in Euangelio promiſſum ſciebat.

Hac ergò charitate accenſus, hac fide, & fiducia fretus Thuribius, vir Catholicus, & totus Apoſtolicus, miniſterium ſuum à Metropolitana ſua Ciuitate exorſus eſt, vt exteros exemplo priùs quàm verbo doceret: Et reliquæ Eccleſiæ, cùm Cathedrales, tùm Parochiales, et Collegiatæ ex ea, tanquàm capite, matre, et magiſtra viuendi, regendi, agendique normam haberent, et ſequerentur: quemadmodum illa, regente Thuribio, ac pòſt, per leges ab ipſo ſancitas, Romanam Eccleſiam, quod fidem, religionem, charitatem, et iuſti-

iustitiam attinet, prompta obedientia, strictoque vestigio insequuta est. Quod vt efficeret Mogrouejus, id imprimis statuit, vt Sacri Concilij Tridentini Sanctiones in prouinciam vniuersam obseruandas introduceret; quod cùm absque Episcoporum consensu facere non posset, certè non expediret, ex eiusdem Concilij decreto, Philippi II. Catholici Regis, suoque desiderio, & Gregorij XIII. Pontificis authoritate Prouinciale Concilium illicò appulsus indixit.

Verùm, quoniàm Episcopos, ob longitudinem, asperitatemque viarum, ac terræ, marisque pericula, non tàm citò adfuturos intelligeret, intereà Diœcesim suam ordinare cœpit. In Cathedrali templo Sacerdotum numerum adauxit, & stipendia singulis assignauit; quæ cum indies canonica Prçsulis diligentia, & sanè abundanti benedictione Dei, magìs magìsque crescerent, ille loca omnia paulatìm repleuit, & redditibus ità ditauit; vt, quod ex Ioanne Laëto alibì diximus, omnes Clerici Limæ opulentissimi essent.

At verò, qui Ecclesias absque facultatibus eiusmodi regi posse putat, vel ausu temerario affirmat, is vel planè stultus, vel inuidus, vel parum Christianus esse conuincitur: cùm & recta ratio, & perpetua necessitatis experientia, & nimiæ paupertatis mali effectus. Ecclesiarum sordes, neglectus cultus diuini, & sacræ doctrinæ, resque necessarias adipiscendi artes, quæ honestatem Cleri minimè

decent, & innumera huiusmodi mala demonstrent, Ecclesiasticis hominibus bona temporalia, necessaria esse: & scripturæ diuinæ vtriusque testamenti authoritas, & Sacrorum Canonum vetustissima perpetuaque instituta, & sanctissimorum hominum, atquè adeò Christi filij Dei, & Apostolorum eius exempla, non licere tantùm, sed haberi etiam debere doceant: vt qui altario seruiunt de altario viuant: vt acquirendarum rerum solicitudine liberi, colendo Deo, & instruendis populis, ablato omni impedimento faciliùs insistant: & vt ex ipsis facultatibus, quæ supersunt, egenarum ouium necessitates, summa charitate, & cura, subleuent; ne corpora per inopiam, & animę per peccata, quæ non rarò ex illa nascuntur, vnà pereant. Nèc facultatum copia, & rectus vsus, sed inopia, & affectus nimius acquirendi, sed retinendi tenacitas, sed abusus dispensandi, Ecclesiasticæ disciplinæ vigorem eneruare vnquàm deprehensa sunt. Quod vel huius Limensis Ecclesiæ exemplo manifestum est; in qua cùm rerum, & morum inopia coniuncta fuisset, crescente copia creuit etiam desciplina:

Thuribius autèm noster, vt erat vir Apostolicus, sapientèr animaduertens, id interesse, si Clericorum prouentus in prædijs, seu terris; & catallis, vt barbara iura loquuntur, seu, vt leniùs, & latiniùs in immobilibus, mobilibus, & se mouentib us, quibus aliqui pro temporum, et locorum ratio-

tione gaudent; siuè in paratis pecunijs consisterent; qua Christus et Apostoli in primitiua Ecclesia, pro diuerso rerum statu, vsi sunt; vt, qui colendis, collocandisque prædijs, et maiori ex eis fructui colligendo intenti sunt, ij plerumque harum curarum solicitudine à diuinis magìs distrahantur; qui verò pecuniam in certum diem expectant, hi reliquo anno securi, magna mentium tranquillitate, et quiete, suis officijs vigilantiùs fungantur; et propter alias grauissimas rationes, quæ pag. 51. et 52. Limæ limatæ exponuntur: omnem prædiorum possessionem, et vsum, omnem pecoris alendi, vel augendi curam, omnem quęstuosam artem, et opificia Peruanis Clericis districtè prohibuit.

Primitias, et Decimas, aliaque canonica iura populis imposuit, et institutis Collectoribus, et œconomis exigenda, et conseruanda commisit; vt suum cuique Ecclesiæ Beneficiario sufficiens, et certum stipendium, certis anni temporibus, certisque locis in parata pecunia, ex communi et indefectibili ærario distribuatur. Immò ipsos hos prouentus, vel Clericis, vel Laicis, ad aliquàm pecuniæ summam, locari prohibuit, nè conducentium auaritia grauaretur populus, sed omnia in propria specie ab Ecclesiæ Ministris, sinè fraude, sine vi, aut violentia colligerentur, et venderentur currenti, et communi pretio, idque communi ærario fidelitèr inferretur. Atqui etiam ipsius pecuniæ abusus vigilantèr præcauens; sericæ vestis omne genus

nus Vicarijs suis, Beneficiarijs, Parochis, et Clericis sacro Ordine initiatis penitùs interdixit; præcipuè verò villosum, damascenum, rasum, ac taffetanum: lætos item colores, omnemque prophanum, et vanum ornatum, ac nouitatem, quæ pompam vllam, vel animi elationem præferant.

Ecclesiasticæ verò dignitatis, et scholastici gradus insignia, ijs tantùm prohibuit, qui tales reuera esse se, sufficientibus documentis non comprobarent. Iis verò Clericis, qui vel in maioribus, vel etiam in minoribus Ordinibus constituti, Ecclesiasticum beneficium possident, omne genus ludi districtè prohibuit, per quem Ecclesiæ pecunia, etiam benè parta, à stultis et ociosis hominibus, non sinè adiunctis sceleribus, cum graui Dei offensa, pessimè dilabi solet. Cunctis verò generatìm, cùm, vt sibi, et Ecclesijs prouidi, tùm, vt seculo exemplares essent, quod sacris hominibus tanquàm populorum speculis, maximè incumbit, districtè præcipit, vt cuncta sibi per Summos Pontifices, et Sacra Concilia, quoàd vitæ honestatem, cultum, victum, et vestitum, choreas, ludos, luxum, cæteraque oblectamenta, secularia negocia, et populorum instructionem præscripta districtiùs obseruent, sub pœnis, in ijsdem statutis, et maioribus arbitrio ipsius infligendis. Et nè quisquàm se ab vsus dissuetudine excusandum censeret, quidquid legum in vsu non esse videbatur, in vsum reduxit, et reducendo obseruandum præcipit, præsertìm

verò

verò vt fœminarum consortium; comitatumque, sanctimonialium visitationes, et colloquia non habita Præsulis facultate vitarent.

Nequè lusus, choreas, comedias, interludia, vel vllas eiusmodi repræsentationes in Ecclesijs, Eremitorijs, vel Xenodochijs agi permittant, nisi priùs per ipsum, vel eius Prouisorem, seu Vicarium examinata, et admissa: ipsis etiam actoribus hæc alitèr exhibituris interminata pœna, ex ipsius arbitrio, et Iuris præscripto perluenda. In his enìm scurrilia multa, lasciua, et veteres Indorum, ethnicas superstitiones repræsentari percepit. Quę vt S. Cyprianus dicebat: Diabolus artifex, quia per se nuda sciebat horreri, spectaculis miscuit, vt per voluptatem possent amari, quo et fidei puritatem, et morum pudicitiam ea specie simul corrumperet; Sed Thuribius meritò prohibuit, nè talia spectandi consuetudo, etiam imitandi licentiam sumat. Sublatis autem è Clericorum consuetudine his Ecclesiasticæ disciplinę, & pietatis obstaculis, vt populo erudiendo certiùs incumberent, nec Sacramentis opportunè ministrandis deessent, alia multa constituit, quæ nos infrà fusiùs, & opportuniùs dicemus.

De spectac. cap. 3. & 4.

CA-

CAPVT XVIII.

Constitutis ministris inuigilat: & exemplo prælucet. Ordinaria eius vitæ ratio, & apud omnes opinio, efficacissimis vrbem, agrumque reformandi operibus confirmata.

SCiebat autèm vir sapientissimus animam legũ in Præpositorum vigilantia, zelo, integritate, & exemplo consistere, nèc seipsum per se cuncta præstare posse, humilitèr, grauitèrque considerauit; quanquàm aliundè non ignoraret, non per solos Ministros omnia fieri debere: nèc excusari Antistites, qui onera grauia in aliorum humeros conijciunt, ea tamen ipsi, nèc digito mouere volunt, sed omnem seponunt laborem, quietique suæ, & commodis indulgent, & in summis rerum periculis stertunt nimiùm securè. Quapropter ille, & rerum agendarum Ministros à Sacro Concilio Tridentino præscriptos constituit, viros scientia, pietate, & integritate præstantes. Pro quibus dotibus, etsi omnia illis confidi posse putaret, non eo minùs ipse inuigilabat, instabatque cunctis, eorumque terrori paritèr, & exemplo, ita cuncta per seipsum cognoscere, & operari studebat, ac si solus esset: ac velut Angelus Custos, vix non comitabatur; certè vel pręcedebat, vel sequebatur, omnes excitabat, monebat, præscribebat agenda, & acto-

actorum rationes districtè exigebat. Non rectè gesta supplebat, ritè verò, rectèque facta propugnabat, ipsorumque, ac suam in ipsis authoritatem, prò Ecclesiastici Iuris libertate, fortitèr Sustinebat. Nèc proindè quidquàm priuatæ pietatis exercitiorum, quibus à pueritia assuetus erat, vsquè ad mortem vnquàm dimisit.

Dùm Archiepiscopus vixit, hæc illi ordinaria temporis ratio fuit: post ortum auroræ, quæ Limæ toto anno, post quartam à media nocte horam se conspiciendam præbet, absque vllius, vel Cubicularij, vel Ephebi, vel alterius ministerio integrè vestitus, & calceatus, atque absolutis priùs priuatæ deuotionis precibus, extrà secretius lecti cubiculum comparebat, & Canonicas diei horas recitabat: Quibus persolutis per transitum ab ædibus, seu palatio suo ad contiguam Ecclesiam Cathedralem descendebat, & Missæ Sacrificium ea dispositione, ac diligentia offerebat, quæ congruebat tàm sancto mysterio. Hìnc templum vniuersum, & sacristiam perlustrare, ad singulas aras flexis poplitibus, & breui oratione reuerentèr adorans, & attentè inspiciens, si quid rerum cultus diuini, cuius erat exactor studiosissimus, vel deesse, vel minus decenti ordine, aut munditie haberetur.

Mòx in palatium solus reuertens, nè templi ministros obsequio, vel comitatu sui ab ipsorum cuiusque officijs distraheret, intrabat oratorium, quod superiùs ad prospectum templi habuit, ibi-

que genuflexus, duas integras horas, ab omni aliarum rerum cura abſtractus, diuinæ contemplationi inſumebat: vel ſi offerendum non eſſet, quod illi perrarum fuit, poſt recitatas horas, oratorium accedebat, vbi tribus vel quatuor ſucceſſiuis aliorum ſacrificijs aderat, toto tempore genuflexus. Deindè domum reuerſus benignam aurem, & gratam expeditionem ſupplicibus, Miniſtriſque præbebat, portis ad hoc ſemper omni hominum generi patentibus. Qui ſi non erant, ipſe ad cubicula ſecedens, voluebat libros, qui, vel ad Eccleſię regimen, vel ad propriæ vitę profectum conducebant, donèc ad menſam illubens vocaretur, vbi prandium, quod antè deſcripſimus, vel Synodi Tridentinæ textus, vel alicuius hiſtorię Breuiarij Romani, vel ſancti cuiuſpiam vitę lectio condiebat. Nulla verba ocioſa, non feſtiuos iocos, nulla externa conuiuia, comœdias, aut alia huiuſmodi quantùmuis licita, & honeſta oblectamenta, Deo ſemper pręſens, & ſerijs rebus intentus admittebat. Si quod, vel leue murmurationis verbum audiebat (nam grauiora nullus auderet proferre) ille
Pſal. 116. ſtatim eo pſalmi verſu obrumpebat; Laudate Dominum omnes gentes; vt mirum non ſit, etſi tot horas diuinis concederet, ſuppetere tamen tempus ad reliquas res ritè peragendas.

Finito prandio, actiſque Deo gratijs, vnum reſponſorium pro defunctorum requie recitabat, alterumque prò fundatore, hoc eſt, Collegij Oueten-

tensis, quod nunquàm post huius incolatum omisit. A meridie aderant assessores, & ministri Curiæ Archiepiscopalis, cum quibus rem iudiciariam, omniaque Ecclesiæ suæ, & regendorum populorum negocia pertractabat. Nèc admittebat visitationes externorum, quas, vel ipsorum vtilitas, vel humanitatis necessitas, vel aliorum ædificatio non requirebant. Nullam fœminam solus audiebat, nè quidem propriam sororem, vel eius filias: quæ si quandò ad interiora cubicula rectà perrexissent, ille simulato liberioris auræ desiderio, statim cum illis exibat, ipsasque in exteriori aula, coram familiaribus audiebat, & pedibus consistens alloquebatur, verbis quàm poterat paucissimis.

Dato signo vespertino Salutationis Angelicæ, quod inter quintam & sextam à meridie horam, totius anni decursu Limæ sonat, illicò se cunctis expediebat, & vel ad secretiora conclauia, vel ad oratorium se abripiebat, ibique vsque ad octauam diuinis colloquijs & contemplationi vacabat. Audita hora octaua, ad aulam redibat, & vocatis Sacellanis, nocturni officij pensum reuerentèr, & attentissimè cum ipsis persoluebat. Consueta hinc sumpta cœna, seu buxella panis, & paruo haustu aquæ fluminis, redibat ad aulam ordinariæ mansionis, & per se recitabat officium paruum Beatiss. Virginis, & nocturnos defunctorum, aliasque eiusmodi votiuas, & quotidianas preces, vsque ad mediam noctem. Ad cuius signum, æris campani

ſonitum, intrans cubicularius Archiepiſcopo exterioribus exuto, ſtatìm recedebat. Ac tùm ſeruus Dei interiorum veſtium nihilo, nè calceis quidem detractis, in lecti cubiculo ſe obſerabat, non tàm quieti corporis, quàm, quod antè narrauimus, eius cruciatibus vſque ad auroram vacans. Atquè hæc quidem domi vir ſanctus obſeruabat.

Forìs autèm, nèc viros nobiles alitèr inuiſebat: quàm, eos admiſiſſe ſolitum diximus, nèc matronas vnquàm, præter incluſas monaſterio, & Chriſto ſponſo ſeruientes, quas, & neptes ſuas in Cœnobio educatas, nonnunquàm ad cancellos conſolabatur, vt pater, & ſacris monitis in propoſito promouebat, vt pietatis præceptor; & authoritate pontificia regebat, vt Paſtor; atque egentiores ſumma charitate iuuabat vt Prouiſor. Nèc alloquebatur de re vlla, præterquàm, quæ ad animarum ſalutem, charitatem, & pacem conducebat. Virorum religioſa cœnobia magis frequentabat, & cum grauioribus fraternè conuerſabatur. Quoſque & ſcientia, & rerum experientia, & vitæ probitate præſtantiores aduerteret, hos ad priuata conſilia, & publicas rerum conſultationes vocabat, & Pontificalia munia in eorum templis exercebat, eaque id prudentia, vt nullus eorum cœtus alteri inuidere poſſet, nèc ipſe notari, communem parentis affectum in vnum præ alio effudiſſe.

Animi relaxandi ſpecie in campum exiturus, prandium illùc opiparè paratum efferri curabat,

ac nùnc pauperes Indos in agresti labore sudantes, nùnc Archiepiscopalis Seminarij quosduam alumnos conuocabat; quos vtrosque cùm sacris documentis, & lautis lancibus recrearet, ipse ieiunus domum redibat. Intereà, quod præcipuè cupiebat, intelligebat, quibus oneribus, prætèr iustitiam, & charitatem grauarentur Indi, quibusque indigerent, vel corporum, vel animarum refrigerijs. Alumnorum item humores, & mores, ac talenta singulorum probabat, litterarum, & Ecclesiasticæ educationis profectum eundo, & redeundo discutiebat. Erat nouus Archiepiscopus toti Ciuitati, pro eximia virtute admirandus, summa prudentia omnibus omnia factus: rara modestia, profunda humilitate, insigni mansuetudine, placida comitate, singulari pietate in Deum, liberali in pauperes charitate, morum reformationis vigilantia, Ecclesiasticæ disciplinæ zelo, Angelica pudicitia, & morum honestate, & simplicis animi candore, quem verbo & vultu præferebat, amabilis.

Potentioribus autèm inuincibili patientia, propositi constantia, & animi fortitudine formidandus; atquè in omnibus, quæ agenda suscipiebat, disponendis prosper, & perficiendis felix: Ergà omnes benignus, misericors, tàm suauis & placidus; vt non solum, pro dignitatis authoritate, obedientiam, sed maiorem, pro morum conditione, & naturæ bonitate, a cunctis reuerentiam &

amo-

amorem adeptus sit. Qua sparsa opinione, & patenti virtutis experimento, id lucratus est, vt populi, Clerique voluntates verteret, quo vellet.

Aggressus ergo, quæ disponebat, quæque iam in Cathedrali Ecclesia, cùm summa omnium satisfactione, & gaudio exercebantur, in aliarum vsum pro locorum qualitate propagare: omnes vrbis Ecclesias, Xenodochia, templa, sacella, & sodalitates ex authoritate visitauit. Fundationum tabulas, reddituum rationes, Sacerdotum, & Ministrorum qualitates, omnemque suppellectilem; & rerum ordinem recognouit, earumque singulis regulas præscripsit, & statìm in mores induci fecit: vt Lima tunc verè limata, quæ multa scoria & rubigine priùs obscura erat, splendescere repentè cerneretur, eamque faciem induerit, vt australis Americæ cæteris Ecclesijs, reformationis exemplo, & imitationis incitamento, fuerit.

Verùm, vt Archiepiscopus ipse, se bonorum operum omnibus exemplum præberet, quamdiù in vrbe per prouinciæ cognitionis interualla vixit; nunquàm cessauit diebus Dominicis, & festiuis; vel Hispanos hispanicè ad morum emendationem, Sacramentorum frequentiam; Sacerdotum reuerentiam, atque inter se pacem, concordiam, & charitatem, in alios misericordiam, & iustitiam, aliasque Christianas virtutes, et viciorum, peccatorumque fugam, & odium pro concione cohortari, vel Indis Indicè postquàm *Quichuam* linguam didi-

didicit, vel explicare rudimenta fidei, vel morum disciplinam, & Christianam vitam paritèr concionando persuadere: Innumeros vtriusque gentis sacri Chrismatis Sacramento in Christi militiā adscribere, Sacerdotum, & Clericorum numerum, collatis Ordinibus, adaugere, cæteraque instanter præstare, quæ ab optimo Antistite sperari, vel præstari possint. Omnia pia loca, iterùm, iterùmque reuisere, an cuncta honestè, & secundum ordinem in illis fiant: sìn minùs, misericorditèr, iustèque plectere sontes, iustitiam æque omnibus administrare: omni se petenti largitèr tribuere, & benè ambulantes laude, & præmio ad perfectionis culmen concitare, verbisque efficacissimis cohortari.

In eo sanè meritò considerant vitæ eius authores, ac testes ritè rogati, quòd per viginti quinque annos, quos Ecclesiam Limanam Archiepiscopus gubernabat, nullam aliam rem vnquàm curasset, quàm, vt suam & commissi gregis salutem operaretur, tanta vigilantia, assistentia, cura, & efficacia; vt pratèr minimum tempus, quod vitæ parcissimo cibo, somnoque sustentandæ tribuebat, nullum reliqui diem, nullam horam, nullum minutum non concederet, summo rigore, & perpetua perseuerantia, ijs rebus instantèr, & incessantèr operandis, quas ad suam, suorumque salutem, & diuini cultus, & gloriæ incrementum magis conferre censebat, sepositis & seclusis alijs omnibus,

quan-

quantùmlibet iustis, & honestis, quæ ad pastorale munus suum non attinebant.

Rebus autem sic in vrbe dispositis, in agrum profectus est, magnamque vastæ Diœcesis suæ partem peragrauit, ac per se ipsum cognouit; sed alias hac vice per Ministros: easdemquè res, quas priùs in vrbe instituit, in rurales Ecclesias, non iussu tantùm, ac hortatione, sed re quoquè ipsa, quantum locorum, temporumque conditio permittebat, induxit: vt postmodùm in Concilijs, & Synodis, sancitu faciliora forent, quę ingenti fructu, & vniuersali applausu exercitium; & vsum in vrbe, & agro iam obtinuissent.

CAPVT XIX.

Primam Synodum Diœcesis, & primum prouinciale Concilium celebrat.

ADuertit autem perspicacissimus Præsul, temporaria huiusmodi, & arbitraria præpositorum instituta, quibus imprimìs populorum licentia corripitur, & coarctatur libertas, diuturnam obseruantiam obtinere non consueuisse, neglectui haberi, &, tanquàm res nouas, & veteri mori, etsi corrupto contrarias; vel non suscipi libentèr, vel non diligentèr obseruari. Quaproptèr Synodum Diœcesanam indixit, per quam cuncta perpetuò du-

duraturæ legis vim, ac potestatem acciperent. Est enìm prætereà is vel præcipuus Synodorum, Conciliorumque fructus, vt ea, quæ communibus suffragijs in illis decernuntur, non modò Principis authoritate, sed libera etiam populorum acceptatione, & vltronea obligatione firmentur, dùm non decernuntur, nisi accepta, & sic decreta simùl acceptantur ab ijsdem, quibus præscripta, & à quibus præscripta, & in se ipsos decreta fuerint.

Igitùr cùm Thuribius Archiepiscopus Limam ex agro redijsset, omnibus ad primam diœcesanam Synodum paratis, & ad eam conuenientibus, Decano, & Capitulo Ecclesiæ Metropolitanæ Limensis, Prælatisque Religionum, & Vicarijs, Parochis, Clericisque Archiepiscopatus, & præsente, ac præsidente Archiepiscopo, in eadem Ecclesia Metropolitana die 2. Martij anno 1582. celebrata fuit. In eaque communibus suffragijs, post maturam consultationem, Synodali, & Archiepiscopali authoritate, decreta, confirmata, & obseruari præcepta sunt eadem ipsa omnia, quæ propria eius Archiepiscopi authoritate priùs ordinata, & in vsum inducta diximus. Atque hæc quidem omnia tàm vtilia & necessaria, tàm properè, & prosperè, pro Limensis Archiepiscopatus perpetuo bono perfecit Mogrouejus mensibus non integris decem, siuè à vigesimo quarto die Maij anni 1581. quo solium Archiepiscopale conscendit, vsque ad se-

cundum diem Martij 1582. quo Synodus ista celebr ata fuit.

Adueniebant intereà Comprouinciales Episcopi ad Concilium iam antè vocati, et aliqui Limæ tùnc aderant: qui tàm inopinata, ac paulo priùs propemodum desperata rerum restauratione stupefacti primùm, ac deindè vehementèr animati sunt, vt ea omnia alacriùs in Concilio sancirent, ad Eccelesias etiam suas, totamque prouinciam, tàm pulchrè, tàm sanctè, tàm citò, tàm efficacitèr, componendas transferrent, quæ Thuribio Archiepiscopo, adeò felicitèr successisse conspexerunt: ipsiusque sanctitatem venerati, Sanctissimos, et Sapientissimos eius sensus in præsenti Dei opere sequendos sibi proposuerunt. Erant enim plerique etiam ipsi insigni doctrina, morum Sanctimonia, et zelo rei perficiendæ præstantes, vt nos ad primi huius Thuribiani Concilij Prouincialis acta notauimus; quanquàm vix vllus sit hominum cœtus, in quo quispiam, vel in suo sensu abundans, vel commodi sui nimiùm suprà commune bonum studiosus, rebus etiàm optimis aduersus non reperiatur; Aderat prætereà præstantissimus Prorex Martinus Henriquez, et Limanus vrbis Regum Senatus, et venerabile Capitulum Ecclesiæ Metropolitanæ, aliarumque Ecclesiarum Procuratores, cùm Regularium Ordinum *Præ*positis, et selectissimis Sacræ Theologiæ, et vtriusque Iuris Doctoribus, aliorumque insignium virorum plurimo concursu.

Hinc

Hinc Thuribius *Præsul* Metropolitanus, & Concilij Præses, conuocatis ad priuatum consessum Patribus, alijsque, quorum res intererat, exposuit imprimìs causas Conuentus, veterum Sanctorum Patrum exempla. Sacrorum Canonum, ac Tridentinæ præsertìm Oecumenicæ Synodi præscripta, Gregorij XIII. Pontificis, & vniuersalis Ecclesiæ Pastoris, tùnc in Petri cathedra sedentis peculiare mandatum, tùm Philippi II. Prudentissimi, Potentissimi, & Catholici Regis, & Indiarum Domini, supremique in Hispania Indiarum Senatus ardentissimum desiderium, ac voluntatem diplomatis declaratam: procurandi in Peruuia fidei progressus, & mores in Clero, populoque reformandi manifestam necessitatem, fructusque indè prouenturos, difficultates superandi modos. Deique, quod primum est, obsequium, & vniuscuiusque Præsulum paternam obligationem, conscientiarum leuamen, impositique muneris complementum, ad dandam scientiam salutis plebi Dei. Omnes demùm grauissimis verbis ad rem rectè gerendam hortatus est, & ad primam publicam Actionem suo tempore celebrandam inuitauit: per quæ cunctorum desiderium, spemque confirmauit, & præparauit ad reliqua ritè, rectèque peragenda.

Ipse verò qui Sacræ Synodi Tridentinæ instituta maximoperè colebat, etiàm ritus, & solemnitates eiusdem, quantum præsenti rei conueniebat,

æmulatus, ieiunia, preces, & Sacrificia, ad Christi gratiam promerendam, omnibus commendauit, & in vrbis Ecclesijs constituit, dùm plurium patrum accessum expectaret. Intereà cùm tùnc præsentibus Concilij officiales nominauit, aliaque cuncta ritè disposuit, quæ ad publicam actionem celebrandam opportuna videbantur. Quibus ità peractis, anno 1582. die decimo quinto Augusti, & festo Assumptionis Deiparæ virginis Mariæ, instituta est solemnis processio Conciliarium, cæterique Cleri, & populi à templo S. Dominici ad Ecclesiam Metropolitanam S. Ioannis Euangelistæ, vbi omnibus præparatis Thuribius Pontificalibus ornatus solemne sacrum cecinit; & sermonem ad Concilium habuit Episcopus ciuitatis Imperialis.

Tùm imprimìs Archiepiscopus Concilium Prouinciale legitimè inchoare, & inchoatum esse vnico patrum consensu declarauit. Lecta mox decreta S. Concilij Tridentini de celebrandis Prouincialibus Concilijs, & alterum de ipsa œcumenica Tridentina Synodo recipienda. Deindè, tanquàm omnium deinceps agendorum fundamentum, Synodus catholicæ fidei professionem, clara & intelligibili voce fecit, iuxtà formam in constitutione Pij IV. Pontificis anno 1564. edita, in qua etiam continetur Concilij Tridentini receptio: cùmque singuli in Archiepiscopi manibus eam se seruaturos, Deo vouerunt, tactoque S. Euangelio iurarunt,

runt, denique Archiepiscopus ipse, eodem ritu, eandem professionem emisit in manibus Episcopi Imperialis. Hac re finita lectum est decretum Concilij Toletani, prout à Synodo generali Tridentina traditur; de ordine, & modo dicendi in Synodo sententiam, declaratusque procedendi modus in ijs, quæ erant tractanda, & peculiares, seu præparatorias congregationes habendas esse in aula capitulari eiusdem Cathedralis Ecclesiæ, vt, qui quidpiam petere, vel publicæ vtilitatis causa proponere vellet, sciret, id sibi in eo loco liberum fore. Ac demùm sedendi, dicendique locum vlli assignatum, cæteris, vèl præsentibus, vel absentibus præiudicio non esse. Quæ sic acta, decreta, & lecta cùm interrogati Patres, sibi placere respondissent, sessio hæc prima Concilij absoluta fuit.

Integer indè annus exactus est in binis quotidie Congregationibus, in quibus Episcopi, cæterique Conciliares, & frequentèr etiàm Prorex aderant, & sempèr pręfuit Archiepiscopus, atque accedentibus paulatìm alijs Episcopis, grauissima totius prouincię negotia tractabantur, donec sequentis anni 1583. eodem die 15. Mensis Augusti, defunctis priùs, mense Martio, Martino Henriquez Prorege, & Petro Peña Episcopo Quitense, pari solemnitate celebrata fuit secunda sessio publica Concilij, in qua pręter alia, vt prouincia, certas, omnibusque notas leges haberet, abrogata imprimis, vt inualida, fuerant acta primę Congre-

gregationis ab Archiepiſcopo Loayſa celebratę anno 1552. Quę verò conſtituta ſunt in Concilio Prouinciali Limenſi anno 1567. cùm id ritè, & legitimè celebratum fuerit, quamuìs Apoſtolicę Sedis approbatio non acceſſerit, ea, vt cum omni veneratione ſuſcipiantur, dummodò per pręſens Thuribianum Prouinciale Concilium reuocata, vel alitèr diſpoſita non ſint, Patrum hoc publico decreto cautum eſt, ſaluo ſemper Iure patronatus Catholicis Hiſpanię Regibus per Sedem Apoſtolicam conceſſo.

Pręcepitque ſancta Synodus ſub pęna centum aureorum, & maioris excommunicationis, vt intrà certum tempus à Synodo pręſcriptum, omnes ſiuè Indorum, ſeù Hiſpanorum Parochi, & alij quicumque Eccleſiaſtici iudices, tàm decreta Concilij ſuperioris prędicti, quę ad ipſos quoquomodo pertineant, quàm omnia pręſentis huius Concilij ſtatuta deſcribere, & penes ſe habere teneantur. At nè prolixa ſuperioris Concilij Loayſani tranſcriptione, vel lectione grauarentur Clerici, in quinta, et vltima pręſentis actione decretum fuit, vt compendioſa eius ſumma compilaretur, quę ab Archiepiſcopo approbata, ipſis ad obſeruantiam ſuperioris pręcepti habere ſufficiat. Hacque ratione Concilium à Thuribio Archiepiſcopo quinque publicis Actionibus comprehenſum, concluſum fuit, celebrata quinta et vltima Actione die 17. Octobris 1583.

Ex

Ex decem ſuffraganeis Epiſcopis aberant Nicaragenſis, Panamenſis, et Popayanus, vel nimia diſtantia, et itinerum periculis deterriti, vel, vt quiſpiam authumat, quod eorum Eccleſię tùnc Paſtoribus deſtitutę fuiſſent. Aderant autem Thuribius Alphonſus Archiepiſcopus; totius negotij director, et in omnibus, tàm publicis Actionibus, quàm priuatis conſeſſibus pro authoritate Pręſes, et cum ipſo Fr. Antonius à S. Michaele, ex Ordine Minorum, Epiſcopus Imperialis. D. Sebaſtianus de Lartaun, Epiſcopus Cuſquenſis. Fr. Didacus de Medelin, etiam Franciſcanus, Epiſcopus S. Iacobi Chilenſis. Fr. Alphonſus Guerra Epiſcopus fluminis argenti. Fr. Franciſcus à Victoria Epiſcopùs Tucumanenſis. Fr. Petrus à Peña, Quitenſis; omnes tres Ordinis Prædicatorum. D. Alphonſus Granerus de Aualos, Epiſcopus Platenſis, ſeù Argentinopolitanus. Quorum ampliorem notitiam nos in notis huic Concilio adhibitis explicauimus. Quitenſis autem, quia poſt primam publicam Actionem aduenerat, et antè ſecundam obijt, aliquot priuatis tantum congreſſibus interfuit, obijt etiam eodem cum ipſo, menſe Martij, clariſſimus Prorex Martinus Henriquez, et nona Octobris, ante quartam Actionem, Lartaunus Epiſcopus Cuſquenſis.

CA-

CAPVT XX.

Concilij Prouincialis Acta diù multùmque Madriti, & Romæ discussa Pontificiam approbationem, & per edictum Regium, executionem obtinent. Thuribius plura celebrauit. In eis contentorum Anacephalæosis.

HVius, celebris equidem, Prouincialis Concilij Acta authographa in Limensis Ecclesiæ Metropolitanæ Carthophilatio conseruari voluit Archiepiscopus, vt indè quilibet posset exemplaria depromere: et ipse vnum authenticum ad Madritensem Indiarum Senatum transmisit, vt ibi visum, interuentu, studioque Philippi Regis, Romani Pontificis approbationem obtineret, et sic approbati executio, et obseruantia, Regio quoque diplomate, omnibus Maiestatis suæ subditis præciperetur. Placuit Regi, Senatuique Concilium; et Authoris Archiepiscopi Mogroueji Regimen laudem, et applausum commeruit. Verùm, vt reformatio morum, et restrictio libertatis non omnibus placere solet; sic non defuerunt, qui per Procuratores, aliquibus Decretis contradicerent, etiàm per viam appellationis, apud Regem, et Pontificem interpositæ, quique de Episcoporum rigore, tanquam sibi graui, nimioque quererentur.

Quæ

Quæ causa fuit, vt Concilij decreta in Regio Senatu, diù, diligentèrque inspecta fuissent: sed cùm nihil inueniretur, quod aut ciuili administrationi oppositum, aut à Christiana, & Ecclesiastica cura alienum esset, tandem Concilium, vt erat, è Senatus consulto, per prudentissimum, & pijssimum Regem Romam delatum fuit, & à Sixto V. tùnc Summo Pontifice postulatum, vt ea parte maximè corrigeretur, quæ censurarum quarundam in transgressores latarum, vel frequentiam, vel rigorem præ se ferebat; atque ità correctum per Apostolicam authoritatem approbaretur. Tùm Pontifex rem discutiendam Illustrissimis Cardinalibus S. Concilij Tridentini Consultationibus præpositis commisit. Iique auditis etiam appellantium Procuratoribus, & Oratore Regio, omnia per prouincialem synodum statuta diligentèr examinarunt, & paucis admodum quibusdam aut declaratis, aut immutatis comprobarunt, & præclarè commendarunt: atque vt modis omnibus obseruentur, consulto suo, Pontificis authoritate decreuerunt.

Præcipuum controuersiæ pondus in eo versabatur, an tollenda esset excõmunicatio latæ sententiæ intentata Clericis mercaturæ operam dantibus, & Parochis Indorũ, qui, per se, vel per interpositas personas quascumque, cum quibusuis Indis mercaturã exercere præsumerent, vel alendis pecoribus, aut agris, vineis, opificijs, alijsque lucratiuis artibus, & negotiationibus intenderent, aut animalia vehendis

oneribus haberent, aut locarent. Verùm cùm S. Congregatio perciperet, Synodum grauissimis rationibus ad eam censuram ferendam commotam fuisse, si utràque in reliquis laborasse, si istud multiplicium malorum seminarium non hac ratione sustulisset, instante Philippo Rege, auditisque interpellantium refugijs, hoc decretum, aliasque censuras, grauitèr, & necessariò latas, intactas reliquit, & approbauit. Qua de re tota, gratum Lectori, & Indis vtile parergon ad Concilij calcem aliquis apposuit, quod nos in Lima limata non ommisimus: in quo nimirum planè declarantur omnia, quæ in Sacra Romana curia congregati Cardinales, circà huius Prouincialis Concilij examen; & approbationem operati sunt.

Itaque Concilium hoc Prouinciale primum Limanum, à Thuribio Alphonso Mogrouejo Archiepiscopo, iuxtà Sacri Concilij Tridentini decretum, anno 1582. die decima quinta Augusti, inchoatum, ac decimo octauo Octobris anni sequentis 1583. felicitèr absolutum, Sacra Romana Congregatio, post longam, & grauissimam decretorum discussionem Sixti V. Pontificis authoritate, hac ratione approbatum, & confirmatum; vtque ab omnibus, ad quos pertinet, obseruetur, præceptum est; scriptis per A. Cardinalem Carassam 26. Octobris anno 1588. ad Thuribium Archiepiscopum litteris, quibus, & Synodum, vbi visum fuit, aptatam, commendatam, & approba-

tam

tam esse significat: quantaque æstimatione Sacra Congregatio haberet ipsius Thuribij pietatem, Catholicæ religionis studium, & in pastorali officio prudentiam, & assiduitatem: summamque ipsius Congregationis voluntatem, ad ipsum, in spirituali administratione illius prouinciæ iuuandum: Ac propterea posse ipsum eiusdem Congregationis opera, summa cum fiducia vti. Quod quamdiù vixit, fidelitèr, deuotèque obseruauit.

Id adeò Regi Philippo, & eius Indico Senatui placuit, vt, quamuìs reclamante adhùc appellatorum parte, nouo decreto statuerint Proregi de illius Concilij accurata obseruatione scribendum; quod Regio diplomate factum fuit. Atque vt eius copia cunctis præsto esset, Madriti tùnc statìm typis mandari fecerunt, eo verborum tenore, quo Roma remissum fuit: vt factum est, adiunctis edicto Regio, et omnibus per quæ Romana, eius approbatio, et matritensis commendatio cunctis innotescat. Sicque nono circitèr anno postquàm celebratum fuit, adeò matura erat id approbandi deliberatio, ad Indos remissum, et Regis edicto, per singulas Prouinciæ Diœceses, denuò publicatum, abque omnibus obseruari, absque vlla eius diminutione, vel mutatione præceptum fuit. Quod quantò Ecclesiarum, & Hispanicæ Monarchiæ, in ijs regionibus, bono factum sit, admiranda morum reformatio, & rerum tranquillitas, per eius obseruantiam, & indefessum Archiepiscopi Thu-

ribij ſtudium introducta, manifeſto experimento demonſtrauit. Ac tanta eius vtilitas viſa eſt, vt tùm ob hanc ipſam, tùm ob Thuribij conditoris ſapientiam, & ſanctitatem, appetentiſſimè reciperetur.

Nequè deinceps Limenſi tantùm Archiepiſcopatui, qui poſteà confinijs arctior factus eſt, nèc decem Diœceſibus tùnc illi ſuffraganeis; ſed etiam alijs ſeptèm Epiſcopatibus Pacis, Barancæ, Guamangæ, Arequipæ, Truxilli, Fluminis Argenti, à Paraguayano ſeparato, Conceptionis Chilenſis, qui Imperialenſi ſucceſſit, & alijs quatuor, hoc eſt, S. Fidei Metropoli Noui regni Granatenſis, & ſubiectis Diœceſibus Popayanenſi, Carthaginenſi, & S. Marthæ. Et Nicaraguenſi, quæ tùnc Limæ, nùnc Mexico ſubeſt, & Metropolitanæ Charcarum, ſeu Platenſi, aut latinè Argentinenſi, tùm Concilia ipſa ritè, & rectè celebrandi, tùm fidei propagandæ modum, & morum diſciplinæ normam tribus Archiepiſcopatibus, & Epiſcopatibus ſeptemdecim Indicis Caſtellanæ ditionis: immò etiàm & Braſiliæ, cis Andes, ditionis Luſitanæ tradiderit hæc Synodus Prouincialis Thuribij Mogrouejі. In quibus hodiè ſumma veneratione colitur, & reuerentèr obſeruatur: hoc eſt, in tota terra continenti, à media ferè Iſthmo, quæ Mexicanum Orbem cum Peruuiano in ſeptentrione coniungit, ad oras Magalanici freti in Auſtro, longitudinis graduum circitèr ſeptuaginta, & latitudi-

nis, à portu Limano maris pacifici in Occidente, ad promontorium Pernambuco, seu S. Augustini, maris Atlantici, in oriente, vbi latissimè patet, graduum circitèr quadraginta: quos tamen non ad Mathematicum rigorem dimetior.

Celebrauit prætereà Thuribius, pro bono regimine prouinciæ Peruuianæ, alia duo Concilia Prouincialia, & ad quartum conuocauit Episcopos; sed quod morte præuentus celebrare non potuit: Habuit quoque, quæ extant, pro peculiari gubernio suæ propriæ Diœcesis Limanæ, Synodos decem, & plures quæ exciderant; aliasque multas; tàm prouinciales, quàm Diœcesanas Synodos, iuxtà Concilij Tridentini Decreta, has per annos singulos, illas per ternos quosque imperantia, celebrasset; si proptèr difficultates à Gregorio XIII. Pontifice, ipsi, dùm viueret, indultum non fuisset, vt Diœcesanas semel in biennio, & Prouinciales semel in septennio tantùm conuocare posset. Ea verò omnia, & alia eius regiminis monumenta quæ nos, in Actis Canonizationis ipsius, Hispanico idiomate conscripta reperimus, indè latinè transtulimus, in ordinem digessimus, & notis à nobis explicata, publicis typis communia fecimus, iusto volumine inscripto Lima limata: in quo eorum historiam, & ipsa decreta, eo ordine, eaque forma, quibus edita sunt, eius rei cupidus Lector inueniet. Ex quibus multiplex, eximiaque virtus pastoralis Archiepiscopi Thuribij, cuius ea viua,

per-

perpetuaque ſimulacra ſunt, ex effectibus clarius eluceſcet.

Quanto autem zelo, ſtudioque Catholicam fidem intèr Indiæ Chriſtianos ab Idololatriæ, & ſuperſtitionum reliquijs depurauerit, & gentilium nouis conuerſionibus dilatarit. Quanta paſtoralis curæ vigilantia Sacramentorum vſum, adminiſtrationem, omnes ritus, & reuerentiam promouerit. Eorumque, & verbi Dei Miniſtros conſtituerit, vbicumque ducenti vel trecenti fideles curandi forent, qui Eccleſias, vbi erant, benè regerent; vbi non erant, erigerent. Vtriſque verò res vitæ, diuinoque cultui neceſſarias ità prouidit, vt Clerus Limanus reuerà in ſortem Domini ſegregatus, nullam habere debeat ſolicitudinem rei familiaris, nèc quidquam tamen vitæ honeſtè copioſèque ſuſtentandæ, illi deſit, vt ijs anxiè quærendis ab animarum cura minimè diſtraheretur. Quanta boni exempli, & Eccleſiaſticæ honeſtatis cura, cuncta Clericis prohibuerit, quæ ipſorum ſtatum dedecere, vel ipſos apud populum in vituperationem, aut contemptum adducere poſſent. Nèc minus eorum honori, & Eccleſiaſticæ libertati prouidit, nè quis Clericum, vel temerè accuſare, vel laicus eorum ſe rebus, vltrà Sacrorum Canonum terminos, miſcere præſumeret. Diuini cultus grauitèr, piè, ſplendidèque exercendi deſiderio feruens, omnem ſacrarum actionum, ſeu in templo, ſeù extrà, modum, ordinem, ritumque præ-

præſcripſit : ſacraſque res omnes reuerentiſſimè tractari, nèc per laicorum manus, niſi in ciſtis ſera clauſis, tranſire, vel aliquò tranſportari voluit.

A ſacris locis, ſacerdotum vſui deſtinatis, omnem laicorum, & puerorum præſertìm frequentiam, nugas, & fabulas, ſtrictis legibus excluſit Summa cura, et charitate de Indorum protectione, fauoribus, et indemnitate multa ſanciuit; multa Hiſpanorum moderandis moribus; multa curandis infirmis, ſubleuandis pauperibus, pueris educandis. Nèc eius ardentiſſima charitas in vivorum cura ſtitit; quin, et moribundorum ſpiritus auxilia, & mortuorum teſtamenta, & corporum ſepeliendorum rationem, & animarum liberandarum ſuffragia decreuit. Pro Chriſtiana doctrina Neophytis tradenda triplicem præſcripſit formam Catechiſmi, iuxtà variam inſtruendorum conditionem : et ad Presbyterorum quorundam debilitatem, populique ruditatem iuuandum, confeſſiones tùm reddendi, tùm excipiendi modum, et Sacrarum Concionum normam edidit. Varijs edictis taxauat Miniſtris iuſtitiæ obuentionum terminos, quos nèc remitti, nèc tranſiliri præcipit. Viſitationum itidem, et cenſurarum fulminandarum ritus, et modum : vt et feſtorum, ieiuniorumque dierum obſeruantiam conſtituit : Aliaque multa, ſcriptis legibus, et libris decreuit, quæ hic perſcribere longum foret : et quibus Clerum Limenſis Prouinciæ ad primitiuæ propemodùm Eccleſiæ

nor-

normam, populumque ad fidei puritatem, et antiquos Christianorum mores reduxit. Is enim illi ſcopus fuit, vt veteres Eccleſię Canones in vſum, et recentiores ad obſeruantiam induceret: vt eorum loca per nos in Lima limata, ad margines Decretorum ipſius adnotata manifeſtant.

CAPVT XXI.

B. Thuribij ergà ſedem Apoſtolicam obſeruantia, & huius in eum mutua voluntas.

VBi dubium aliquid, aut obſcurum videbatur, Apoſtolicam Sedem, et Romanam Eccleſiam, vt reliquarum matrem, et fidei, morumque magiſtram, candidè, et reuerentèr conſulebat: cuius aliqua reſponſa, ad ipſum reſcripta, nos inter alia eius monumenta dedimus. Diploma illud Euangelicum, à Chriſto datum Petro alta mente repoſitum habuit Apoſtolicus noſter Archiepiſcopus: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in Cœlis: Et quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum et in Cœlis. Cùmque diuina fide teneret, eandem poteſtatem in omnes Petri legitimos ſucceſſores Romanos Pontifices deriuatam eſſe, & in eiſdem perpetua ſucceſſione perſiſtere, horum decreta, diplomata, declarationes, diſpenſationes, iuſſiones, prohibi-

bi-

bitiones, & dispositiones omnes, tanta obedientia, & reuerentia colebat, vt nihil a se ligatum, nihil rectè solutum censeret, quod ab illis, tanquàm diuinis oraculis; non dependeret, eisdemque conformaretur.

Hinc ille recursus, in declaratione dubiorum, in reseruatione casuum, in visitatione liminum; in celebratione Conciliorum; in quibus alius quispiam secum fortassis, vel per locorum distantiam, vel per naturalem rerum necessitatem, vel per moralem obseruandi Canones impossibilitatem, satis dispensatum fore credidisset. At Mogrouejus, conscientiæ suæ puritatis à puero tenacissimus, securiùs existimabat, clarum Apostolicæ Sedis oraculum omni *E*picheyæ, & opinionum varietati præferre. Immò verò tam constans Canonum obseruator fuit, vt acceptis etiam dispensationibus non vteretur, nisi quantum merè necessarias iudicaret. Cuius rei exemplum, cum ipsius Sancti Præsulis testimonio, habemus in visitatione Liminum SS, *P*etri, & *P*auli Apostolorum: quam cùm Gregorius XIII. Sixtus V. Clemens VIII. *P*ontifices in decimum quemq; annum, per procuratorem faciendam ipsi indulsissent; sic tamen de illa in suis ad eundem Clementem *P*otificem litteris loquitur,

Quod, si hæc facultas, vlla de causa, mihi denegata esset, paratus eram iter suscipere, ac Romam contendere: nec obstarent vlla impedimenta,

vel vincula ad remorandum iniecta; quippè, qui ſummoperè cupio præceptis Apoſtolicis obedire; nec vellem ab eis nè latum vnguem deuiare. Et poſt pauca: Et quanquàm illa, de qua ſuprà commemoro, viſitatio, non, niſi poſt decennium recurrat, decreui tamèn eam quotannis pro mea religione præſtare, atque adid Procuratores Generales Ordinum Religioſorum, & alios certos homines deſtinaui. Eadem illi cura fuit, vt Concilia ſua prouincialia omnia, Apoſtolicæ Sedis authoritate firma forent, quòd operam ſuam aliàs perditam exiſtimaret. Extat in publicis tabulis epiſtola, quã cum ſecundo Concilio prouinciali ad Pontificem ſcripſit, cuius periodum huc pertinentem, deſcribendam duxi, ſic enim commemorata Pontificis in laboribus vigilantia loquitur.

Dùm iſta conſiderarem, ſumpſi animum, vt audeam libellum hunc ad Sanctitatèm veſtram trãſmittere, in quo continentur ordinationes, & decreta Concilij *P*ròuincialis, quod in hac Ciuitate Regum celebratum, terminatumque fuit hoc anno 1591. iuxtà normam ſacri Concilij Tridentini, & Breuium Apoſtolicorum, quibus exactè ſatisfactum eſt. Dignabitur ſanctitas veſtra per breue temporis ſpacium, quod benè impenſum æſtimabo, exiguum hoc volumen conſiderare, in quo minutìm perſpiciet Eccleſiaſticum regimen harum partium, Sanctitatis veſtrę protectioni ſubiectarum. Quo eas participes faciet deſideratiſſimi fauoris,

& ip-

& ipsis huius Concilij decretis necessarij : maximè verò in negotio reformationis, quæ Sanctitati vestræ tantoperè placet. Et quoniam nullius suffragium tanti interest, aut æquè certum sit, vt Summi Pontif. D. N. Nos *Præsules* huius *Peruuiæ*, humiles V. serui feruentibus votis cupimus, & rogamus, S. V. hoc breue compendium inspicere velit, & nobis edicere, an his constitutionibus ritè regi debeamus, & reformationem per illas sancitam prætendere in hac Indiarum recenti *Ecclesia*; supplendo omnes defectus, qui in illis contigissent. Hoc enim fauore noster congressus, & labor, optatum sortientur effectum, alioquin in perpetua obliuione mansuri.

Nèc obscura suæ, de Archiepiscopi Thuribij virtute, æstimationis indicia reddebant *Pontifices*, dùm quidquid petebat, concederent; &, quod non petebat, ipsum, per laudum elogia decorarent, seseque expressis verbis promptos exhiberent, ad ipsum in omni *Ecclesiæ* suæ spirituali regimine suis fauoribus adiuuandum. Gregorius XIII. cui primo ex *Pontificibus* Maximis Mogroueji nostri virtus innotuit, eius electionem ad *Archiepiscopatum* Limensem, magno Hispaniarum applausu, & *Philippi* Regis, Regijque Indiarum Senatus commendatione sibi propositum non sinè lætitia, & laudum titulis confirmauit; laxiorem celebrandi Synodos terminum, & Apostolorum limina per alios visitandi facultatem indulsit, atque in de-

cennium dilatauit, & plura Indis vniuersim Thuribij tempore concessit, quæ nos in Lima limata adnotauimus.

Gregorium sequutus est Sixtus V. qui ad Archiepiscopi nostri consulta, per sacram Congregationem Concilij Tridentini Interpretum rescribi iussit: & primum, & præcipuum ipsius Concilium prouinciale Limanum, ab eadem Congregetione inspectum, discussum, & aptatum, atque ab ipso *P*ontifice approbatum remisit, adiuncta *E*pistola A. Cardinalis Caraffæ, prò sacra Congregatione, & Sixti V. Sanctitate scripta, ex qua sequentem periodum in Thuribij apud eos æstimationis testimonium decerpsimus: Ex eaque (Synodo Prouinciali;) amplitudinis tuæ pietatem, &, quod indè elucet, in Catholicam religionem, & Sanctam Sedem Apostolicam studium perspexerunt...... Si quid autem erit in quo Congregationis summa ergà eam voluntas, in spirituali administratione istius *P*rouinciæ...... Sciat amplitudo tua, se eius opera summa cum fiducia, vti posse...... Et nisi nobis tua in isto pastorali officio, prudentia, & assiduitas satis perspectæ essent &c.

Inter illos Religiosorũ Ordinum *P*rocuratores, quibus Thuribius Apostolicorum liminum visitationem suo nomine committebat, vnus fuit Didacus à Zuñiga Societatis Iesu, qui, cùm eo officio rectè fungeretur ad pedes Gregerij XIV. laudatissimi *P*ontificis; has ab eo, ad Archiepiscopum litte-

ras retulit, quæ vel solæ demonstrant, quanto loco Roma Thuribij virtutem, & pastoralem curam præ multis haberet.

Gregorius Papa XIV. Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam benedictionem. Ad nos accedens dilectus filius Didacus à Zuñiga, Societatis Iesu Procurator Prouinciæ Peruanæ, magna nos voluptate affecit, deditque integram notitiam incolumitatis tuæ, & obedientiæ, ac reuerentiæ, quam ergà nos, & Apostolicam hanc Sedem geris. Et in Domo Domini suprà familiam eius constitutus, quàm benè, fidelitèr, & prudentèr labores, ad maiorem Dei gloriam, & animarum tibi subditarum salutem. Benedictus Deus, qui vbiquè regnat, & ministros suos vbiquè regnare facit, vt vineam diligentèr colant, & fructum afferant in patientia: Nos imprimis gratias agimus Deo, qui secundùm misericordiam suam magnam regenerauit nos in spem viuam, vt simus creaturæ eius. Et, vt sub vno capite constituti, tanquàm diuersa membra, vnusquisque ministerium suum adimplendo, illi soli placeamus, cui est gloria, & honor in æternum. Gratias tibi agimus ob zelum, quo assistis curæ domus Dei, & ob magnos labores, quos tàm in visitando amplissimum districtum tuum, quàm congregando Synodos, alijsque benefactis sustines. Quæ opera non solùm apud nos in remotissimis his regionibus tàm procùl dissitos bonum tibi, cæterisque tibi suffraganeis Episcopis

copis

copis nomen accumulant, sed etiam apud Deum sempiternæ gloriæ pondus vobis merentur. Nos demùm etiàm consolamur, quòd in tàm onerosa, difficilique cura nostra, & solicitudine omnium Ecclesiarum, eiusmodi cooperarios habeamus, in quorum viribus confidimus subleuari; sustentarique manus nostras. De reliquis, quæ ad curam pertinent, quam de vobis gerimus, & de paterna charitate, qua vos diligimus, quantùmque bono vestro, & incolumitate lætemur, idem Didacus plenè verbis referre poterit. Quem cum cæteris ipsius socijs sacerdotibus suæ Societatis; quippè bonis, & sapientibus viris, qui, vt per bona opera in conuersione infidelium se exerceant, ad illas partes proficiscuntur, vobis omnibus in Domino commendamus. Deumque oramus, vt, per Apostolicam benedictionem, quam vobis mittimus, vos, & cooperatores vestri acquiratis gratiam, & gloriam in Cœlis: vbi Dominus velit, vt nos inuicèm videamus Dat. Romæ in Monte Quirinali, sub sigillo Piscatoris, 27. Martij 1591. Pont. nostri anno 1.

M. vestrius Barbianus

Sed crescente indiès, cum meritis, fama Mogrouejì, maior illi familiaritas, & frequentius literarum commercium fuit cum Clemente VIII. Pontifice, quem sæpiùs fidentèr, & magno Pontificis solatio de rebus à se gestis, & fidei morumque progressu, pro sua religione, ipsiusque Clementis

iussu,

iussu, per litteras informabat, quæ nobis iterùm vsui futuræ sunt. Is præter alias beneuolentiæ suę significationes, donum illi gratissimum misit; facultatem septena millia numismatum, Coronarum, imaginum, & crucum Apostolicis benedictionibus, cum amplissimis Indulgentijs, impertiendi, quę duobus plenis chartæ folijs in Indijs impressæ prostabant, ex typis cuiusdam dicti Omillos. Qua accepta gratia nihil erat lætius Thuribio, cui nihil gratius accidere poterat, quàm quo posset viuorum, defunctorumque hominum animabus, summa charitate, & æternæ salutis adipiscendæ fiducia suffragari.

At non tantum fidei, & morum præcepta, vel pręscripta monita, & conditę per Archiepiscopum leges, quę absque Pastorum vigilantia, & instantia quotidiana, & solicitudine omnium Ecclesiarum mortuę sunt, hanc opinionem, & Summorum Pontificum pronam voluntatem in Thuribium attraxerunt. Sed multò magis actio viua, vita irreprehensibilis, & heroíca omnium virtutum exempla, per quę Clerum, populumque ad diuinarum, humanarumque legum obseruantiam, & suauitèr attrahebat, & cogebat fortitèr; hortabatur in doctrina sana, & contradicentes arguebat; nec quidquam eorum ommittebat, quę Paulus Apostolus animarum pastoribus præscripsit: Pręedicabat verbum; Instabat opportunè: arguebat, obsecrabat, increpabat in omni patientia, & doctrina, seseque in-

infirmitate circumdatum confiderans, ignorantibus, & errantibus condolebat. Inuigilabat cunctis, in omnibus, & iugitèr laborabat, opus faciebat Euangelistæ: Ministerium suum sobrius, & solicitus implebat.

CAPVT XXII.

Prouinciam visitandi zelus, & multiplex, maximaque difficultas, & certa vitæ pericula.

MInisterij pastoralis prima cura est, proprias oues probè cognoscere. Secunda necessitatibus, morbisque mederi, à luporum incursibus tueri, errantes quærere, reductis prouidere ex animi dilectione: quæ etsi per alios quandòque fieri possint, sed Mogrouejus tanta charitate diligebat suas, vt animam suam prò ijs ponere non dubitaret, immò cuperet, vt cum supremo, & sempiterno pastore dicere potuerit: Animam meam pono pro ouibus meis. Ipsum imprimìs audire iuuat, reliqua ex eius vitæ scriptoribus. Sed maximè ex oculatis testibus prosequemur. Clementis VIII. iussu, quarto quoque anno, relationem status Ecclesiæ Limensis, & actionum suarum ad Apostolicam Sedem mittere debebat: quod vt ritè faceret, necessum habuit, vt suæ quoquè administrationis rationem redderet, idque qua poterat modestia, &

par-

parcimonia verborum, Pontificijs mandatis parens, his verbis per plures litteras ad eundem Clementem ſcriptas faciebat.

Quod ad rationem attinet mei muneris, iam proximis annis eàm ſcriptam iſthùc miſi; nùnc verò capta occaſione Claſſis, denuò mitto, antequàm quadriennium compleatur, idque volo mea obſeruantia anteuertere. Hæc relatio quam exhibeo, ſumma eſt fide confecta, & meo nomine quod ſubſcripſi confirmata. Et iterùm: Poſtquàm ex Hiſpania ad haſce Regiones deueni Anno 1581. viſitaui per me, ac per meos Vicarios, cùm per me non poteram, ſæpè hanc Diœceſim mihi commiſſam, inquirendo, & paſcendo meos greges, & eorum neceſſitatibus ſubueniendo, & morbis medendo; prædicando diebus Dominicis, & feſtis Indis, & Hiſpanis, vtriſque in ſua cuique lingua, & adminiſtrando Sacramentum Confirmationis innumerabili populo, ſexcentis, & eò ampliùs meo iudicio millibus, peragrando plus quinquiès mille ducentas leucas (alij 7000, numerant, hoc eſt vnum & viginti millia Milliariorum: nam ipſe vltimam profectionem non cenſet, cùm ante illam ad Pontificem ſcripſiſſet) ſæpè pedeſter, per vias aſperas, & difficiles, tranſmittendo ingentia flumina, & torrentes rapidiſſimos, cum magna inopia, & egeſtate, interdùm ſinè cibo, & lecto, penetrando hac ratione partes remotiſſimas Indorum Chriſtianorum cum Infidelibus & barbaris de

more bellantium, quo nunquàm ante vllus Visitator intrauerat.

Hæc ipse vir sanctus de lustratione prouinciæ, pro rara sua modestia, & obedientiæ vinculo ad Clementem Pontificem: sed multò plura, & particularia habentur, tùm in Actis Canonizationis, tùm apud scriptores vitę ipsius; qui id omnes non immeritò obseruarunt, maximum sanè veri pastoralis ipsius zeli, vigilantiæ, Charitatis, & solicitudinis argumentum: quòd, cùm viginti quinque annos Archiepiscopus vixisset, horum totos tredecim, aut potiùs sexdecim, vel plures in perpetuis itineribus, maximisque laboribus, & vitæ periculis, extrà suam vrbem consumpserit: & vrbanam rem ità disposuerit, vt nullus defectus, vel deordinatio ex tàm diuturna eius absentia in vrbe contigisset. Ego rem per partes narraturus, dùm ineluctabiles eius difficultates antè oculos habeo, satis mirari non possum, quanta animi fortitudine, tantùm negotium aggredi ausus fuit, quanta constantia, & malorum tolerantia prosecutus sit, quàm ingenti fructu contrà spem hominum, ità perfecerit, vt nisi certissima extarent actorum eius documenta, multa vix crederentur fieri posse ab homine viribus imbecilli, ætate sene, & voluntarijs, ijsque perpetuis macerationibus carnis penè consumpto: quantis demùm prodigijs, & patentibus miraculis Deus ipsius virtutem vbique protexerit, iuuerit, & manifestarit.

Is profectò erat Beatus Antistes, qualem S.Maximus describit Eusebium Vercellensem: Quidquid in plebe, Cleroque Peruuianorum potest esse virtutis & gratiæ, ex eo, tanquàm è lucidissimo fonte, omnium oraculorum puritas emanauit. Etenim quia castitatis pollebat vigore, quia abstinentiæ gloriabatur angustijs, quia blandimentis erat prædītus lenitatis, omnium ciuium in Deum prouocauit affectum: quia Pontificis administratione fulgebat, plures è discipulis reliquit sui sacerdotij successores, doctrinę & pietatis encomijs laudatos. At præ cæteris Thuribij actionibus eximia, & multiplex eius virtus, et gratiæ Dei dona, pro varietate occasionum in prouinciæ cognitione enituerunt, et tanquàm aurum in igne laborum, molestiarum, et periculorum probata sunt, atque imprimis quod dixi, fortitudo in aggressu admiranda. Humil 59.

Erat tùm Archiepiscopatus Limani circuitus, laucarum sexcentarum rectum iter, siue nostra mensura octies centum, et mille milliariorum: at quod Thuribius non semèl perfecit, non recta profectio, sed perpetuus error, et peragratio fuit. Quem nùnc robustissimum iuuenem tàm immensa viæ longitudo non deterreret, etiamsi tota plana, recta, omnibusque commodis instructa foret? quis rediturum se sperare posset, si agendorum pondera, si laborum lernam, si vitæ discriminum perpetuam, et naturę virium conatu ineuitabilem congeriem, si plurium populorum diuersi mores,

et linguæ, feritatem præ oculis haberet: quorum aliqui in oppidulis, et pagis, alij in tugurijs agrorum disperſi, alij in montium cauernis instàr ferarum, nec parua pars in locis penè inacceſſibilibus, certè à nullo Antiſtite, vel Eccleſiaſtico Viſitatore eatenùs acceſſis, belluinis moribus habitabant.

Si terræ conditio ſpectetur, in tres regiones diuiſa eſt, ex quibus plana inuijs, et lubricis arenarijs, ſole ardentibus, interſtincta; frequentibus terræ motibus, et moleſtiſſimis muſcis infeſtatur, quæ morſibus ſuis hominum ſanguinem, per duplices, tripliceſuè veſtes exugunt, & infligunt vulnera virulenta, diù æquè noctùque frequentes, & grauiſſimæ. Altera regio montana, perpetuo aſcenſu, deſcenſuque nimis ardua, vallibus concaua, ſaltibus obſtruſa; in quibus per vrſos, & Leones obſeſſus non via, non ſemita videtur, qua te eripias: nam ſi qua hominum pedibus calcata occurrit, ociùs deperditur; ſi qua ferarum, ad earum antra dilaniandum ducit. Ingentes vbique fluuij; & rapidiſſimi torrentes, nulla naui vel ponte ſtrati, ſed ſolo vado tentandi, cumque in medio ripam alteram petis, non raró ſubitanea aquarum è montibus illuuione periturus abriperis: alibì foſſæ, paludes, aluæi, cæno, & vligine vix permeabiles. Tertia regio celſiſſima Andium iuga ſunt, vbi hìnc altiſſimæ crepidines, indè profundiſſima, & formidanda præcipitia, quæ vt euites, manibus, pedibuſque repere oportet, quo nedùm homines,

ſed

ſed nèc animantia præter ceruos, & ibices incedere poſſunt.

Neque hìc in petrarum concauis deſunt frequentes viperę, & multi ſunt angues, viginti quinque, vel triginta pedes longi, humani poplitis craſſitudine: aliaque noxia animantia, præſertìm tygrides, quibus reliqua *Peruuia* libera eſt. Apri quoque & innumerabiles ſimiæ, & Cercopitheci, veruecum noſtratium molem alicubi excedentes. Aquilæ quidem, & aliæ quædam volucres rapaciſſimæ, quas indi *Cuntur*, Hiſpani *Condor* appellant, tàm vaſtæ molis, vt viſæ ſint, quæ expanſis alis, quindecim, aut ſedecim terræ pedes occuparent; roſtro tàm valido, vt bouinum tergus eo perforent, earumque duæ bouem occidere, & commedere valeant: nèc ab hominibus abſtinent. Sed earum paucitate prouidit Deus, nè pecus vniuerſum, populoſque vorarent.

Sunt etiam in Peruuia quædam inſecta, quæ ideò araneas vocant, quòd vbicumque ſunt, telas inſtàr noſtratium aranearum texant; quæ turgido corpore, mali citrei amplitudinem adæquant: adeò virulenta, vt eorum ictus iugulent, niſi efficaci remedio, & citò ſuccurratur; nam ſi diutiùs differas, virus ad cor ſubit, & præſens mors conſequitur, nèc vlla remedia iuuant; præſtantiſſimum autem experiuntur lac ex ficus folijs emanans, quod ſi ſtatìm recenti vulneri bis, vel ter inſtilletur, venenum ex ictu relictum extinguitur, tolluntúrque

dolo-

dolores, & succedentia symptomata, solo vulnere relicto; quod cùm exiguum sit, facilè curatur: diù tamèn apertum conseruare solent. Atque in hæc ego me charitatis affectu diffudi, vt videant Medici nostri, an idipsum remedium, quoquo modo applicatum, Tarentinarum aranearum morsibus mederi possint. Sed hic iterùm prouidentia Numinis in Peruuianos laudanda venit, quod folia ficus ibidem in arbore toto anno virentia conseruet.

Quod præsens est, tàm varia; & sibi ipsi aduersa qualitas aëris Peruuiani, ipsa frequenti mutatione, valetudinis discrimen minabatur molienti hanc profectionem; cùm ex calore nimio ad aquas niuium transeundum sciret, dùm in plano perpetua serenitas, & æstus; in montanis alterna pluuia, calor, frigusque: in Andibus pluit, ningit, & alget: in vallibus ingens calor: è quibus cùm in montium fauces ascenditur, altissimæ niues, & frigus tàm intensum, vt eò congelata corpora, post expiratam animam, per plures annos integra, & incorrupta perdurent. Quæ omnia tàm propemodùm impossibilem reddunt perquisitionem Prouincię, vt Iosephus à Costa, cunctorum peritus, ea probè perpendens, in hunc modum scripsisse fertur: Ipsę habitationes Indorum inaccessibiles, ad quas ducunt itinera, ceruis & ibicibus tantùm peruia, spem salutis excludere videntur. Quis hos Indos perquiret? quis inueniet? quis colliget? quis in-

instruet? Nec minùs tamen ab hoc munere Thuribij Mogrouejì personam deterrere poterant, quę antè meminimus, debilitas virium, & ętas ipsa, quę quiete,& commodis potiùs, quàm laboribus, incommodis, & ęrumnis indigebat, quęque illis sustinendis, naturę facultate, haudquaquàm par esse putari posset.

CAPVT XXIII.

Thuribij in laboribus, periculisque vincendis constans fortitudo, & visitandi necessitas.

IPse vir sanctus, cuius conuersatio iàm tùm in Cœlis erat, animi sui fortitudinem, non argutijs humanę prudentię metiebatur, sed, vt verè Christiana, & heroica fortitudo esset, diuinę fidei, spei, charitatis, et pastoralis zeli alis, eam suprà Andium altitudinem extollebat, et, vt à summo Cœlo egressio eius, per diuinę gratię vehicula, ità occursus eius, vsque ad summum eius per bonorum operum, et virtutum eximia merita. Quo maior erat Peruuianę visitationis difficultas, quę aliorum accessum eatenùs exclusit, eò maior ipsi videbatur necessitas, et obligatio adeundi: quoque per ętatem vicinior erat exitus vitę, eò auidiorem eum reddidit lucri meritorum, nèc certiùs forum sibi pręstituere potuit ad cœlestis glorię merces comparandas, quàm vt animam suam poneret pro oui-

ouibus ſuis; quo maiorem teſte filio Dei charitatem nemo habet; ſeù id officij ſui laboribus, vt euenit; ſeu martyrio per barbarorum Sagittas obeundo, quod cupiebat, conſequeretur.

Itàque quod apud Hiſpanos in prouerbio eſt; ex ipſa debilitate corporis, animi vires exerebat, omnes difficultates diuina virtute ſuperandas minimè diffidens, nèc vllis aliorum ſuaſionibus à propoſito, et paſtoralis officij munere retardari poterat, quibus ità reſpondere ſolitus fuit. Ponamus ob oculos Deum, & vadamus, quo ille iubet, nihil nos terreat, nèc detineat, nihil timet tuta conſcientia. Aeſtuabat ardore patiendi pro Chriſto, eumque vt paſtorum exemplum imitandi. Dicebat, oues, quas ipſe quærebat, ipſius Chriſti eſſe, ac fore, dolebat vllam perire: cùmque perciperet earum plures inſtar belluarum vagari per campos, verſari in ſyluis, cingi rupibus, vallari ſeptis, ſinè lege, ſinè rectore; ſinè Sacramentorum Miniſtris, vel magiſtris doctrinæ, triſtabatur ex animo, & dolore perditionis animarum percitus, hac ſe meditatione firmabat, & ſimul ora diſſuadentibus occludebat: Filius Dei ſola ſua diuina charitate, & ergà pereuntes Adami filios miſericordia motus, è beato Patris ſinu de Cælo in terram deſcendit, carnis noſtræ ærumnas aſſumpſit, eſuriebat, ſitiebat, ſudabat, laſſabatur; Et ego Iuſtitiæ vinculis obſtrictus permittam animas, ipſius labore, ſudore, & ſanguine redemptas, & meæ

curæ

curæ per ipsius in terris Vicarium commissas, à Dæmone ad interitum rapi? non faciam. Nèc est quod mortis terrorem incutiatis mihi, nam Christus pro eis mortuus est. Responsurum me illi, ni huic me curæ inijciam, ni corpus meum periculis, & incommodis obijciam, ni mortem, vbi opus, oppetam sciatis: eius prouidentiæ fidendum, qui opus iniunxit, non defuturum auxilio: hac ope; non mei corporis viribus metiendam, superandamque esse omnem quantumlibet arduam difficultatem, per quam tenera virgo Maria fœtu grauida, Angeli monitu exurgens abijt in montana cum festinatione vt visitaret Elizabet; quod in ipso labore, & lassitudine visitationis, vt animos sibi, suisque faceret, sæpè repetebat Mogrouejus.

His Beatus Præsul cogitationibus armatus, exultabat vt gigas ad currendam viam. Quinquies ad minùs ipsum visitationis munus obijsse in publicis tabulis reperio. Ipse ad Clementem VIII. Pont. decimo antè mortem suam anno scribens: *Postquàm*, inquit, ex Hispania, ad hasce regiones deueni Anno 1581. visitaui per me, & meos Vicarios, cùm per me non poteram, sæpè hanc Diœcesim mihi commissam. Alij statìm atque Præsulatum inierat, incæpisse huic muneri satisfacere. Alij cœpisse antè primum suum Concilium *Prouinciale* Limense, & quandocumque negotijs vrbanis expedire se, citrà officij sui iniuriam, posset, nullam occasionem eius obeundi muneris abire sibi passum

ſum teſtantur. Primam generalem, & integram totius Diœceſis luſtrationem; poſt primum illud Concilium Limanum à ſe celebratum, inchoaſſe, ſeptemque continuos annos in ea conſumpſiſſe ſcribunt: foris interea celebratis tertia, quarta, & quinta Synodis diœceſanis ab initio anni 1584. ad annum 1590. quo in vrbem reuerſus, ſextam Synodum Diœceſanam habuit, die vndecima Octobris, & ſecundum Prouinciale Concilium obſoluit anno ſequenti. Ac deindè poſt ipſum, Regulam conſuetudinum Cathedralis Eccleſiæ Limenſis, reliquis imitandam conſcripſit, & Capituli conſenſu conſtituit, inchoato eius examine 4. die Decembris anno 1592. ac terminato primo Maij 1593.

His alijſque rebus per reliquum hunc annum in vrbe diſpoſitis, ſub initium 94. ad ſecundum generalem, & integram cognitionem profectus eſt: in qua ipſum celebraſſe cenſeo Synodos annorum 1596. 1598. & 1600. quæ exciderant; vt ad frontem nonæ Synodi aduertimus. Nec redijſſe ſatis reperio, vſque ad annum 1601. cum Epiſcopos in vrbem iam ad Concilium conuenire reſciret. Quo anno, die vndecima Menſis Aprilis, incœpit tertium prouinciale Concilium in eadem Ciuitate Regum. Ità vt in hac etiam ſecunda luſtratione, meo quidem calculo, ſeptèm paritèr annos occupatus fuerit. Hæſiſſe autèm tùnc aliquandiù in vrbe oſtendunt nona Synodus Diœceſana anno 1602.

die

die 16. Iulij, & Synodus decima die 31. eiusdem mensis anni 1614 in eadem vrbe celebratæ.

Tùnc verò post conuocatorias litteras quarti Concilij Prouincialis, tertiam generalem visitationem incœpit, & per biennium prosequutus est, vsque ad annum 1606. quo tandem in opere sudans, morbo, ex inedia, & lassitudine laborum contracto, ipso die cœnæ Domini, 23. Martij inter Diuos translatus est. Sicque intercepta tertia hæc generalis visitatio, & quarti Concilij celebratio præpedita fuit. Adeòque his tribus tantum generalibus Metropolitanæ Diœcesis suæ cognitionibus, quas per seipsum exercuit, integros sexdecim annos impendit. Quo autem impenderet alijs particularibus, quas partìm per se, partìm per Vicarios egit, mihi incertum est. Non multum tamen aberrare censebor, si biennium plùs minùs, per interualla, concessero, quæ ab vrbis negotijs, tanquàm subcissiuas intercapedines, opportunè excipiebat. Ita vt octodecim circitèr sui regiminis annos in laborioso, incommodisque, & periculis pleno hoc visitandi negotio, extrà vrbem consumpserit; contemptis domus suæ commodis, & vrbis delitijs: in qua per septem annos tantùm, aut non multò plus temporis, ex viginti quinque annis, quos in Peruuia Præsulatum gessit, vix quieuerit; quamquàm ibi etiam in perpetuis laboribus, & Ecclesiastici Iuris propugnandi negotijs occupatissimus, quæ suo lo-

co partìm enarrauimus, & posteà fusiùs prosequemur.

Nec vltrà necessaria fuit ipsius in vrbe residentia; cum res ibi ab initio tam benè disposuisset, in populo forti in fide, relictis grauibus Ministris, & vtriusque ordinis Clero, doctrina, & pietate insigni, cuius non parua pars Episcopatum per se regere posset. In agro verò infinitus barbarorum populus nondùm in fide satis firmatus, Rectores mundani, etsi veteris fidei tenaces, sed bellandi magis, quàm pacis artibus, vitiorumque, quàm virtutum habitibus instructi. Clerus etiàm ignorantia sua, & maiori mundanarum rerum cura, tùm ad se, tùm ad alios regendos minus aptus, quos in ordinem redigere debuit, ac vehementèr voluit. Interìm vbicumque per prouinciam esset, perpetuis nuncijs de vrbis ipsius, aliarumque partium rebus instructus, perpetuis paritèr mandatis cuncta disponens, Diœcesis terminis nunquàm exijsse deprehensus est; sed fulgebat iustus tanquàm sintilla in arundineto discurrens, sanctitatis suæ radijs absentes illustrans, charitatis ardore præsentes accendens iudicabat nationes, & dominabatur populis, vt in eis regnaret Dominus illorum in perpetuum: cuius fidem Thuribius vbique exaltabat, & obsequia fortitèr promouebat.

Sap. 3.

Harum rerum testis luculentissimus est ipse Beatus Archiepiscopus, in litteris, quas ex ipso

iti-

itinere secundæ suæ generalis visitationis, ad Catholicum Regem scripsit, posteà in Canonizationis ipsius acta relatas, eo animo, vt æmulorum ora, qui tùnc ex Indijs in Hispaniam veniebant, apud Regem, ea modestia occludat, vt nullum eorum in litteris nominet, ea necessitate, & exemplo, quibus Paulus Apostolus labores suos ingenuè refert. Cum quo etiam ijsdem æmulis dicere posset. Factus sum insipiens, vos me coegistis. Ego enim à vobis debui commendari: nihil minus fui ab ijs, qui sunt suprà modum Apostoli, tametsi nihil sum; sed ipsius epistolæ partem illam, quæ ad præsens propositum in actis producta est, proferre præstat.

Postquàm ad hoc Regnum veni, laborare conatus sum, & officio meo vt poteram fungi, exercendo Pontificalia, celebrando duo Concilia prouincialia, & octo synodos Diœcesanas, non perdendo tempus, vel occasionem vllam, per quam satisfacerem dispositionibus Sacri Concilij Tridentini, & Breuium Apostolicorum, quæ ad me transmissa sunt: curando, vt conscientiam meam exonerem, nec illam aggrauatam habeam: totam Diœcesim personalitèr, bis cum hac vice, visitando, eundo, & peragrando quidquid meæ Iurisdictionis est, vltrà quatuor millia leucarum. Confirmaui plures quàm quater mille animas, non accipiendo candelas, nec fascias, nec argentum, nec rem aliam, sed omnia faciendo, & supplendo ex

meis

meis reditibus: oblectationibus,& delitijs, cibo, & lecto me priuando, meisque pedibus itinerando; id cogente necessitate, per illos montes, pro administranda doctrina, penetrando ad conterminos Indorum belligerantium, vbi nullus Antistes, vel visitator adhuc fuit; vt iàm proximè per me factum est, magno gaudio Indorum, ex sui Præsulis præsentia concepto, & magna voluptate mea irrumpendo in omnes difficultates, quæ se mihi opponunt, asperrimarum viarum, aquarum, noctium, calorum, aliarumque calamitatum, & molestiarum. Nec propterea ommitto debitis temporibus assistere in Ciuitate Regum, nec per hæc itinera prouidere necessitatibus, quę in illa occurrunt, expediendo prouisiones, & necessaria mandata, negotia absens, vt præsens tractans. Nec mea præsentia vnquàm in Ciuitate desideratur, præsente, & assistente Prouisore, & Vicario Generali huius Archiepiscopatus. Et iàm annus ac dimidius tantùm est, postquàm discessi a Ciuitate Regum, in prosecutione huius visitationis generalis quam facio. Cùm priùs ipsam Ciuitatem, tempore Marchionis de Cañete, vestri Proregis, per tres, & amplius annos visitarem, & rebus alijs intenderem. Cùmque omnium harum occupationum, & molestiarum certior factus esset Gregorius XIV. Pont: magnam indè voluptatem concepit, misitq; ad me litteras humanissimas fauoris, & amoris suæ Sanctitatis, animando me, vt quemadmodum in

cis

eis incœpi, ità progrederer. Ego non minorem fauorem ex Regijs manibus vestræ Celsitudinis expecto, vt oblatum mihi fuit per vestras Regias litteras, datas è S. Laurentij vndecimo Augusti. anno 1593. Deus noster Dominus me dirigat, detque mihi vires ad laborandum in hac vinea, & exonerandas conscientias omnium, dum aliud præmium non cupio, quàm, vt me liberet, & vires det in prælio quod contrà me fiet, & conseruet Catholicam personam V. Maiestatis Lamellini prouinciæ Guari Regis. 16. Aprilis 1596.

Archiepiscopus Regum

CAPVT XXIV.

Thuribij visitantis apparatus. Labores, pericula, magno fructu compensata.

HAnc ille rei peragendæ rationem obseruabat. Quoties in prouinciam abibat, res vrbanas nouis veluti curis, ità componebat, expediebatque, vt, eo absente, nihil turbarum, vel detrimenti pati posse viderentur. Optimos viros quos, vel domui suæ, vel Archiepiscopali Curiæ, vel rebus, locisuè peculiaribus præfecerat, repetitis hortationibus, rerumque agendarum regulis, monitisque graui & ardenti sermone solicitabat; vt vigilantèr insisterent operibus iustitiæ, & charitatis: id obsequij Deo debiti, suæque, atque ipsorum honoris,

atque

atque conſcientiæ, populi ſalutis intereſſe; vt non Miniſtros, ſed Epiſcopos in ſpecula ſe ſinguli præberent. Plurimum id Ponderis in componendis exterarum plebium fide, & moribus habere, ſi intelligerent illi pulchrum ſibi caput eſſe, & Principi Eccleſiæ tantum abeſſe, vt maculam, vel rugam haberet, vt potius ijs ornamentis præfulgeret, quę reliquæ omnes, ſumma laude ſui, & bonorum omnium incremento ſequerentur. Turpe ſanè, & verendum fore, ſi gens infidelis, & moribus barbara, veterem Hiſpanorum puram, ſanctamque fidem, morum diſſonantium redarguere poſſent: nec facilè eos amplexuros leges, quas earundem conditores, & magiſtri non ſeruarent.

Rem Eccleſiaſticam ſtrenuè tuerentur, ſed ea ſuauitate, & prudentia, vt ſæculi hominibus, vel Regijs Miniſtris nullam iuſtæ offenſionis cauſam,
1.Pet 4. vel violandæ pacis occaſionem præberent: mutuam intèr ſe ipſos quoque charitatē continuam haben-
Gal. 6. tes, alter alterius onera portarent; non ambitioſa
Rom. 12. munerum competentia, ſed officioſa contentione ſe mutuò iuuandi: charitate fraternitatis ſe inuicèm diligentes, honore inuicem præuenientes. Tùm itinerum comites, functionumque auxilia, & miniſtros, ac obſequij ſui famulos, non ad pompam ſed ad neceſſitatis menſuram aſſumebat, eoſque ſelectiſſimos, probatoſque; qui modeſtia morum, & exemplis pietatis populos ædificarent, laborum conſortium non fugerent, aut faſtidirent: nec vlli hoſ-

hoſpitio moleſti, graueſuè forent. Iiſque ab eo diſtrictè vetitum erat, nè vel obolum pecuniæ, vel aliorum munerum quidpiam à quopiam accipiant: nulli ſe ſingularitèr familiares præbeant, ſed omnibus benignos, & gratos.

Iuſtitiæ miniſtros præmonebat, quod Synodalium legum præſcripto priùs cauerat, vt nihil omninò, non dico repetundarum, quod ſummi ſceleris loco haberet, ſed nec officij iurium nomine, etiàm vltrò oblatum acciperent, quod ijſdem legibus cautum, taxatumque non eſſet, alioquìn quadruplum abſque vlla excuſatione reddituri: ſed ab Indis nihil omninò, vel minimum in quocumque genere rerum: ſequebantur baiuli pauci, qui, Indorum conſuetudine, ſuppellectilem dorſo portarent; ſed inter quos ipſe, nonnunquàm in vijs difficillimis, vt eorum ſubleuaret laborem, pedeſtri inceſſu, partem ſarcinarum ſuis humeris conuehebat; ea ratione, Crucem ſe poſt Chriſtum baiulare dicens.

Suppellex præter ſacram, & res paucas frugaliſſimo victui neceſſarias, erant leuia culcitra duo, pauca lintea, aliaque lecto honeſtè ſternendo; ſed quibus ille nunquàm alitèr foris, quàm domi ſuæ Limæ vſus eſt. Aliqua prætereà cælati argenti vtenſilia, quæ conueniebant ſuſtinendæ dignitati, cuius ille vbique ad modeſtiæ menſuram obſeruantiſſimus erat: cuſæ quoque monetæ, & variarum rerum non parua copia, quas in Eccleſiarum ci-

melia, & sacra vasa plerùmque conuertebat, vel egenis largiebatur; aut non adeò egentibus Indis, quo suauiùs eos ad auscultandam doctrinam, & suscipienda Sacramenta concitaret. Ipse plerùmque, honestiorque familiæ pars mulis vel equis vehebantur: ac itinerum difficultatis præmonitus, vehiculi genus circumducebat, quod Indi *guando* vocant, in quo necessitate coactus, Indorum humeris extensus vectaretur. Erat quippè ex cordulis contextum rete, è duabus perticis per latera pendens, quarum extrema capita quatuor baiuli suppositis humeris sustentabant; sed vacuum, & perticis aduolutum leuissimum onus vni soli fuit: eoque nunquàm vsus legitur Thuribius, præterquàm semel, cum inedia & lassitudine deficiens, non viribus tantùm, sed sensibus etiàm adeò destitutus fuit, vt omnium opinione vel omninò mortuus, vel non amplius victurus videretur: ac tamen vectoribus alioquìn onere vacuis, stipendia, ad assem persolui faciebat; fortassis nè sibi, vel suorum cuipiam eiusmodi, vel debilitatis, vel morbi casus accideret.

Nàm dùm ipsum non deficiebat corporis valetudo, vias, quas mula incedere, vel per quas tutò insideri non poterat, ipse pedes etiam nudos, vel canabaceis, aut sparteis calceamentis, quæ *alpargatas* vocant, religiosis nostris in Hispania frequentibus, calceatus carpebat, seù asperæ illæ, seù cœnosis voraginibus impeditæ forent: In quibus

bus calceos, nonnunquàm tibialia, & ipsam pedum pellem relinquebat. Per abruptas rupes repebat manibus, vel fune ligatus, ex imis præcipicijs, in summas crepidines trahebatur sursum, vel deorsum dimittebatur, vel traijciebat ingentia flumina, non sine præsenti discrimine suæ vitæ. Hoc apparatu per eadem, pluraque pericula, pedestri itinere in montibus Condomariæ, & Chachapayanis per dies continuos tres eundum erat, & alibi sæpè per plures leucas: præsertìm cum penetraret montes Abamayanos, Prouinciam Gamaliensem, & montes, Andesque Chinchacothanos; multòque interiùs, Carapinates, Croquilcates, Chiscates, Guamenses, & Motilones, aliosque nonnullos populos, quorum vel solus vocabulorum stridor lectorem terrere posset, perlustrauit.

Hi quamuìs olim baptizati, arcubus tamèn & sagittis more gentilium barbarorum perpetuò armati, ab alijs Christianis se tutabantur; omneque commercium ipsorum prohibebant: & cum conterminis infidelibus perpetua bella gerebant; solo Christiano nomine, sinè vita consentanea, vel Sacramentorum vsu, gaudentes; nèc omnes etiam baptizati. At sanctissimi nostri Præsulis humilitate, & lenitate, qua ipsos in visceribus charitatis humanissimè tractabat, omnes in sui venerationem, amoremque attraxit, multos sacro lauacro tinxit, & omnes ritè instructos, Confirmationis

Sacramento muniuit. Hinc in Xauxam prouinciam, conterminosque progressus, & ad Guacayanes, & Cochangarenses, intèr eos post longum, & arduum iter, tota nocte in deserto cuiusdam Indi tugurio sinè lecto, ciboque iacuit. Cumque robusti alioquin iuuenes, eius familiares, ex viarum asperitate vel alimenti penuria deficerent, ipse senex sexagenario maior, exemplo patientiæ suæ, & suauissimo sermone omnes recreabat.

Alios indè montes non minori labore, vel discrimine scandens, quo sanctimoniæ ipsius, & ardentissimæ charitatis, mirabiliumque factorum fama, ad infideles vsque præuolauit, obuium habuit Ethnicum Prouinciæ Dynastem, quales Indi *Quaziques* vocant, cum ingenti populo barbarorum, se suosque ipsius obsequio, solatioque promptos, & Christianæ Religionis sacris imbuendos offerentem, rogantemque; vt prouinciam penitiùs intrare velit, habiturus plurimos obsequio ipsius, & doctrinæ capescendæ paratos. Tùm vir Apostolicus, oblato nouo grege lætus, Deo primùm grates reddere, quòd illùc eum duxisset, vbi tot animas suæ Diuinæ Maiestati lucratus sit. Barbaros deindè humanitèr alloquutus, donis genti gratis impertiuit, reliquitque conuentionis sic dispositæ, doctrinæque & sacramentorum ministrum Bernardum Nauarretem Ordinis S. Francisci, probatæ virtutis, scientiæ, & morum sanctimoniæ virum,

rum, & illi regioni ad fidem, & mores Christianos reducendæ priùs præfectum, quem ipsius Archiepiscopi loco audirent, & colerent.

Hìnc ad Yungas penetrauit, populum Prouinciæ Guancabambæ, quæ cæteròqui inhabitabilis est: difficillimis quippè vijs inaccessibilis, præsentissimis periculis, & perpetuis propemodùm nymbis obnoxia, asperrimis montibus, amplis paludibus, altissimis fossis, & stagnis impermeabilis, & inculta. Permeauit tamen charitas inuincibilis Mogroueji, cui nihil difficile videbatur, & pericula vorabat, vbi vel vnius animæ salus quærenda foret: lustrauit omnia, populumque miserrimum consolatus est, & necessarijs Sacramentis in fide confirmauit. In his Prouincijs à ciuili cultu, & Ecclesiasticis ritibus adeò remotis, vt nullus antè Thuribium Episcopus in eis vnquàm visus sit, nec ipsos doctrinæ ministros facilè tolerabant. Cùm sacri Chrismatis conferendi causa Pontificalibus ornatus appareret, ad spectaculi nouitatem territi barbari fugiebant, & Hispani ipsi mirabantur. Sed sancti Pastoris dulci sermone, & paterna voce confortati redibant, eumque venerabundi audiebant. Id enìm, vt obitèr dicam, in Archiepiscopo hoc nostro singularitèr notatũ est, quòd quamuìs alioquìn humillimus, Pontificijs tamen muneribus mitrę indutus, authoritatem status, & sacræ actionis maiestatem cum nulli Prælatorum cederet, plurimis præripiebat; Deitatem illam, cui

ser-

seruiebat, corporis habitu, & actionis grauitate, quantum homini licet, repræsentans.

Hac ratione Thuribius Alphonsus Mogrouejus tot itinerum reuolutionibus; tot vicibus, per tot annos, tanta districtione suam lustrauit Prouinciam, vt nullum locum, non montem; non vallem, non saltum, non Cœnobium; non Xenodochium, non templum, non sacellum, non eremitorium, non solitarium tugurium, vel terræ antrum, in quo vel vnus homo viueret, in tota ea forsitàn totius Ecclesiæ Christi tùnc amplissima, & vastissima Diœcesi, inaccessum, incognitumvè reliquerit: vt Ciuitates, oppida, Pagos, & armentarias, fodinarias, Sacchararias, lanificiarias, aliarumque artium operas, in quibus multitudo hominum, laboribus intenta, commorari solent, silentio pertranseam. Huius rei veritatem certiùs comprobabunt euentus, quos iam referemus paucos quidem ex plurimis id genus.

Dùm Indos belluino more in montibus dispersos, per transuersum cliuum descendens quæreret, seu veriùs venaretur, accidit, vt lubrico vestigio cecidisset; tùnc famulo manum porrecturo, dixit, id astu dæmonis euenisse, vt Indorum salutem præpediret, neque id se permissurum, cùm Christus de Cœlo ad eos quærendum descendisset. Peruenit ergò pedes, trium leucarum iter, dùm in valle clausos reperit Indos longæuos, cum prouectis filijs, & nepotibus quatuordecim annorum

non-

nondùm baptizatis. Diem integrum, & noctem, aut plures cum ipsis mansit, & omnes baptizauit, & baptizatos confirmauit. Nèc lectum habuit, nec alium cibum, quàm paucos cammaros, cancrorum genus,& maizium aqua coctum, quod nos turcicum granum appellamus, ea mensa tanta condescensionee, & familiaritate vsus, vt eiusmodi cibum, cum aquæ potu, etiam alibì sæpè laudare soleret, maiorique gustu, & hilaritate, ceù cupitæ paupertatis epulas comederet; quàm soleant alij lauta cupedia, quibus opiparè conuiuantur.

Aliam viam laboribus, periculisque plenam dissuadebant comites, rogabantque, nè saltèm noctu tentaret. At ille, pro sinceræ conscientiæ vinculo insistens muneri suo, intempesta, & obscura nocte, cum vno Indo, ad id conducto viarum duce, cæteris inscijs, altùmque sopitis, solus abiuit, tantaque felicitate peruenit, quo voluit, qua maiore, vel aprico die, vel omnibus comitatus non posset. Quod socij per diem sequentem insecuti: & horridum iter experti, miraculi speciem præferre censebant. Chinchanum duobus tantùm comitatus dùm peteret, totam noctem ieiunus aberrauit, multoque pòst die in Cañetem oppidum incidit. Tùm cibi, somnique oblitus oppidanos, pro more, Sacramento Confirmationis liniuit. Cigua propè magnum flumen Amazonum, Indis *Marañon*, discendens, à comitibus

oran-

orandi causa separatus viam perdidit, & in deserta crepidine præcipitijs, ac tenebris vndique cinctus, nec antè, nec retrò pergere ausus, stitit solus. Cęteri verò adulta nocte, ad locum destinatum appulsi, cum ipsum non reperissent, vel enectum frigore, vel præcipitio lapsum, vel alio casu perditum formidantes, cum turba Indorum, stramineisque tedis redeuntes, afflicti, & solliciti deserta clamoribus replebant; dum ille post multas horas reciproca, lætaque voce, hic sumus, inquit, adsumus. Et illi suo quoque periculo accedentes, ipsum secus rupem stantem inuenerunt, mulam fręni loro retinentem.

Absoluta cognitione oppidi Corongi, in crepusculo vespertino, niuibus pluuia mixtis densè cadentibus, nec ausis comitibus eum sequi, certè, vt ipsum retineret, non volentibus: timebant enìm in aliqua huiusmodi profectione periturum: ipsę tamèn temporis dispendij impatientissimus, cum vno famulo, duobusque Indis viarum indicibus, Lapum versus discessit, quatuor leucas distantem, multis præcipitijs impeditum iter, eaque hora, ac tempestate laboriosum. Cumque media primùm nocte peruenisset, quietem, & corporis refocillationem contemnens, diuini officij pensum, & votiuas preces ad albam vsque prosecutus est: Eaque conspecta, statìm incœpit prolixis ritibus, viginti citèr portatiles aras ibi paratas consecrare; finitaque functione, & accedentibus famulis, hora diei

no-

nona ieiunus Cuchusquillam, per octo malæ viæ leucas, illicò profectus est. In hoc itinere non aduertente sessore, freni morsus excidit ori mulæ, qua vehebatur. Ac Thuribius intentus Deo, laxisque habenis, per multa milliaria contentus; nihil tamen indè mali passus est: quanquàm adeò ferox esset bestia, proindè saltatrix appellata, vt illo descendente, duo robustissimi viri vix eam tenere potuerint: quasi rationem bruto indidisset sessor tam sanctus, vt non libertatem suam, sed sancti viri pondus cognosceret, ipsumque reuerentèr sustineret.

CAPVT XXV.

Laborum, perculorumque continuata narratio.

POsteàquàm in pago quodam Chachapayæ, die cænæ Domini, sacrum oleum, & chrisma confecisset, cæterisque diei ritibus absolutis, & sparsis in egenum populum largis eleemosynis; vt Moyobambam oppidum adiret, oneraria iumenta cum baiulis, & maiori parte familiæ præire iussit. Qui, cùm intercurrentem amnem prosperè transuadassent, fluuius eluuione montium, & nocturnis imbribus, adeò intumuit, vt Archiepiscopum cum paucis comitibus tardiùs accedentem interceperit, & ad ripam, dùm detumescerent aquæ, sistere coëgit. Ibi in humido solo, cœlo tectus, sinè

lecto, finè cibo pernoctans, pro inedia & lassitudine debilis, alimentum cupere visus est. Nèc aliud repertum in proxima sylua, præter Indici Platani viridem racemum, qui etiam assus igni parum profuit. Sed vir Dei manè profectionem parans, fructus pretium persolui iussit: acceptoque responso, syluestrem fuisse, parumque valere; fecit tamen in arboris tronco relinqui duos nummos Reales, seù Iulios Romanos, quadruplum quàm racemus æstimari poterat; nè in circulo visitationis, alieno damno, iure non præscripto, victitare sibi videretur.

Mox vadum traijciens; Moyobambam peruenit, vbi cùm populum effusis largitionibus impertijsset, Ecclesię etiam egestati compassus, crucem argenteam, quę pręferebatur, eiusdemque metalli calicem, vrceolos, & maluuium, quibus ad Missas vtebatur, & mensales orbes octo, vt ex eis ferculum fieret, in quo Sanctissimum Eucharistię Sacramentum publico cultui in aris, & processionibus exponeretur; cum altaris antependio, casula, & alijs ad sacrificium pertinentibus, presbytero donauit. Quę in eius memoriam, ad hodiernum diem, in eo templo non finè peculiari veneratione seruantur. Alia vice in aspero cliuo cecidit mula, qua vehebatur Beatus Thuribius, &, non finè periculo vitę, femur eius subtus comprehendit, malè compressura, si promptitudo accurrentis famuli ipsum non liberasset.

Po-

Populum pagi Taquilponę, parochię Machatensis, sacro Chrismate signaturo, fluuius Santa tùnc tumidus, rapidusque traijciendus erat. Quapropter, ne pastoris officio deesset, funem nauticum per transuersum amnem tendi iussit, ex qua per funiculos pendens ipse ad ripam alteram tractus est: & per eundem modum, suo munere functus rediuit. Quod sępiùs alioquìn factum, acta legitima contestantur. Moyobambę moratus inaudiuit in montibus; vndique clausos esse occultos quosdam Indos, qui paręcię Rectoribus rebelles, vt disciplinā effugerent, in abstrusos deserti recessus confugerunt, triginta leucis, inuijs planè dissitos, non procul ab oppido, quod a Citreis malis, *de las naranjas*, nomen habet. Ille, vt eos reduceret, totum iter per transuersos amnes, cœnosas paludes, & asperos montes, depositis etiàm calceamentis, quòd per aquam, lutumque molesta essent, pedester emensus est.

Vno die præcedentibus reliquis, vt locum aliquem noctis quieti commodum inuenirent, nam domus nulla fuit, seruus Dei solus cum Indis qui sacram suppellectilem vehebant, ponè sequentibus per incommoda viarum, eundique laborem, viribus, & sensibus destitutus, in terra iacuit. Indi exanimatum credentes, longam perticam in sylua cæciderunt, iunctisque pallijs confecerunt vehiculi genus, quod antè descripsimus, cui impositum Præsulis, vt putabant, cadauer, ad socios, veloci

greſſu comprehenſos, ſuis humeris attulerunt, luctuoſo ploratu inclamantes, mortuum ſe Dominum deportare; ſicque cæteris viſum eſt, dùm tactas arterias adhuc pulſare cognouiſſent. Adhibitis tùm remedijs factum, vt Beatus vir, poſt duas indè horas in ſe reuerſus, & velut è ſomno ſuſcitatus eſt, tam ſerena fronte, & hilari aſpectu, vt nihil planè paſſus videri poſſet: vbi, inquiens eram? Deus me ſeruauit, & ſeruabit porrò ad obſequium Eccleſiæ ſuæ. Rogatus vt reparandis viribus alimenti quidpiam acciperet, omninò renuit, quòd ieiunij ſibi familiaris dies eſſet. Per noctem ieiunus in terra iacuit tectus tugurio, ex arborum ramis tumultuaria ſuorum induſtria confecto, ſeptus vndique leonibus, vrſis, & ingenti mole ſimijs, quorum vicinus fremitus vndequaque ſonabat.

Quieuit pauliſper vigilantiſſimus paſtor, & cæteri concitatis ignibus, & ferramentorum concrepatione, beſtias tota nocte ab acceſſu deterrebant. In ortu auroræ Archiepiſcopus aram erigi iuſſit, ſacrificium obtulit, dies enìm ſacer erat, & Sanctiſſimo Sacramento tanta pietate, fructuque refectus eſt, vt omnium admiratione, reliquum iter in fortitudine cibi illius pedibus ſuis alacritèr confeciſſet. Nèc eſculenta, per obuium vicini pagi parochum, ad refocillandum Præſulem allata guſtare voluit, donèc Sacramenta Barbaris, pro ſuo more, ieiunus adminiſtraret. Iter ergò proſequutus, appulit tandèm quo ire decreuit, reperitque

cen-

centum circiter Indos, quorum aliqui grandioris ætatis nedum baptizati, ſed nèc ad id per doctrinam diſpoſiti fuerunt.

Alij olim Sacramento initiati, ſed Chriſtianæ Seueritatis diſciplinam exoſi, nèc ſacerdotis monita ferre volentes, aut veteris vitæ vicioſos mores exuere, renunciato Chriſto, in impietatem rursùs, & perfidiam relapſi ſolitudinum receſſus occuparunt, in eiſque belluinis moribus gregatìm viuebant. Arte opus erat, vt obſtinati, ferique horum animi flecterentur; ſed non alia validiore, quam diuina illa Mogrouejі manſuetudine: ſingulos paterna voce filios compellare, ſalutare humanitèr, ſuæ ipſorum ſalutis dulciſſimis verbis commonere, nihil aliud ſe ab ipſis, vel petere vel accipere velle, varijs munuſculis cunctos delinire, Chriſti ſanguinem, ſuoſque labores, & pericula quæ retulimus, puro ipſorum ſalutis affectu inita commemorare. Eo denique factum eſt, vt vtrique tam non initiati, quam acceptæ prius fidei deſertores, Sancti Antiſtitis, & Apoſtolici paſtoris arbitrio ſe vltrò commiſerint, & cum pœnitentiæ ſignis petere ſacramenta, redire ad gregem, & paſtori per ipſum conſtituto deinceps obtemperare, obligata fide promiſerint. Ille viciſſim cunctos in viſceribus charitatis lætus complecti, quæ opus erant in ſpiritu lenitatis inſtruere, Apoſtatas Eccleſiæ gremio reſtituere, cæteros baptiſmi, omnes confirmationis caracteribus munere, ad animarum curatorem amplius

pliùs instruendos reducere, eiusque curæ, & charitati eos obnixè commendare, cætera pro loci ac temporis opportunitate disponere, & Pontificijs benedictionibus impertire. Eo facto satìs supèrque restauratum ratus, quidquid ea profectione passus sit, vel redeundo passurum, se sciuit, actis Deo gratijs per eandem viam prosperè, etsi laboriosè, Moyabambam reuersus est lætior, quàm anxius indè abiuit.

Intèr duos pagos Coaellum, & Caluncum, flumen Mala traijciendum erat. Præambuli cum onerarijs mulis famuli, cùm vadum intrassent, creuerunt aquæ, suppellex maduit, periclitati sunt, parumque abfuit quin repentino torrente iumenta ipsa cum oneribus rapta fuissent; sed, seruante Deo, nihil perijt. Tardiùs ad ripam accessit Beatus Pontifex Thuribius, aquis continentèr crescentibus: nèc vadum tentare ausus, tota nocte sinè tecto in ripa remansit. Lectum habuit pallium rusticum in terra stratum, ceruical ephipium suæ mulæ, eiusdemque pelliceum tegumentum pro stragulo, quo à decidente pluuiola, seù nocturno rore *Peruuiano*, malè tutabatur. Cœnam præbuit, vnicus, exiguusque panis, quem sibi prouidit Aethyops, Antistitis mancipium, & sanctus Præsul à se benedictum, sacris manibus in quatuor partes diuisit, vnam sacellano, alteram secretario, tertiam ipsi Aethyopi, quartam sibi distribuens, quibus obsonium sola fluminis aqua fuit. Facto mane, cum

amnis

amnis nocturnis imbribus amplius intumuerit, nec vadandi locum daret, Archiepiſcopus itinere pedeſtri ſcipioni innixus, per arduum cliuum, longo circuitu pontem petijt, ex funibus malè contextis conſtructum, è quibus pro more ſuſpenſus, tranſijt tamèn alacritèr. Ad populum appulſus, conuocari eum iuſſit, ſacrificium obtulit, multitudinem pro concione docuit, atque ad quartam à meridie horam, ieiunus, vt ſolebat, Confirmationis Sacramentum magno numero Chriſtianorum adminiſtrauit.

Ex prouincia Chinchacocha ad Guanucanam tranſiens, obfirmato animo decreuit, ad infideles belligeros penetrare, vt Chriſti pacem, & fidem illis adduceret. Pergendum erat per vias, non niſi pedeſtri itinere, idque ſummis periculis & laboribus propemodùm impoſſibile; atque tunc peſſima totius anni tempeſtate impermeabiles. Barbari montium cliuos, ripaſque fluminum per turmas occupabant, quæ exercitus exiſtimari poterant, arcubus armati, & acutiſſimis telis veneno infectis. Tum precipui comites, & familiares, genibus in luto coràm proiectis obnixè rogarunt, vt præſentem necem recedendo vitaret, ni omnes illicò mactatos vellet. At ille, vbi Chriſti pax eſt, bellum eſſe non poteſt. Et ſtrenuus Chriſtianæ militiæ Dux, tanquàm cum Sathana pugnaturus, prælato crucis vexillo, ſumma fiducia, & ardenti deſiderio victoriæ, in ripanas turmas alacritèr pergit. Vbi

in

in conſpectum venit, res mira! armati illi, & attrociſſimi Chiſtiani nominis hoſtes, Pontificis vultus vt Peruuianorum Moyſis fulgidos radios micantis aſpectu territi, nulla defenſione tentata, vel vibrata vna ſagitta, plurimi quotquot erant, in fugam ſe proripiunt. Inſtat ille, nec ſtitit, dum per ſigna pacis, palantes aliquot accerſiſſet. Hos placidiſſimè ſalutauit, ac dulciſſimis pro ſua conſuetudine ſermonibus induxit, vt reliquos reuocarent. Redierunt plurimi, & ille cunctos verborum lenimentis, & elargitis muneribus, in ſui admirationem, & amorem attraxit, multiſque diebus intèr eos familiaritèr verſatus eſt, & ad amplectendam Chriſti fidem induxit, credenda docuit, de agendis inſtruxit, Sacramentis tùm neceſſarijs, & opportunis inſigniuit, & reliquorum, doctrinæque miniſtros breui mittere pollicitus, eos in pace cum ſua benedictione reliquit.

Per inacceſſos Andium anfractus, & perpetuis niuibus cana iuga, reſonabat fortitèr in Ethnicos Echo virtutum, & mirabilium factorum Archiepiſcopi Limenſis Mogroueji, cuius animi candor, cum niuium albedine, & operum magnitudo, cum Andium altitudine contendebant; vſque adeò, vt congelata corda barbarorum, in ipſius, tanquàm hominis de Cœlo lapſi, vel ſemel videndi deſiderium, charitatis eius ardore liqueſcerent. Ex his ad fines Prouinciæ Chachapoyæ, intèr hanc ipſam, & Guamanganam, teſte Laëto, iacet alia Natio

quam

quam Hiſpani *Motylones* vocant ; incolis infrequens, anonæ charitate, & intercurrẽtium amnium multitudine admodùm impedita : gens fera, & barbara, à ſacris,moribuſque Chriſtianorum tùnc aliena. Quam tamèn inuiſere Thuribius olìm, ingenti quo pollebat animo,deſignauit,cùm aliquandò in oppido Guara, prouinciæ Guaylarum, ad P. vt authumo, Ludouicum Seguranum Ordinis S. Franciſci virum grauem, & huius reì teſtem hæc ipſa verba locutus eſt. Nos ad Motylones ibimus, gentem feram prouinciæ Chachapoyæ. Funem nobis alligabunt, & ex altiſſima rupe ſic demiſſos, cum in profundum venerimus, iterùm ſoluent, verbum Dei prædicabimus, & gentem docebimus Catholicam fidem.

At Deus, qui opportuna temporis momenta metitur; & cuncta ſuauitèr, fortiterque diſponit; aptam obtulit explendæ tàm Sanctæ voluntatis, & complendæ prædictionis occaſionem. Erat poſtmodùm Beatus Thuribius in oppido Chachapoya prouinciæ præcipua; indèque admirandorum eius operum, & vicinij fama ad Motylones peruenit. Qua tracti, & videndi eum ſtudio permoti, Legatos mittunt, munereq; ; quæ regio ferebat, pſittacos, pinea poma, & lactaria quædam; rogantque inſtantèr, vt Chriſti præco ad ipſorum fines tranſire velit; plurimos magna ſua voluptate Chriſtianæ religioni lucraturus. Ille qui quorumcumque munerum, quantumuìs paruorum, aut vilium ſpeciem om-

nem exhorrebat, quæ illi attulerant, præter omnem ſuſpicionem contemptus, humilitèr abnuit: Nequè licere ſibi, per viſitandi prouinciam leges, munera recipere, neque per ardua itinera, tantaque diſcrimina vitæ facultates Indorum ſe quærere, ſed voluntates, & , vt captiuarent intellectum in obſequium fidei, per quam perpetuò duraturas diuitias ipſi conſequantur. Profectionem ſuſcepit, in prouinciam magno vitæ ſuæ, ſuorumque periculo peruenit. Nèc dubium eſt, quod Ludouicus tùnc àbſens non refert, Beatum Pontificem ea quæ ipſe prædixerat, & peroptabat operatum fuiſſe: atque Motylones ex multis centenis millibus Ethnicorum eſſe, quæ viri graues, & oculati plerumque teſtes, mirabilem hunc Præſulem ad Chriſti fidem traduxiſſe conteſtantur. Quod cum aliàs illi fœlicitèr eueniſſe conſtat, vbi ſe vltrò ingerebat; multo magìs inter eos, qui Chriſto nomina dare, & ſacramenta ex ipſius Sancti Antiſtitis manibus ſuſcipere percupiebant.

Aliàs in oppido Andomarca, vbi Fratres Minores montanis barbaris ad fidem, & Chriſtianos mores reducendis inſiſtunt, viſitationis munus obibat Beatus Thuribius, cùm ex viciniis Andium faucibus, ad ipſum acceſſerant viri prouecti ſeptuaginta; pueruli duo, mulieres ſeptèm, aſſerentes, ſe, vt oues aberrantes paſtorem quærere. Ille viciſſim ipſis benè precari, & inter alia percuntari, vndè in abſtruſis Andibus ipſius aduentum didiciſ-

ciſſent? Eique reſponſum fuit, pulcherrimum, & rubicundum Iuuenem illis uunciaſſe, ſummum Peruuiæ ſacerdotem Andomarcam appuliſſe, iuſſiſſeque, vt grata ipſi munera ferrent, quæ apud ſe longo tempore reuerentèr ſeruarunt. Atque hæc, inquiunt, proferimus tibi, Miſſale, Breuiarium. & ſacerdotale ſuperpelliceum; quæ nobis olìm reliquerat Chriſtianus Sacerdos intèr nos in Andibus iàm dudùm vita defunctus. Cætera ſacra inſtrumenta, intèr barbaros perijſſe credendum, nèc perſonæ, nomen, conditio vel ætas profertur. Nèc Thuribius, aut qui cum eo erant, aliud ſibi perſuadere poterant, quam Angelum Domini, ardentibus viri Dei deſiderijs ſeruientem, iuuenem illum fuiſſe, qui derelictam gentem ad animarum curatorem direxiſſet. Lætiſſimus inde *Præſul* Deo gratias egit, quòd ſacerdotis memoriam, fructumque doctrinæ, & ſacrorum ſuppellectilem eo loco repeniſſet, quò nèc vllum eorum miniſtrum, vel Chriſtiani nominis cultum vnquàm cæroquì perueniſſe credebat. Et gentem pro fide profugam Andamarcanis fidelibus adiunxiſſe, vel alitèr eis provt res poſtulabat prouidiſſe, etſi hiſtoria non prodat, pro Thuribij tamen more, certò ſupponendum eſt.

Tantum intèr Idololatras valuit fama virtutum, & mirandorum operum Beati huius *Præſulis*, tātus ardor ipſum videndi, & audiendi, tanta eius documentis obtemperandi promptitudo, vel diuini-

tùs indita quædam neſſitas: tanta in ipſo tractandi ſuauitas, & humilitas conuerſationis, tantum laborum alienæ vtilitatis, tanta tolerantia, & contemtus periculorum; adeò feruens, pura, & patula charitas, & ſtudium ipſorum æternæ ſalutis, & omnis temporariæ proſperitatis, nulla vel proprij commodi cupidine, vel alterius ab iſtis alienæ, nedū ſiniſtrę, vel fraudulentæ intentionis minimo indicio deprauata, tanta ipſorum bono prouidendi cura, & ab alienis iniurijs tutandi ſolicitudo, vt quantumuis fera corda emolire, & atrociſſimas mentes ſedare poſſet: & facillimè credi, ſperarique, ſi diuturnior ipſi vita foret, haud dubiè futurum; vt nemo in toto illo orbe meridionalis Americæ, intrà paucos annos ſuperſtes eſſet, qui Thuribij opera Chriſto nomen, & per Chriſti gratiam Thuribio manus daturus non videretur.

CAPVT XXVI.

Singularium animarum ſingularis cura, ijſdem incommodis, & fructibus, tantique moliminis motiua, & in periculis animi tranquillitas, & propoſiti perſeuerantia.

NEc integrarum gentium, populorum, vel turmarum tantùm Thuribij cura fuit; ſed pro ſingulari qualibet ſui gregis anima, animam ſuam patentibus vitæ periculis, & laboribus, alioquin

quin minimè tolerandis, exponebat; nè muneri ſuo perficiendo, vel, quod à puero conſtituit, exonerandæ conſcientiæ, in vlla re, deeſſet; vt præter illa, quæ ſuo loco narrauimus, ſequentia quoque exemqla declarant. Præterquàm, vt antè diximus, quòd Barbarorum regiones, & inacceſſa latibula, ſummis laboribus, & vitæ ſuæ periculis adiret: etiam dùm iter ageret, vt ſpeculator vigilantiſſimus, oculis; hic ſolummodò vagis, quoquò verſum proiectis, circumſpiciebat, ſi ex imo in ſummis iugis, ſi ex ſummo in vallium abyſſis, ſi in planis, quantum extendebat ſe viſus, vllam vel vnius hominis vmbram proſpiceret:

Non tardabat,altiſſimas rupes,lubrica montium latera, arenoſas, lutoſaſque vias, & calentes campos, currendo, ſcandendo, deſcendendoque, per pluriès M.PP. hominem, a longè detectum accedere, ſciſcitarique an Chriſtianus eſſet? ſi non erat, facere: ſi erat, interrogare, an & à quo baptizatus; vel Chriſmate confirmatus fuerit? an Cathechiſmo inſtructus? an, & quam plebem ad ſacra frequentet? an Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramentis vtatur? an domum, vxorem, Parentes, aut liberos, & vbi habeat? vagam errantemque pecudem adducere, proximo gregi iungere, & quidquid ei deeſſe diſcebat, conferre; ſeù ad ſaluandam animam, ſeu ad vitam tolerandam neceſſarium, Quod ſæpè ſe vidiſſe teſtes iureiurati in publicis tabulis exponunt.

Cha-

Chachapoyam ciuitatem proficiſcens, vidit in cacumine montis caſulam ſolitariam, & ſciſcitatus quid eſſet? reſciuit fœminam Indam ibi habitare. Et quis, inquit ſcire poteſt quo egeat animæ curandæ miniſterio? meum eſt id noſſe, ibo & videbo. Cum inuium deſertum, & aſcenſus impedimenta opponerent, petijt an alius quiſpiam illùc vnquam accedat, cur, inquiens, & ego modò non? Acceſſit labore maximo, mulieremque morbo decumbentem reperit, ſolatur, & ad animæ curam, morbique tolerantiam ſuadet, Confeſſionem excipit, & abſolutionis beneficium impendit. Tùm domo vix egreſſus eſt, cùm illam, animam expiraſſe didiciſſet: Quam Dei beneficio, & ſancti Paſtoris diligentia ſaluam eſſe res ipſa piè credendum ſuadet.

Nocte quadam in itinere deprehenſus, cùm domum boni viri, Ioannis de Roxas Aluaradi adueniſſet, & pro hoſpitis facultate liberalitèr exceptus, ex cubiculo regionē per feneſtram proſpectans, intèr atras tenebras vidit flammas, nouem circitèr millibus PP. diſtantes; Interrogatoque hoſpite, didicit, Indorum ibi magalia eſſe, ea forſitan igne, vel tugurium aliquod incendio flagraſſe. Sed quid, inquit, ſi noſtra opera opus ſit, & ignis indicio petatur auxilium? quod nobis minimè contemnendum cenſemus, eundum eſt. Cui Ioannes, qua, inquit, via poſſimus adire, non video; nam rupes, & montium auia tenebræ tenent, nec

iti-

itineris dux nobis vllus adeſt. Tunc Thuribius, qui Prophetico ſpiritu præſentem neſſitatem, & futurum numinis ductum prænouerat. Deus, inquit, qui vocat, monſtrabit viam, & aſpera in plana conuertet. Ità itum eſt, & per infeliciſſima montium prerupta felicitèr peruentum; Deo omnia, vt ſeruus eius præuiderat, complanante. Nec aliud in loco repertum eſt pratèr miſerum Indum humi in ſtipula iacentem, qui ſolus, & nullius aſſidentis ſolatio, cum morte colluctabatur. Thuribius ſummas Deo gratias egit, qui cœleſti portento, ſe ſui officij monuerit, & perituro pauperi ſalutis remedium prouidit. Hinc miſerum hominem, ſolari, eoque per Sacrum ſermonem, & ſacramenta reducere, vt in ipſius manibus animam bene procuratam piè & chriſtianè Creatori reddidiſſet.

Aliquandò a continuato per totum diem confirmandi labore feſſus, veſperi ad menſam cœnabat, ſed maiori animarum cura ſolicitus, interrogauit Parochum, ſi quiſquam adhuc confirmandus ſupereſſet? eoque reſpondere cunctato: Nè mè, quæſo Pater, inquit, hoc celare velis, ne, & tu tuo, & ego meo paritèr officio deſimus. Tùmque intelligens vnum ſolum eſſe, duo ferè milliaria diſtantem; qui, quòd æger in lecto iaceret, ad Sacramentum accedere non potuit. Statìm, vt Tobias relicta menſa, ſemieſis cibis, ad hominem ſe, cum perſonis, rebuſque neceſſarijs abripuit, & in caſa repertum conſolatus eſt, ſacramentoque con-

confirmauit. Benedictus Deus, inquiens, qui hanc mihi mentem iniecit, hic nunc mea negligentia non morietur inchrismatus, iàm ad inchoatam cœnam rediemus: & prima noctis hora reuersus est. Tanta illi cura de vna ouicula fuit, in Sacramento ad salutem non necesserio, sed in vltimo vitæ certamine longe salutari. Cùm alibi populum ex albo capitatìm ad cathechismum vocaret, resciretque vnum solum abesse, pecoribus in agro pascendis occupatum, suis pedibus hominem adducturus exiuit, inuentum instruxit, & sacro chrismate confirmauit, non minori studio, quàm si plures essent.

In ipsa vrbe Lima, cum totum tempus matutinum in suburbano templo S. Lazari docendis Indis, & Chrismate signandis impendisset, & audita hora meridiana rediret in vrbem, in ponte, qui suburbium, à Ciuitate diuidit, incurrit in Indum eumque sollicitè percuntatus est, an sacramentum suscepisset? illo negante, me peccatorem, inquit, hic non est confirmatus, reuertamur ad opus: & è vestigio reuersus, & Pontificijs ornamentis denuò assumptis, Indum hominem tanto apparatu confirmauit, ac si totus populus confirmandus esset.

In eadem vrbe cùm circà noctis medium audisset campanulam sanctissimi Sacramenti, summo manè misit ad Parochum, interrogatum, quò tali hora noctis iuisset, & accepto responso, moribundam fœminam pauperem esse, cui sacrum viaticum

defe-

deferebat;iterùm sciscitatus, an illa confirmationis sacramentum habuisset? nescienti id Parocho iussit, vt ad illam reuersus referat. Sed id negligentem, quod impossibile sciret, mulierem iam cum morte in agone contendentem, ad templum, vt confirmaretur adduci; post horam iterùm mansuetè rogat, vt fœminæ statum referat; & redituru̇m expectauit vsque ad tempus prandij. Cùmque tunc resciret illam confirmatam non fuisse, & mox morituram, illicò accurrit, & Sacramentũ solemni ritu contulit, & mulier à sancti Præsulis oratione consolata, & læta statìm expirauit, summa ædificatione omnium qui aderant, & Archiepiscopi solicitudinem, charitatem, & humilitatem aduerterunt.

Iterùm in vrbe, & Palatio Archiepiscopali, apoplexia subitanea tactus vnus ex mancipijs Francisci Quiñonij, illicò moriturus videbatur, vocatus ad eius confessionem excipiendam Parochus, cùm eo officio functus, prælato lumine domum rediturus, secunda post mediam noctem hora, palatij peristylium transibat. Tùm Thuribius è fenestra vocans, quid esset, edoctus, petijt, an viaticum infirmo tulisset. Respondit Parochus, se viaticum non tulisse, quòd seruus etsi Christianus, sed homo rudis, & per hoc, sanctissimi Sacramenti incapax videretur, se sacrum oleum statìm allaturum. At Archiepiscopus, quid hoc, inquit, sibi vult, nunquid ipsum instruere, & capacẽ reddere non poteras? quo

dicto integrè, diurno more, tali noctis hora vestitus descendit, (vndè notarunt ipsum totam noctem vigilasse) equorum stabulum subijt, vbi seruus cubabat, & in eius lecto sedens, ipsum dulcissimis verbis confortauit, instruxit, & Sacramenti capacem reddidit, locum, & inibi aram decenter ornari curat: cum *P*arocho ad templum pergit, & conuocato comitatu, Sacramentum cum canopeo, & luminibus defertur ; & infirmus communicatur. Reducta in templum Eucharistia, sanctus Præsul, qui cum accensa face, ipsam eundo redeundoque comitatus est, infirmum cum *P*arocho iterùm accessit, ipsumque de Sacri Chrismatis mysterio & virtute edoctum, adductis necessarijs rebus, confirmauit, & hortatus est, vt quantum opus futurum esset, Extremæ vnctionis Sacramentum peteret. Et his peractis, ægroque impertita benedictione, ad cubicula redijt, proculdubio non dormiturus.

In parochia quadam ditionis Moyobambanæ, apud *P*arochum hospitatus Thuribius, intellexit eum festinantèr vocari ad mulierem in partu periclitantem grauissimis cruciatibus, quos enitendi difficultas inferebat: matrem simul & prolem perire metuendum, animasque quo poterat sacerdotis officio curandas esse. Sed sanctus Antistes, qua erat alienæ calamitatis paterna misericordia præditus, ipse Parochi officium subire voluit, actutùmque accurrit, nèc priùs domum ingressus, fœminam-

que,

que, animam ferè agentem ſalutauit, quàm illa per ſolam eius præſentiam confortata, priùs ſe maſculam prolem peperiſſe viderit, quam ſenſerit, omni dolore liberata: Quod beneficium ſic Beati viri meritis attribuit, vt alioquin ſe perituram non dubitaſſet.

Nèc ſemèl aut bis, ſed ſæpiſſimè fuit, vt Parochi, apud quos pro iure cognitionis diuertebat, intempeſta nocte monerentur, aliquem in montibus infirmum, pręſentaneam ipſorum opem exigere. Quod cùm Archiepiſcopus intelligeret, veritus nè fortè pontificalibus ſacris egeret, vel perpetua charitate, per quam ipſe omnium labores in ſe transferebat, & ſingulorum neceſſitates pati videbatur, ipſe contemptis tenebris noctium, temporum inclementia, horrore tempeſtatum, itinerum aſperitate, & grauiſſimis, notiſſimiſque periculis, infirmos per plures leucas viarum, per altiſſimas niues, quæ nullum viæ veſtigium concedebant, per copioſos nimbos, per fulgura, & fulmina, per præruptas rupes, lubrica montium latera, & rapidiſſimos fluuios, promptè, & alacritèr adiret. Si opus erat, tanta ſacrorum rituum obſeruantia, & grauitate, ſacro Chriſmate ſignabat ſingulorum frontes, ac ſi turma collecta foret. Si non erat, ipſa parochialia ſacramenta conferebat, & ad morbos, morteſque vtilitèr pièque toleranda confortabat, pauperiem pecunijs, vel alijs muneribus ſubleuabat, & nonnunquam corporis ipſam

ſanitatem, abeuntem animam, vel iam egreſſam, patentibus miraculis, reſtituebat. quæ nobis loco ſuo referenda venient.

Iis verò, qui ipſius incolumitati conſulentes, hæc diſſuadebant, & vel parochum ipſum ad ea ſufficere, vel rem in diem differendam eſſe dicerent, reſpondere ſolebat, Spiritus S. gratiam neſcire tarda molimina, ægros antè diem ſinè Sacramentis mori poſſe, quidquid ipſe paſſurus eſſet, leue pondus habere, ſi cum ijs comparetur, quæ Chriſtus pro illius animæ ſalute ſuſtinuit, vel cum tormentis quæ anima ipſa, per paſtoris negligentiam peritura, in perpetuis ignibus ſuſtinere deberet: Officij ſui eſſe ſingulis prouidere: Deum negligentiæ rationem ſtrictiſſimam exacturum, parumque referre, an vna anima, vel plures à perditione liberandæ ſint; Nam qui in vno delinquit factus eſt omnium reus: paſtoris conſcientiam in minimis exonerandam eſſe: maiores Sacerdotes minoribus exemplo ſedulitatis præire debere: poſſe ſe pontificia poteſtate præditum, aliquid plus illis efficere, nec oblatas præſtandi muneris, Deoque ſeruiendi, occaſiones contemnendas, vel omittendas eſſe.

Inter hæc omnia, ſingularis huius Beati viri actionum oculati obſeruatores, & poſtmodùm iurati teſtes, quique ex ipſis eius vitæ hiſtoriam ſcripſerunt, duas res ſingulari nota digniſſimas aduerterunt. Alteram quod in perpetuis, nocturnis, diurniſque difficillimis itineribus, & moleſtarum func-

functionum laſſitudine, per quæ alius quiſpiam, etiàm à debito diuini officij quotidiano penſo ſe ſatis excuſatum cenſeret. Thuribius tamèn hoc adeò integrè exactèque ſolueret, vt votiuarum precum, abſtinentiæ, ieiuniorum, quæ puer ſibi citrà obligationem præſcripſit, nè minimùm quidem vel domi, vel foris per itinerum, per laborum, inædiæ, debilitatis, aut quorumuis occurrentium caſuum impedimenta vnquàm intermiſit: quin potiùs quo illa magìs vrgerent, hæc eo magìs neceſſaria iudicans, fortiùs ingeminaret, vt auxilio Dei inſtantiùs aduocato, cuncta faciliùs tolerare, & feliciùs perficere poſſet: ac nè dum alijs prædicaret, ipſe reprobus efficeretur, ſciens quòd qui perſeuerauerit vſquè in finem, hic ſaluus erit, & non niſi qui legitimè certauerit coronandum eſſe: regnum quippè Cælorum vim pati, vt violenti rapiant illud.

Cilicij perpetuum vſum nunquàm dimiſit. Ad nocturnas vigilias, & ſecretas flagellationes, cùm aliquò hoſpes adueniret, moleſtias muſcarum euitandi prætextu, remotum à reliquis cubiculum quærebat. Quod ſi non eſſet, ille vel noctis initio, vel antè auroram, vel vtroque tempore, ſyluas, & montes, leonum, vrſorumque domicilia, ſolus petebat: vel aliquando, commoda loca defutura dubitans in ipſo itinere, ſocijs præire iuſſis, denſa dumeta, & occurrentia rupium concaua, ſerpentibus, muſcis, vepribuſque infeſta, velut oblatas

occa-

occasiones arripiens, in eis se, ferreis catenis duritèr cædens, lachrymas cum sanguine miscebat, non rarò deprehensus, cùm verberum sonitu, gemitu; & eiulatu, ab occultè inuestigantibus audito, tùm sanguine in locis relicto, qui saxis & arborum truncis per plures indè annos recens, & rubicundus cernebatur. Et parcente illi bestiarum sæuitia, quæ flagrorum strepitu, & copiosi sanguinis odore concitari poterant, ipse sibi parcere nesciebat, nec poterat à Dei obsequio his periculis absterreri. Meruerunt multi sanctorum, vt feris, auibus, & piscibus imperarent quod vellent, quid ni Thuribius, vt sibi, suisque, saltem ne nocerent? Hoc enim innocentiæ priuilegium est, vt brutorum obseruantiam, quam primi parentes per inobedientiam amiserant, eandem Deus redderet facientibus voluntatem suam.

Consueuit etiàm templi claues, quamdiu in aliqua parochia sistebat, reseruare sibi, vt nocturnò tempore dùm alij dormirent, silentèr exiens multas horas orationi, & vigilijs in templis latentèr concedere posset: Reliquum iter, eques pedesuè, in Deum sempèr intentus, vel solus orabat, vel cum aduocatis comitibus psalmos, litanias, Nicœnum fidei symbolum, aliasque sacras preces, tanto animi feruore concinebat, vt viarum longitudinem, asperitatemque se sic inaduertentèr, & lætè transisse illi quandoque mirarentur. Lectum in omni domo, in qua pernoctabat, solicitè sterni iubebat,

bat ; & Aethyopem ſuum, nomine Dominicum, cui per itinera hoc munus incubuit, aliquandò prę-ſentibus alijs interrogabat, an eo officio rectè functus fuiſſet: quæ Dominico aliquoties occaſio fuit, vt ad ſocios conuerſus diceret: En quanta illi cura lecti, in quem nunquàm aſcendit, vt ego manè ſempèr obſeruo, quanquàm ipſe manibus eum turbare nitatur. Ieiuniorum, & abſtinentiæ eadem ſempèr, & vbique ratio fuit, quam iàm ſatìs explicauimus, præterquàm quod inter barbaros, & in deſertis locis, vbi maior laſſi corporis refocillandi neceſſitas, ſæpiſſimè non ſuppeteret quod guſtare poſſet. Nèc vnquàm perſuaderi potuit, vt vnius, vel plurium dierum inediam alterius diei, lociuè commodis reſtaurare aliter vellet, quam ſi ſingulis per ordinem opiparè paſtus fuiſſet.

Alterum quod omnes obſtupeſcere faciebat, id fuit, vt in euidentibus vitæ periculis, adeò tranquilla mente, animo tàm ſecuro, plena ſermonis libertate, conſtanti, lætoque vultu verſari ſoleret; vt nedùm nihil paſſus, ſed voluptatem potiùs, quàm horrorem, aut moleſtiam ex illis capere videretur: non mutare colorem, non indignationis nutum, non verbum lamentationis, vel minimum impatientiæ ſignum edere vnquàm viſus: quinimò gratias Deo referens dictitare, ea quantacumque fuiſſent, pauca, paruaque ſe æſtimare, cum illis collata, quæ ipſe pro Chriſto, & commiſſo ſibi grege oppetere & ſuſtinere deberet, & multò maiora, plu-

pluraque cupere; per quæ reddendis ratiocinijs, in die iudicij minus obnoxius inueniri posset. Quantæ verò æstimationis, & meriti fuerit apud Deum hæc tàm incensa S. viri charitas ergà gregem, & ardentissimum patiendi pro Christo desiderium, prætèr cætera argumenta, liquido demonstrat; quòd eiusmodi labores, & pericula, nunquàm ad interitum, vel graue corporis nocumentum, sed sempèr ad meritum suum, proximorum profectum, & maiorem Dei gloriam illi successerint: cum per Angelorum ministeria, & patentia miracula, nobis alibi referenda, toties periculis ereptus fuerit, vt Christianæ fidei latiùs propagandæ, & Ecclesiæ Peruanæ omnibus malis expurgandæ, perpoliendæque diutiùs viueret. Nùnc verò sacerdotalia eius officia, & pascendi gregis ratio exponenda sunt.

CAPVT XXVII.

Beati Thuribij in firmanda Neophytorum fide, & formandis omnium moribus labor, & industria. Templa, Clerumque cognoscendi ratio.

QVadruplex hominum genus, quod priùs indicauimus, in Peruuia fuit, quibus Archiepiscopum Limensem prospicere oportebat; Indiani: quorum alij *Pagani*, alijque Neophyti: & His-

Hiſpani veteris fidei Chriſti, in Clerum, populumque diſcreti. Quibus omnibus pro religionis, ſtatus, morumque diſcrepantia, diuerſimodè prouidendum fuit. At Thuribius Mogrouejus omnibus omnia factus, Ethnicos ea ratione, quam antè narrauimus, ad Chriſti fidem conuertebat, conſtitutis contra deſertores Iudicibus, qui animarum curatoribus non parentes conſtringerent, & ſcholam fugientes reuocarent. Vtroſque, quod multi laboris erat, veterum ſuperſtitionum conſuetudinibus expurgabat, ac gentilium rituum anſas omnes, & inſtrumenta, quæ in Synodis prohibuit, è manibus abripiebat: cæteros Indos Chriſtianis ritibus, & frequentiæ Sacramentorum aſſuefaciebat, frequentibuſque largitionibus ad familiaritatem, & beneuolentiam alliciebat.

Cleri diſciplinam, & Hiſpanici populi mores, tunc valdè corruptos, vbique reformabat, tanta dulcedine, efficacia, & proſperitate ſucceſſus, in potentium, & proteruorum ſtudijs difficile; vt Eccleſiæ Peruuiæ nouam prorſus faciem, & pulcherrimam induxerit, eamque plurimis centenis millibus Barbarorum, è Ciuitate Sathanæ, in Dei Ciuitatem traductis dilatarit: vbique præſens, quoquouersùm diſcurrens, vbique patiens, vbique ſuauitèr, & fortitèr, ingenti incremento fidei, & profectu morum, diu noctuque, inceſſantèr operans.

Huic operi vehementèr obſtabat malorum ho-

minum duplex cum Indis mixta colluuies: quorũ alij erant Arioli, & flagisiosissimi Flamines Idolorum, & ministri Sathanæ, qui teneros, necdùm in fide firmos Neophytorum animos ad pristinas superstitiones, occultè saltèm, exercendas reuocabant, quamuis alioquin christianis ritibus, & sacris non abstinerent. Atque horum, vt Concilij Prouincialis decretum loquitur, tanta erat nequitia, vt vno die euerterent quidquid à Christi sacerdotibus per annum ædificabatur. Hos autèm, quia vetuli alioquin inutiles, & dercepiti erant, in vnum locum cogebat, & vt porrò cogerentur, eiusdem Concilij constitutione, parochos obligabat. Regiosque Ministros per Christum obtestabatur, & rogabat, vt in quo loco clausi tenerentur, nè cæteros sua communicatione inficerent, alimenta, tùm corpori, tùm animæ necessaria illis præberentur.

Cóc. I. prou. Act. 2. cap. 24.

Alij quoque, peruersa, & vilia capita, populique fex, inter Indos grassabantur, quos Catholicus Rex, datis aduersùs eos, ad Beatum Thuribium, & ad suæ Maiestatis ministros litteris, ità describit. Informatus sum, quòd in istis Prouincijs sint multi Nigri, Mulati, & variè mixti generis, quorum numerus indies creuerit, & Maior pars malè parta est; ideò multi suos patres ignorant, omnesque in magnis vitijs educantur, magnaque licentia viuunt, & asque labore, vel officio intemperantèr comedunt, & bibunt: Inter Indos Indasque nutriun-

triun-

triuntur, seque ipsorum ebrietatibus, & maleficijs immiscent. Nec Missis, aut sacris concionibus intersunt; adeòque ignorant ea, quæ ad nostram Sanctam, & Catholicam fidem pertinent &c. Huiusmodi religionis, & morum pestes Thuribius Archiepiscopus, tùm Regis iussu, tùm proprio zelo, & officio ab Indorum consortio ad Hispanorum oppida pellebat, vt suas inibi, parochias, & parochos profiterentur; laboribusque, doctrinæ, & Sacramentis assuescerent; omnis otij, libertatis, & maleficiorum occasione sublata. Idemque vt parochi facerent, iniunxit; suas in ea re vices Synodali constitutione ipsis committens.

Ad infideles adducendos, tanquàm venator egregius, vbi humanum vestigium, seu solitarij habitaculi, magaliumuè suspicio, vel indicium aliquod occurrebat, inuestigabat sagacitèr, & scrutabatur tuguria, cryptas, & concaua petrarum, dùm reperiret. Reperiebat autèm frequenter, quos eadem ratione procurabat non paucos. Integris autem infidelium populis, vel palantibus turmis, quos ad fidem per se conuersos, christianæ doctrinæ rudimentis, ad Sacramenta Baptismi, & Confirmationis necessarijs, ipsisque Sacramentis initiabat, ac certum cohabitandi locum assignabat, ampliorisque doctrinæ, & aliorum Sacramentorum Ministros pios, doctosque designabat, è Religiosis plerumque familijs; vel quos ad hoc secum ducebat, vel quos è cœnobijs, superiorum volun-

tate, tempeſtiuè accipiebat: quorum frequens in tabulis mentio eſt. His autèm in mandatis dabat, vt, quantò citiùs fieri poſſet, doctrinæ & ſacrificiorum templa conſtruerent, & Concilij Prouincialis, & Oecumenici Tridentini decreta, quantum Indis obſeruare ſedes Apoſtolica iubet, vel quantum cum eis diſſimulare pia mater indulget, in vſum, ſuauitèr, & prudentèr inducant, tanquàm rationem Deo reddituri, ſi quid vel cultui, obſequioque diuino, vel animarum ſaluti neceſſarium negligerent.

Quoties in curſu viſitationis ad Chriſtianorum oppida, vel pagos veniebat, ſacrarum ædium limina primùm viſere, longiuſcula oratione, acti itineris grates Deo reddere, agendorum auxilia poſtulare, ſeipſum, & gregem diuinæ, ſanctorumque loci tutelæ commendare ſolebat. Mox præſente populo generale viſitationis edictum, in Concilio Prouinciali editum, alta, & intelligibili voce publicè legi curabat, ipſeque pro auditorum captu, vel Indico, vel Hiſpano idiomate, pro concione explicabat, rudemque populum Indorum, & Hiſpanos paritèr ipſorum, ac ſui in hac actione muneris, & obligationis commonebat; vt omnia quæ ſcirent, indiſſimulantèr, ſincerè, & ſine odio, liuore, vel inordinato vllo affectu, ad gloriam Dei, & animarum ſalutem, cùm interrogarentur, exponerent, & non interrogati denunciarent; vt exonerarentur conſcientiæ, ac Deo ritè ſeruiretur.

Indè

Indè cuncta suis oculis lustrabat, & solertèr inspiciebat: si Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, et sacra olea suis locis decentèr, et cautè seruentur: si altaria munda, ornata, et benè composita: si sanctorum imagines, et sacræ reliquiæ ritè et reuerentèr habeantur: si fontes Baptismi, et aquę lustralis, si templi campanæ, vel desint, vel dextrè curentur. Deindè sacrarium ingressus omnem sacrorum supellectilem perlustrabat; an aliquid post vltimam visitationem detritum, aut perditum, et qua id ratione fuerit: an quod restabat sufficeret, et, si debita cura, munditia, et reuerentia seruata sit, ac tractetur. Sacrifficij cereos, et hostias videre volebat; si suppeterent, mundaque et candida essent, aut fortè ferrei forcipes, sacrificij panibus opportutè pensendis, præstò sint: nèc eos fumanti foculo, sed bonis carbonibus coqui volebat. Denique si templum ipsum, sartum tectum, validis valuis; et non portarum tantum, sed fenestrarum etiam seris et pesulis custoditum: maximè vbi Sanctissimum Sacramentum, ex Concilij præscripto seruandum esset, vt omni hora viaticum ad moribundos deferretur. Omnia demùm quæ vel suppetere, vel desiderari comperiebat, in scriptum redigere, quòd sua manu signatum sacerdoti seruandum tradebat, alterum exemplar, parochi Chirographo subscriptum, sibi ad vsum retinebat. Eadem ratione quam in vrbis Ecclesijs lustrandis ab ipso obseruatam diximus, oppidorum et ruris

omnia

omnia pià loca cognoſcere, et componere ſtudebat. Et licet maiora maiori cura ſatageret, minima tamen quæ ad obſequium Dei, et exonerandas conſcientias conducerent, non contemnebat.

His in templo peractis, ad *Presbyteri* domum diuertebat; non aliud hoſpitium vnquàm admittens, quandò vel maior Dei gloria, vel maior ſpes proficiendi populo, vel euidens aliqua neceſſitas id non poſtularet. Ibi iubebat imprimìs, nè ſuo, vel familiæ victui, qui viſitationis iure debetur, quidquàm ſuperfluum, ſumptuoſum, aut exquiſiti ſaporis, pararetur; ſe quippè ſuoſque non opiparè conuiuatum, ſed vt officij muneribus fungerentur, circuire prouinciam: ad hæc ſatis eſſe, vt frugali menſa, et communibus cibis viuant, et valeant. In qua parcimonia tàm exactus erat, vt, cùm in vnius loci functionum finem vergeret, præmonere ſoleret, vt cuncta ad profectionem pararentur, quo fieret, vt, re peracta, nulla diſcedendi mora foret, nè hoſpitem, vel momento temporis, vltrà viſitationis exercitium grauare videretur. Atquè ſi familia tunc forſitan componendis ſarcinis adhuc expedita non fuiſſet, ille ab vltima linea depoſito calamo ſi pedes iturus, ſcipionem, ſi eques bacillum arripiebat, & conſenſo mulo, ſtatìm incœnatus, & ſolus, vel vno, duobuſue ſequentibus abibat. Nèc ipſum vel ingruentis, vel adultæ iam noctis tenebræ, non viarum ignota ſemita, non inuia deſerti, non aëris quæcumque tempeſtas,

nec

nec ineundi itineris pericula, vel vlla rogantium, vt maneret, aut nè abiret dehortantium suadelæ retinere poterant. Perditum aiebat tempus, quo nihil ageretur, oues alibi balantes vocare pastorem, non pastas perire posse, ni citò accedatur.

Docere porrò quid interìm, per singula, in Presbyteri domo egisset Archiepiscopus Mogrouejus, vbi visitationis tribunal exercebat, tàm superuacaneum existimo, quàm rem actam agere, ac totas Thuribianarum legum pandectas, quas iam antè publici Iuris fecimus, hic denuò frustrà describere. Nihil enim ab ipso in eo iudicio desiderari poterat, quod in illis priùs per ordinem non sanciuit: adeò in condendis legibus oculatus erat hic Sanctus Antistes, tùm suopte claro, solertique ingenio, tùm qua pollebat, sapientia, prudentia, iustitia, & charitate: tùm, quod primum est, donis diuinæ gratiæ, quæ in ipso clarissima fuerunt, illuminatissimus. In illis conspiciet Lector, quibus malis fidei, & morum vtriusque status, tàm sacri, quàm ciuilis tunc scatebat Peruuia, & quæ cuique remedia prouidentissimus hic pastor adhibebat. Illa vt vitarent indigenæ paritèr, & aduenæ terræ: hæc vt strictè obseruarent. Totum Thuribij studium, iudicialis occupatio, paterna cura, labor, & sudor fuit, vt fieret quod expedit, omnium exonerarentur conscientiæ, ac Deo pro tremendæ Maiestatis dignitate seruiretur: sacrique Canones executionem, & obedientiam obtinerent. Quibus

verbis

verbis ille, vt sibi in omni re, ab ineunte ætate propositis, mandata sua, scriptasque agendorum instructiones, tanquàm vltima clausula terminare consueuit.

Sic sanè vniuersos, tàm Ecclesiæ Præsules, quàm seculi rectores, præsertìm Christianos, operari deceret; & nos, quod ita faciant, supponere, dum alicuius excessus, vel defectus non satis innotescant. Sed an omnes eadem charitate, suauitate, sedulitate, zelo, prudentia, cæterarumque virtutum concertatione agere satagant, qua Thuribius agere solebat, non æque manifestum est: vt proindè ipsius eximia perfectio, negligentibus confusioni, diligentibus exemplo esse possit. Legum authoritate, & iure suo tùm solùm vtebatur, cùm amorosa patris disciplina contemneretur; at id tùm adeò seuerè, vt eius constantia terrorem incuteret: sed in ipsa seueritate, tàm suauis, adeòque misericors, & compatiens omnibus, vt nullus vel rarus esset, qui non tàm pœnæ, vel indignationis metu coactus, quàm attractus amore, & sancti viri reuerentiæ affectu, se eius nutibus non accommodasset.

Ordinarius ipsius personas visitandi modus hic rat. In Parochi non prius cogniti domum introductus, ipsum imprimis amico colloquio conueniebat, quis, & cuias esset, si in Hispania, & alibi in Europa natus, qua ratione in Indiam venerit? quibus litteris imbutus esset, & an Indorum linguam calleret,

leret, vbi, & à quo ordines Ecclesiasticos accepe-
rit, quisque eum in ea pastorali cura constituerit,
& alia huiusmodi: quorum singulorum documen-
ta disquirebat, vt & libros omnes ad sacra mini-
steria necessarios, & omnium Parochianorum, &
Sacramentis initiatorum, & non initiatorum ma-
triculas, & fundationum, testamentorumque ta-
bulas; sed speciali cura, an B. Pij V. nouum Bre-
uiarium, & Missale suppeterent, quorum obser-
uantiæ ad minimos quosque ritus erat zelantissi-
mus: synodalium quoque constitutionum acta, &
cathechismum, aliaque monumenta doctrinæ, &
regiminis animarum in eisdem edita: nec quid-
quam se latere permittebat. Domum etiam oculis
perlustrabat; siquid sacris regulis aduersum, siquid
inordinatum, vel sacerdotis domum non decens
esset, vel debitum desideraretur. Interrogabat
prætereà, quæ templa, sacella, vel alia pia loca in
parochia haberentur: & minima quæque seu in
oppido, seu alibi, quantumuis procul, adibat,
eademque ratione præsens cognoscebat; sed singu-
lari diligentia, infirmorum & pauperum Indorum
Xenodochia.

Mox amoto parocho, ad Concilij Prouincialis
præscriptum, Indis per destinatas horas libertas
erat accedendi: quos ipse vt filios excipiebat, que-
relas suas, aut grauamina denunciantes benignè,
& patientèr audiebat, iuxtà Edicti visitationis
puncta, de publicis defectibus interrogabat, &

consolabatur omnes, non verbis tantùm, sed efficacibus malorum remedijs: atque egentiores nummis, & alijs muneribus.

In adhibendo rebus opportuna remedia, initium à domo Dei sumere consueuit. Et conuocatis Parochiæ, aliorumque piorum locorum præfectis, Indorum primoribus, & Regijs districtuum Præsidentibus, quibus prouisio multarum rerum, per ipsorum Regum edicta incumbebat, quæ ad fidem faciliùs, feliciùsque propagandam, et commodiorem doctrinæ, et Sacramentorum administrationem necessaria forent. Horum vnumquemque sui muneris admonebat, et, vt templis imprimis, sacellis, et Xenodochijs, vel veteribus restaurandis, vel nouis erigendis, omnique ornatu, et necessaria supellectili apparandis, citò, et solertèr insisterent, et de necessarijs medijs cum ipsis deliberabat. Quæcumque festinato opere statim fieri poterant, in aliud tempus differri non sinebat: instabat ipse operi, et populum ad admouendas manus, et lacertos exerendos hortabatur: opus Dei haud negligenter faciendum inculcans, agendique operis modum, et formam præscribens. Nèc nisi absolutum illud, et reliqua ritè disposita suis oculis cerneret, abire loco volebat. Vbi verò populi, vel Presbyteri paupertas postulabat, pecunias ipse suas, et propriam suppellectilem, tam sacram, quam domesticam conferebat in res Ecclesiæ necessarias, vel ex ærario communi fabricarum

rum

rum, & pijs testamentis, quæ debebantur, conferri curabat.

Regios ministros hortabatur, suoque iure requirebat, vt Indos per camporum tuguria, per obstrusa saltuum, & montium cauernas dispersos in oppida & pagos cogerent, nec semel congregatos assignatum habitationi locum deserere, vel destruere sinerent: quo faciliùs, commodiùsque doctrina, & Samcramenta collectis ministrari possent; eorumque feritas ciuili cohabitatione, & humana consuetudine, vt feræ domi educatæ, mitesceret, & cessarent antiquæ superstitionis reliquiæ, & vsus auitæ Idololatriæ; quæ in desertis illis locis, & recessibus, vt occultiùs, ità licentiosiùs exercebant. Inter ipsas quoque Colonias complanarent vias mutuo commercio, consuetudini, accessuique necessarias: intercurrentesque torrentes, & flumina pontibus sterni curarent, vt plurium pagorum populi ad parochialem Ecclesiam tutò concurrere possent; & sacerdos vicissim, ad singulos visitandos, & Sacramenta ministranda peruadere. Reperiebat enim in cognitione Prouinciæ, multos in montium abruptis præcipitijs, & rapidis fluminum vadis, & repentinis torrentibus periuisse; cæteros autem periculorum certitudine, quæ ipse frequentèr experientia didicit, ab Ecclesiæ accessu, & Sacramentis, tam quærendis, quam conferendis deterreri, per quod non pauci absque sacramenta-

li procuratione & salutaribus monitis moriebantur.

Cùm verò in re tanti momenti, ac tùm sacræ, cùm ciuili Reipublicæ necessaria; ministros incurios, vel refractarios cognosceret, eos ad Proregem deferebat, & nouis mandatis ad officium cogi curabat. Vbi pagorum distantia, vel maior Christianorum numerus esset, quam quibus queat sacerdos vnus sufficere, tunc alios vni iungebat, vel nouas parochias, diuisis populis instituebat, noua templa construi, necessarijs omnibus instrui, proprijque Rectoris curæ committi faciebat. Vbi sacerdotes erant, etsi minus docti, vel in linguis gentium non satis versati, sed seduli tamen & exemplares, horum ignorantiam subleuabat vocabularijs linguarum, & libris ritualibus, casuumque conscientiæ, & paratarum concionum, & Catechismi; tàm Hispanico, quàm Indo sermone conscriptis: quos ad hunc finem egentibus gratis donandos, magno numero circumferebat. Intereà verò dùm discerent, adiunctis doctioribus, & linguarum peritis iuuabat, qui doctrinam, & Pœnitentiæ Sacramentum Indis administrarent: detractis horum stipendijs ex emolumentis Parochorum: quod istis proficiendi stimulum addebat. Parique ratione in locis operarijs à parochia remotis, in quibus notabilis populi multitudo commorabatur, proprium sacerdotem instituebat, qui parochialia mu-

munia apificibus præstaret. His verò sacrorum ministris sic prouidebat, vt, absque prædiorum vsu, mercimonijs, vel vllis artibus lucratiuis, aut Indorum grauamine, satis honestè viuerent.

CAPVT XXVIII.

Cognoscendorum criminum ratio, & in plectendis clementia. Sacerdotum salutis, honorisque cura.

IN cognoscendis criminibus, quamuis alioquin diuini honoris ardore succensus, quidquid Deum offendere posset, magnoperè detestaretur; ea tamen charitate, qua homines propter Deum diligebat, omnium æstimationi, & famæ conseruandæ semper consuluit: nec vllius vituperationem, delictum, vel defectum, quantumuis exiguum, extra iudicium sibi manifestari voluit, aut etiàm leui murmure detegi passus est. In iudicio verò nihil alieni criminis libentèr, vel temerè credere; sed ea potiùs innocentia, & animi candore, diuinique honoris zelo, quo ipse pollebat, cæteros præstare sibi persuasus, omnes ad se delatos defendere, & accusationum initia his atque similibus verbis intercipere. Heù me peccatorem! quem tu accusas, vir bonus est; caue, vt comprobare possis, quæ in illum exponis: sed considera virum bonum, honestum, & venerandum esse: quantumque

que scelus sit, huiusmodi hominum famæ detrahere: & quæ mala de illis dicuntur, creditu difficilia sunt: & qui dicunt quam faciles condemnari calumniæ. Quod si reipsa in te peccauerit, non nocendi voluntate fecit: vel si sic, non tibi, sed alium putans: vel si tibi, dimitte illi, vt velis Deum tua tibi peccata dimittere. Atque hac ratione lites innumeras, quæ in densam discordiarum segetem gliscere possent, non rarò in herba præscindebat, pacemque & amicitiam inter amarè discordes conciliabat.

Iuuat rem paucis, inter plurima, quæ fuerunt, paradigmatis explicare. Clericus quispiam choralis, in area templi globis cum aliquo ludebat; ortaque inter ipsos contentione victoriæ, alter alterius caput iactu globi vulnerauit. Saucius illicò ad Archiepiscopum currit, sociumque criminis incusauit. At seruus Dei, serio ioco litem diremit: caue, inquiens, ne volucer aliquis lapidem rostro ferens eum in tuum caput ex aëre dimiserit, hac parabola significans, mala verba, quæ, vt fit, læsus volatili lingua ex ore fortassis in alterum protulerit, capiti suo vulnus inflixisse. At, inquit, si auis errore factum fuisset, quid superesset remedij præter patientiam? id ipsum tu nunc adhibe, & æque citò sanaberis: parce fratri, vt Deus parcat tibi, sicque tota lis inter adolescentes decisa fuit, ipsique in pristinam amicitiam coniuncti.

Sed multis ponderibus grauius est, quod Yeæ acci-

accidit, cùm Beatus Thuribius eam ciuitatem visitabat. Insolens quispiam, & impatiens iustitię, cùm præterita crimina emendare debuisset, nouo scelere se venia indignum reddidit. Nam Archiepiscopalis fisci ministrum, aliquid sui muneris exercentem, ducto cultro, in facie signauit. Iste querulus ad Archiepiscopũ volat, acceptam iniuriam, nõ tàm sibi, quàm ipsi Archiepiscopo, & publicæ iustitiæ, eique sacræ, cum ingenti offensa Dei, & populi scandalo, per intollerabilem audaciam, & insolentiam illatam fuisse repræsentans: quo tantum scelus grauissima vltione plecteretur. Sed longè alius erat animus pacifici, & misericordis Mogroueji: nam ijsdem argumentis per quæ alius factum aggrauabat, ille excusabat authorem. Etenìm tam atrox facinus, à Fulano alioquin honesto patratum fuisse, persuadere sibi non poterat. Proindè solari offensum, sed rogare, vt benè videat, an Fulanus, vel fortè alius manum ei iniecerit. Asseueranti Fulanum fuisse: sed fortè, inquit, vel te non dignouit, vt alium putans, te percussisset, vel certè prouocatus, aut vehementi passione, à mente abreptus fecit: propterea nùnc turbato parcendum esse, qui in se reuersus ipse factum vltrò emendabit. Fiscali interìm suadere, vt sui offensam illi ignosceret, eoque animo remitteret, quo peccata sua, per supremi Iudicis fiscum, sibi remitti cuperet. Idque pro sua reuerentia obtinuit Thuribius, & lis, quæ agitata conflaret incendium, in fumo suo quietè consopita fuit.

In

In hoc reconciliationum genere, gratia, & feli-citas Thuribij celebris erat ex facto quod sequitur. Duo viri sanguine Nobiles, & publicis muneribus cònspicui, in ipsa Limani Proregis aula rixati, alter alterum lingua, & hic ità prouocatus, illum vicissìm baculo grauiter offendit. Vterque in carcerem coniectus, & examinata causa, qui baculo in alterius ignominiam vsus est, & abusus aula Regia, per Iudicum sententiam, capitis damnatus est, quanquam aliàs Architalassi titulo insignis: liberandus tamen, si percussus, à iustitiæ criminalis rigore prouocando desistere, & offensam reo condonare vellet; sed inexorabilis fuit. Indoluit vniuersa Ciuitas Regum, Regium ministrum, & virum nobilem de Repub. benemeritum, verborum contumelia lassescitum, quòd honorem suum, etsi imprudentèr, facto vindicauerit, tam ignominiosa morte fortè vitam finire. Intercedebant, hortabantur, orabant Regni Proceres, Vrbisque Primores viri, & matronæ, Regij ministri, Religiosorum Ordinum professores authoritate, doctrina, & pietate præcipui: sed nemo persuadebat, nemo omnium exorabat. Mirabantur omnes hominem, ceteroquin vrbanum, noua metamorphosi in Peruanum pacum, ictu baculi transformatum fuisse, cuius bestiæ pertinacissimam duritiem alibi descripsimus. Res iàm desperata visa fuit, aderatque non dies tantum, sed & ipsa hora, qua Architalassus ex carcere in theatrum in foro paratum educen-

dus

dus erat, & lictoris manu per capitis abſcissionem necandus.

Ea de re monitus Beatus Antiſtes Thuribius, vocata familia, & populi multitudine, qui lugubre ſpectaculum in foro præſtolabantur, ſtipatus ad carcerem pedes per forum properat, & hominē ſolita ſuauitate primùm adoritur; vt pro christiana charitate remittat iniuriam: nolentem perindè, viuis rationibus vrget. Sed nihil efficiens, tandem arrepta manu Crucifixi Ieſu efficie, & flexis in terra genibus hominem iterùm, iterùmque rogat, vt pro Chriſti cunctorum Iudicis, & Redemptoris reuerentia, qui ex ipſa cruce patrem pro crucifixoribus orauit, proque ſuorum ipſius viri peccatorum ſperanda venia, & pro tollendo populorum ſcandalo, virum illuſtrem, cunctiſque gratum, etſi pro humana fragilitate, verborum iniuria laceſſitus peccauerit, perire non velit. Tanta humilitate, tantoque charitatis ardore flagitauit, vt adſtantium obortis lachrymis, & ſoluta tam duri pectoris glacie, reo veniam impetrauerit; eodemque facto, alterum à corporis, alterum ab animæ morte totius populi exultante lætitia, applauſu, & acclamatione liberauit. Mox ad Proregem pergit, veniam reo datam narrat, ſuadetque, & perſuadet, vt vtrumque moderata pœna correptum, è carceribus eductum, libertati reſtitueret. Et hæc quidem Thuribius in priuatis hominum contentionibus.

Quæ verò peccata in Catholicam fidem, abusum Sacramentorum, Ecclesiæ iurisdictionem impingebant, vel alijs præbebant occasionem peccandi, eorum accusationem, non nisi per scriptum excipere voluit, & in eis iudicandis, plectendisque, eandem zeli iustitiæ, & charitatis rationem sequutus est, quam in Granatensi Sacræ Inquisitionis tribunali ipsum seruasse diximus. Cuius charitatis, & compassiui doloris paradigma, quod Limæ contigit, non importunè hùc inserendum duxi. Erat in Sancti Officij carceribus quidam, olìm religiosæ vitæ falsus professor, proptèr hæresim, quam, suadente diabolo, retractare nolebat, seculari foro tradendus. Eum consuetis ritibus, Presbyterij gradu priuandi munus ad Thuribiũ, vt Pontificem pertinebat. Aderant sub vesperum in Sacra Curia, fidei censores: ac degradandi rei mox futuri Iudices, conuenerantq; Prorex, & Procerum laicorum plures. Dùmque horam expectarent, refectiuncula ipsis, honoris causa, proposita fuit, ad quam aduenturum etiam Archiepiscopum cupiebant, & præstolabantur: sed appulsus ille, vt repentina necessitate non coactus, consueuit mitræ munia, quacumque diei hora, ieiunus exercere, exorari non potuit, vt ingrederetur triclinium, sed officij sui tempus in inferiori atrio expectabat. Non multùm temporis edulijs indultum: cui enim rem tàm lugubrem cogitanti placeret epulum ferale? Ad tribunal ventum est, vbi Archiepiscopus pro sua reuerentia con-

consedit, pronunciataque in reum, iam prius decreta sententia, moestus surrexit, & Pontificio apparatu ornatus, munus degradationis aggressus, & vsque ad noctis medium prosecutus est. Sed nunc sancti viri viscera, tanquàm in speculo conspici poterant in profluuio lachrymarum, quas toto illo tempore charitatiuæ commiserationis affectus exprimebat; dùm verè miserendi hominis vitæ, famæ, & perpetuæ fœlicitatis damna, ipsis, eum execrantis cæremoniæ verbis, & actionibus repræsentata meditaretur. Indè domum redux, quanquàm ab hesterna die nullo corporis cibo, vel potu refectus, præ animi mœrore nihil gustare voluit, sed nocturnum diuinæ laudis pensum, solita pietate soluendo animum statìm intendit.

Alioquìn, dùm quisquàm, vel sacri huius, vel alterius Regij tribunalis sententia, ad mortem, vel tormenta damnatus, per forum transiturus, aut in eo plectendus esset, Palatij sui fenestras occludi curabat, & domesticos precibus, pro eorum animabus intendere; impatiens prospectus vllius humanæ miseriæ, vel calamitatis, cui remedium adferre non posset. Cæterùm in alijs quæ ad Archiepiscopale forum pertinebant, per summam qua pollebat prudentiam, discretionemque conditionis personarum, alias, Indis, aliàs Hispanis pœnas infligebat. Cùm enim illi plerumque pauperes essent; sed præcipuè, quoniam adhuc tùm in fide infirmi, spiritualium pœnarum vim non satis perpen-

 dere

dere ſcirent, corporalibus tantùm ipſos plectebat; ſed ne vlla eis Eccleſiaſticorum Iudicum auaritiæ ſuſpicio incideret, vel ſacram diſciplinam, lucri cauſa conſtitui; quo eam vel contemnere, vel minoris æſtimare poſſent: quemadmodum in Sacramentorum adminiſtratione nullam pecuniam, vel aliam rem pecunia appretiandam, ab ipſis recipi voluit; ſic eorum crimina nulla pecuniaria mulcta, ſed corporalibus pœnis vindicari ſinebat. Eademque ruditatis ipſorum cauſa, eos ad ferendum teſtimonium propoſito iuramento vocari, vel admitti non patiebatur, niſi cùm res alitèr decidi non poſſet: ſed nec tùm quidem niſi priùs fortitèr ipſis inculcato, quantum ergà homines crimen, & aduerſus Deum ſacrilegium in periurio conſiſtat.

Hiſpanos autèm, quòd in fide firmi, & doctrinæ, vſuique Eccleſiaſticæ diſtrictionis aſſueti eſſent, tùm Canonum ſpiritualibus pœnis, tùm pecuniarum taxatione plectebat: ea tamen cautela, vt nè ſpirituales pœnæ temerè intentarentur; excommunicationis præſertìm, quæ grauiſſima eſt, fulminandæ rationem, ex norma Concilij Trid. Synodali edicto præſcripſit, quam nèc ipſis Epiſcopis, nèc eorum vllis miniſtris tranſgredi liceret, vel impunè permitteretur. Mulctas autèm pecuniarias, quæ legibus taxatæ non eſſent, ſuo, Iudicumque arbitrio, pia, & prudenti ratione imponendas committebat; ità tamèn, vt, nè vel minima earum pars ipſis obueniret. Omnem enim earum diſpen-

pensationem sibi ipsi reseruabat, vt in vsus purè putè pios tanquàm pretia peccatorum, soli Deo debita impenderentur. Ordinaria mulctarum distributio illi fuit, vt media pars illicò destinaretur pio vsui cuiuspiam Cœnobij, Xenodochij, Ecclesiæ, vel egenis puellis benè locandis; & altera media seruaretur ipsius dispositione in similem vsum, vel aliud pium opus, cùm opportunum foret, conferenda. Nèc obolum vnquàm in suam, vel domesticorum vtilitatem conuertisse deprehensus est; sæpè tamèn pronuntiata sententia, ipsi criminum rei, allegata, vel propria, vel propinquorum paupertate, supplices orabant, vt impositam summam illis subleuandis, tanquàm eleemosynam, pro Dei amore condonare velit. Quorum indigentiam, vbi Thuribius cognosceret, nunquàm negauit postulata; quìn diuini amoris, & eleemosynarum nominibus concitatus, omnia lætus, & lubens concedebat. Cuius generis pauca, quæ subijcimus exempla, amplissimum cæterorum argumentū exhibent.

In oppido Laymebamba, *P*rouinciæ Chachapayæ, parochum ducentorum pondo reum censuit Archiepiscopus, nèc à lata sententia sibi recedendum esse. Tùm presbyter scire se Pontificem, eam pecuniam pauperibus largiturum, sibi verò patrem esse, Ioannem Baptistam, cognomento Nanum, paupertate pressum; cui hac occasione vt succurreret Archiepiscopus, orauit. Placuit Thuribio charitas presbyteri in suum patrem, nèc displi-

pli-

plicuit prompta occasio eleemosinæ,ac totam pecuniam Ioanni Baptistæ numerari fecit. E seculi hominibus, Didacum Fernandez Vicepræstorem Caxatambensem cōdemnauit ducentorū pondo illius nummi, quem *peso ensayado* vocant:& reus, nescio ad quem appellauit à sententia. Sed post annos duodecim, tanquàm ignotus, & aliud agens, accessit Archiepiscopum. At firmissimam Thuribij memoriam, temporis diuturnitate fallere non valuit. Tùm enim Archiepiscopalis authoritatis irreuerentiam, & contemptum Ecclesiastici Iuris, in astuto homine ferre non volens, Fiscali suo iussit, vt Didacum sibi satis notum, vel iniunctam peccati pœnam soluere, vel appellationis beneficij documenta proferre cogeret; Ac etsi Didacus pauperiem prætexeret, nè c se prosecutum appellationem affirmaret; pecuniam tamen fisco numerare oportuit. Verùm Thuribius mox totam, ea conditione restituit, vt in locandarum filiarum, quas Didacus domi habuit, dotem cederet. At nè templa, quibus Beatus Thuribius eam summam ab initio destinarat, inde paterentur,tantundem ex proprijs pecunijs ad ea mitti curauit; Quot in vna actione virtutum exempla? Iustitiæ rigori satisfactum, sed sequenti misericordia mitigato: Pontificiæ dignitatis authoritas, & Canonum districtio vindicata, puellarum adiuta pudicitia, seruata fideliter prima pecuniæ donatio, Ecclesiarum necessitati prouisum est,& peccator ad pœnitentiam fortitèr suauiterque beneficio perductus. Alius

Alius Clericorum attulit summam pecuniæ, quam Thuribius ipsi in delicti pœnam iniunxit. Sed subiunxit presbyter, eam se summam congessisse in subsidium duarum sororum, quas innuptas, & parentibus orbatas Ponferradæ in Gallicia habuit. Tùm pius Thuribius, vocato Vincentio Roderiquez, quem eleemosynis distribuendis præfecit, statìm iussit, vt illam pecuniam ad Clerici sorores mitteret. Quod cùm fidelitèr factum esset, pauperes puellæ duobus Ponferradæ *Prætoribus*, ea dote matrimonio coniunctæ fuerunt: vt certis documentis, & gratiarum actionibus, ex Hispania ad Archiepiscopum missis, posteà constitit.

Sacerdotum salutis, & honoris quam curam haberet Mogrouejus, clarè demonstrant exempla quæ sequuntur. Vnus ex parochis fuit, asper, & duræ ceruicis homo, Indorum oppressione, quos auaritiæ suæ seruire crudelitèr cogebat, alijsque criminibus irretitus. Hunc cùm Sanctus Antistes, nèc paternis monitis, nèc legum districtionis comminationibus flectere posset; sed potiùs inflicta pecuniæ malè acquisitæ pœna insaniret, non potestatis armis, sed charitatis artibus vsus, manu placidè apprehensum, in secretiùs cubiculum introduxit, proprias scapulas denudauit, flagellum strinxit, & genibus ad Crucifixi pedes positis, (quod S. Thomam Villanouanum aliquando fecisse legimus) duritèr se cædere, precibus, lachrymis, & sanguine diuinum Numen sibi ipsi, & perdito homini

mini

mini placare. En, inquiens; Domine, mea peccata merentur, vt ouis ista mihi commissa pereat, sed misericordiam tuam vtrique imploro. Nèc destitit, dùm stupefactus primùm peccator, deindè compunctus, Sanctum Patrem gemebundus, & lachrymans oraret, vt innocenti suo sanguini parceret, flagrumque sibi tradere vellet, qui peccatis suis ea,& maiora meritus esset, quorum eum tunc amarè pœniteret. Tùm lætus Thuribius ea mutatione dextræ excelsi, pœnitentem hac mansueta monitione dimisit: Frater, in quo statu sis, vide: vita tua, & mores procul distant ab instituto Sacerdotis, Deum grauitèr offendis, & populo quem ædificare debueras, scandalum præbes. Hæc ego, qui Pater, & Pastor tuus sum, meis peccatis attribuo, & ideò hanc de me pœnam exigo. Tu vade, & morum emendatione his me supplicijs liberabis: sic factum, vt obstinatissimus peccator, ardore charitatis pij Patris, in lachrymas pœnitentiæ colliquerit, & perdita ouis, boni pastoris humeris reducta vitam deinceps honestè duxisset.

Obtinuit etiam hac ratione Thuribius, vt Parochus ille, qui, si publica punitione cogeretur, populo deinceps irreuerentiæ & contemptui foret, nunc potiùs vltronea emendatione, & bono in posterum exemplo, ex ipsa oppositione præteritæ, & præsentis vitæ, magis elucesceret, maiorique veneratione apud populum haberetur; quemadmodum gaudium erit in cœlo super vno peccatore

re pœnitentiam agente, quam super nonaginta nouem iustis, qui non egent pœnitentia. Vt enim nouerat sapiens Archiepiscopus, quantæ vtilitatis in populo esset fama, reuerentia, & amor sacerdotis; quo eius doctrina acceptior esset, & cætera sacra ministeria maiori pietate, & fructu susciperentur; sic, Deum in Aarone monendo secutus, toto gubernij sui tempore, sacerdotum æstimationis, honorisque zelantissimus extitit. Propterea hunc scopum, & sanciendarum legum finem grauissimis verbis proponebat, quoties in synodis, quiduis de Clericorum vita & honestate decerneret.

Luc. 15. Num. 16. & 28.

Ipse singulos reuerentèr tractabat, & quos exempla virtutum, & pietatis populo præbere sciebat, eos omni honore, & fauore prosequebatur, & ex animo diligebat: quos secùs, magna discretione, & ipsorum famæ cura corrigebat, nec eorum quempiam coràm laicis hominibus corripiendum sibi censebat, vel acriùs, aut imperiosiùs, quam culpæ grauitas commeruisset. Hinc in Concilio Prouinciali, per sedem Apostolicam approbato cauit, ne libellus aduersus Clericum datus admittatur, sinè subscripto nomine accusatoris; neque sic quidem visitatores ab Antistitibus destinandi, processus circa grauiora parochorum crimina per definitiuam sententiam concluderent; sed cæterùm terminatos ad ordinarium transmitterent, adhibito suo ipsorum de vnaquaque causa iudicio, vt Episcopus ipse finalem sententiam ferat: nec ipse vllum

è *Parochia* detrudat, quamuis multæ & graues querelæ deferantur, nisi oculato examine discussa causa in eodem loco, in quo reum deliquisse diceretur. Et quia notauit nonnunquàm causis indecisis, personas Ecclesiasticas per solam accusationem diffamari, in Synodo septima Diœcesana constituit, ne quisquam tam facilè leuitèrque audeat personas ecclesiasticas criminari, vel diffamare sacerdotes; vt indè inposterum Ecclesiastici Iudices non admittant eiusmodi accusationes, nisi priùs deposita sit ea pecuniæ quantitas, ad quam accusatores de iure se per fideiussores obligabunt, cui constitutioni nos in Lima limata non inutilem notam adhibuimus.

Huc spectat res digna relatu: Laicus quidam, sacerdotis delictum ad Thuribium detulit, per quod iste Deum imprimis & accusatorem grauitèr offendebat, & minimè tolerandum scandalum præbuit populo. Tùm Sanctus Antistes ne tantum crimen inultum relinqueret, & simul, ne Sacerdotis æstimatio læderetur, accusanti primùm respondit, non facilè credi posse, vt vir ecclesiasticus, & sacerdos, animarum Curator tale quid commisisset. Quo responso res tùm suspitioni magis, quàm agnitæ veritati tributa fuit. Verùm Archiepiscopus, aliquot post dies, indè procul absens, presbyterum, nulla indicta causa, per litteras ad se vocauit; nec accedentem vllo verbo, vel signo indignationis excepit, sed apud se honestè retinuit per vnum annum,

num, absque vllo alio beneficio, vel manifesta priuatione prioris, vbi vel religiosissimè viuere, vel iustitiæ rigorem experiri oportebat. Tùm verò cessante admiratione, & memoria præteritorum, inter se & ipsum, grauitèr eum obiurgauit, & pœnitentem, emendatumque alio beneficio donauit, nec in loco delicti vnquam amplius comparare voluit. Sicque peccati & scandali occasio, saluo sacerdotis honore, sublata fuit.

Dùm Chinchacochæ, Taramæque Prouincias visitaret, inuenit presbyterum doctrinalem, quem re probè cognita, suo beneficio, & animarum cura dimouendum omninò censuit. Sententia lata, & intimata reo, is ob emolumenti, vel honoris iacturam tanto furore exarsit, vt se in profluentem præcipitare statuerit. Thuribius periculum doctus, considerans se miserum hominem, & si alioquin iure merito; non tamen ad corporis animæque interitum castigare voluisse, desperantem presbyterum ad se vocauit, & rebus, quàm optimè poterat, alitèr dispositis, ipsum pro solita sua clementia loco restituit. Nec vllus vnquam ab ipso damnatus est, qui misericordiam, promissa emendatione petens, vel integram veniam, vel aliquam pœnæ moderationem non impetrasset.

CAPVT XXIX.

Thuribius nummorum indiligens. Munerum accipiendorum inimicus.

TAm ignarus nummorum erat Mogrouejus, vt nullum ex imagine vel notis dignosceret, nec eorum calculos, quia non consueuit, vltrà decimum numerum ducere sciebat, sed sola mole summam æstimabat; vndè quandoque factum, vt legum transgressores vltrà quàm sciens vellet, pecunijs mulctarit; sed conspecta mole, mitigabat sententiam. Aliquandò Clericum, fortè non tantæ culpæ reum, mille pondo pœnæ subiecit; iste pecuniam in sacco tulit, & coram Archiepiscopo ciecit in mensam. At Thuribius montem argenteum admiratus, quid hoc sibi velit, interrogat: & respondente sacerdote, hanc esse pecuniæ summam, cuius ipsum nuper mulctasset, vir sanctus separato pugno nummorum: Non, non, inquit, ego te tanti damnare non volebam, hoc solum sufficit, reliquum egenis parentibus iuuandis tibi tolle. Alius paritèr quadringentorum nummorum indictam sibi pœnam in mensam exposuit, & Thuribius, Deus me iuuet, inquit, tanti nè tuam culpam censui, & excerptis paucis aliquot nummis, reliquos referri iussit; affirmans, non putasse se, tantum cumulum fore. Emolumenta Chirographi,

phi, etſi iure debita, nunquàm accipiebat, præterquam cùm cenſurarum inſtrumentis ſubſcriberet; fortaſſis, vt eo rariùs peterentur. Quidquid indè veniebat, in ciſtula ſeruabat, tot Miſſas, pro purgantium animarum requie fieri curaturus.

Nèc obolum ipſe in pera portabat, nec prætereà nummum, vel aliam eiuſmodi rem pretioſam in ſcrinijs repoſitam vnquàm ſeruauit. Cùm cæteris officij ſui tabulis manum adhibebat, antè proprij nominis characteres ſcribebat. *Gratis*. Quæ demùm iuſtitiæ miniſtris in re iudiciaria ſeruanda, in Synodalibus Conſtitutionibus præſcripſit, eadem ipſe vbiuis exactiſſimè ſeruabat. Horum vnum erat, in quo noſter Archiepiſcopus, Beatus Thuribius Sanctiſſimè ſuperſtitioſus fuit. In Concilio Prouinciali per ſedem Apoſtolicam approbato, viſitatoribus inhibuit, ne munera quæcumque aut commodi aliquid, præter ea, quæ ſunt à iure permiſſa, neque viſitator ipſe recipiat, neque ſuos recipere permittat. In cuius obſeruantia, etiam in rebus minimis, vt in omni alia virtute, Archiepiſcopus ipſe exemplo præiuit. Conſiderabat enim vir ſanctus huius legis latorem ſe eſſe, &, vt Antiſtitem, ſic alijs datum obſeruantiæ ſpeculum: à cuius minima quauis libertate, maioris licentię, in rebus grauioribus, anſam alij facillimè arripiunt. Quapropter omnem muneris, vel accepti commodi ſpeciem, & nomen ipſum axhorrebat: ſed res factis comprobanda eſt.

Dùm

Dùm Thuribius Limæ moraretur; in vrbis Ecclesijs lustrandis occupatus, Ludouicus Velascus Prorex, Regiæ Pæfecturæ Proceres solemni die, ad conuiuium vocauit. Archiepiscopi dignitatem, & Sanctimoniam veneratus, missus opiparos quinque solemni ritu, & aulicorum, satellitumque comitatu è mensa, suo illi nomine ferri iussit. Sed Thuribius remittere voluit, quòd visitationem tùm exerceret, donec soror Grimanesa, & Doctor Michael de Salinas, ipsius vicarius generalis persuasissent, Proregem confusum, iustèque offensum iri: nec ipsius tam solemnem humanitatem, sine populi scandalo reijci posse. Nèc tùm etiàm sinè duplici lege donum acceptare consensit: altera, vt ipse, nequidem extremis labris, quidquam indè degustaret; altera verò, vt Grimanesa sequenti die tantundem Proregi mitteret; & vtrumque obseruatum est, cum Proregis erga viri Sanctitatem summa reuerentia.

Eiusdem sanctitatis fama permotus alius quidam purpuratus *Præsul*, Thuribio misit Breuiarium, & globulos Marianos, magnis indulgentiarum benedictionibus imbutos. Sed non priùs admittere voluit, quam viri graues; & docti censuissent, ea præter omnem conscientiæ scrupulum accipi posse; quòd, qui misit, nulla re ab ipsius potestate penderet. Vicarius generalis Ordinis *Prædicatorum* in *Peruuia*, misit illi fiscellam duodecim pulchris pomis magis ornatam, quam onustam,

tam, eleuauit ille folia, & vnum pomum digitis acceptum adſtantibus monſtrauit; eoque in ſuum locum repoſito, dixit latori, vt ſuo nomine gratias Patri referret, renunciaretque ſe ſanum eſſe; adeòque poma ægris in cœnobio religioſis magis vſui fore, ſicque omnia remiſit: ſi vel vnum miſiſſet fortaſſis, idem facturus. Nam quidam Cathedralis Eccleſiæ Præbendarius, præcox pirum, tempore, quo talis fructus nundùm alijs ſuppeteret, tanquàm rem raram illi miſit. Thuribius per ſororem oblatum leuitèr olfecit, neque guſtare volens, eidem reſtituit: in his minimis tàm rigidæ abſtinentiæ, & mortificationis ſenſuum, quàm conſcientiæ, à muneribus mundiſſimæ documenta præbens. Sed maiora exempla in rebus minoribus iàm ſequētur:

Extrà Limam, in ciuitate Legione Guanucana, nobilis, & locuples Eques, Antonius Garayus, ſola fama ſanctitatis Thuribij, ergà eum ardenter affectus, vltimæ voluntatis teſtamento legauit ipſi crucem auream, ſmaragdinis lapidibus ornatam, & melioris notæ lapillum bezaarium. Thuribius poſtea Legionem acceſſit, viſitationis opera proſequutus, & Antonij filij, defuncti patris voluntatem fidelitèr exequentes, donum illi obtulerunt, ſed tunc fruſtrà. Non Thuribius, ſe quidquam inter viſitandum prouinciam accipere poſſe, nec velle Canonum pœnas incurrere, reſpondit; bonam tamen Antonij defuncti patris voluntatem precibus ad Deum fundendis repenſurum. Iterùm

ta-

tamen, in prouincia Chinchacochana, extrà Guanucum, illum aggressi sunt, suadere conati, nullum conscientiæ detrimentum esse, neque Canonum vetationem, si religiosum munus acciperet, ab homine non priùs noto, iam vita defuncto, & qui nihil amplius prætendere posset, præter animi beneuolentiam, & libera precum suffragia; nec viuum patrem; neque se filios aliud voluisse: posse præsertìm accipi, cum Ciuitatis, & Prouinciæ Guanucanæ lustrationem iam absoluisset. Sed surdo canebant: quod cùm aduertissent illi, relictis in mensa cruce, & bezaaro, abierunt. Quæ res Beati Præsulis animum ità turbauit, vt quiescere non potuerit, dùm casu Limam ad doctos delato, responsum accepit, nihil quod ipsius conscientiam onerare posset, pensatis rei circumstantijs, remanere.

Quoties in arduis illis, discriminosisque, quæ retulimus, itineribus deficienti, soror ex vrbe quidpiam illi mittebat, non acceptabat omninò, nisi per litteras certior fiebat, eam rem proprijs ipsius pecunijs comparatam fuisse: nè repetam, quod antè dixi, propter platani Indici agrestem racemum, ex arbore Syluestri decerptum, quo ille solo post diurni itineris inediam, tota nocte, ad fluminis ripam sub Dio in terra decubiturus cœnauit, duos nummos reales in arbore reliquisse, nè tantillum damni Domino nemoris, si quem forte habuit, intulisse videretur.

Sed maius in re minima est, quod sequenti mane

ne fecit. Inualescente diluuio, flumen eo loci peruadari non potuit; quapropter, vt transitus alibi quæreretur, necesse fuit, aliquot horas per arduum montem pedestri itinere progredi. At sanctus senex baculum non habuit, cui per lubricum cliuum inniteretur. Petijt sacellanus ab obuio Indo scipionem, quem manu gestabat, deditque Indus animo minùs lubenti. Quamobrèm Thuribius eũ accipere noluit, donèc pro baculo traderentur Indo quatuor reales argenti, ne commodi quidquam gratis acciperet.

Alibi præmissa tota supellectili, ipse cum paucis comitibus ad repentini torrentis ripam, sine tecto pernoctare coactus est, vbi magister vicinæ fabricæ valli, seu terrei muri Paucartambæ stragula quædam accommodauit, quibus famuli ab aëris clem: nt ia tegerentur. Sed manè Thuribius loco pedem efferre non voluit, nisi stragulorum vsus pretio quod ipse imperauerat, persoluto.

Nobilis fœmina, vxor Prætoris Ingaij, misit Archiepiscopo quatuor magna vasa plena bellarijs; sed ipse statim cum gratiarum actione remisit, cum ea ratione repudij, quòd nihil ab vllo inter visitandum recipere, vel possit, vel soleat.

In pago Chiucca, Thuribij, & itineris comitum corpora refocillanda erant, eratque in comitatu vir grauis, Ordinis Minorum, Franciscus Madritensis, qui in phiala cristallina, non ignobile vinum obtulit Archiepiscopo. Tunc Thuribius colorem

fortaſſis admiratus, conceptaque ſuſpicione muneris, vnde vinum, & vnde in deſerto phiala veniret? interrogat, & reſpondente religioſo, vinum ſibi in ſcortea fuiſſe, villicum autem accommodaſſe vitrum: cauendum dixit, quod Synodi conſtituta vetant, ne nobis commodum alieno incommodo gratis accipiamus, iuſſitque pecuniam pro phialæ vſu retribui. Villicus iniuriam ſibi ratus, quòd pro re minima vſuram ab honeſtis viris velle crederetur, pecuniam cum execratione repulit, iureiurando affirmans ſe nihil accepturum. At indignantem acceſſit Thuribius, &, nè Dei nomen in vanum vſurpet, humilitèr rogat; nec exiſtimet commodati pretium, ob vllam hoſpitalitatis ipſius dubitationem oblatam eſſe, ſed, vt ſuæ ipſius Archiepiſcopi conſcientiæ ſatisfiat, cui nimirum viſitanti Diœceſim, nihil commodi gratis accipere liceat, quod legibus conſtitutum non ſit. Nèc deſtitit, dùm ruſticus oblatum nummum accepit.

Si quando domui eius, eſculentum quoduis munuſculum illatum ſciret, etiam extrà tempus viſitationis, per octo indè dies nihil illius generis ad menſam admittere volebat, nè muneris ſpeciem, aut ſuſpicionem haberet: in ea re tàm cautus, quàm Tob. 2. S. Tobias in reſtituendo hædo, ne fortè furtiuus eſſet: vt qui perpetuam Beati Præſulis conſuetudinem habuerant, ſanctè affirment, ipſum, ex quo primùm, Granatæ Cenſoris fidei munus iniuit, vſque ad extremum vitæ halitum, nec vnum po-

mum

mum quidem, aut aliud quidquam quod gratuiti muneris speciem haberet, gratis acceptasse.

Nèc ab ijs tantùm cauebat irreprehensibilis, integerrimusque Præsul Mogrouejus, quæ Theologi nostri munera manus vocant, sed ab ijs etiam æquè religiosè, quæ linguæ, & obsequij. Nam, vt vel præstiti, vel præstandi sibi, suisue obsequij, vel vllius quantumuis potentis viri, aut sibi alioquin vel sanguine iuncti precibus, aut officiosa commendatione, Sacramentum, Ecclesiasticum beneficium, vel Ecclesiastici iuris dicundi potestatem, Notarij, vel Fiscalis Officium, aut vllam rem sacram alicui, præter iustitiam, & merita personæ, qualitatesque iuri consentaneas, conferret; vel simoniæ, vel sacrilegio, vel personarum acceptionis crimini tribuebat, non minùs, quàm si eadem pecunia vendidisset.

CAPVT XXX.

Ordines, & Ecclesiastica beneficia conferendi, aliaque mitræ munia exercendi ratio.

ORdinis, & Confirmationis Sacramenta celebraturus, initiandorum quemlibet interrogabat primùm, cuias esset? cùmque suæ Diœcesis non esse sciret, ad proprios Episcopos eos remittebat, nè falcem in alienam messem mittere sibi videretur &, vt ipsis Episcopis, idem inter se fa-

ciendi,& Concil. Trid. Decreta religiosè obseruandi exemplum præberet. Cùm suos esse cognosceret, per omnes iuris,& Romani Pontificalis regulas, absque vllo humano respectu, cunctos districtè examinabat, & pro iuniorum ordinandorum in litteris profectu, & vlteriùs proficiendi spe, disquirenda, ipse libellum è sinu porrigebat, vndè eos latinè legere, lectaque vernacula reddere iubebat, magnaque mansuetudine, & patientia, errantes, vel in minimis ad omissa redire, erroremque dediscere faciebat. Qui ritè dispositi, idoneique videbantur, animabat, & admittebat quidem; sed duos gradus, etiam ex minoribus, eidem vno die non conferebat, sed singulos singulis Dominicis, aut festiuis diebus: allegans, seipsum, quamuis ætate maturum, & electum, Archiepiscopum, non ausum fuisse, quatuor minores ab Archiepiscopo Granatensi eodem die sibi oblatos simul suscipere, nè sacri Canones absque iusta causa violarentur: propterea nihil se alijs in hac re facere,quod sibi fieri non vellet.

Maiorum autem Ordinum interstitia per Sacros Canones constituta, non absque graui causa, rigidè discussa, vnquàm relaxare voluit: præterquàm regularis vitæ professoribus, cùm eorum legitimi superiores per dimissoriales litteras id ipsum rogabant, quòd sciret eos ferè quotidiè susceptorum Ordinum actiones exercere, reliquaque media doctrinæ, & pietatis profectus, quem Sacri Canones

re-

requirunt, in cœnobijs, & ſeniorum conuictu frequentiora habere. Cæterùm in huius Sacramenti collatione tantus erat exactor eorum, quæ Eccleſiaſtica regula præſcribit, vt nulla vis potentiorum interpellantium, nullum vinculum amicitiæ, vel conſanguinitatis, nulla tàm feruens commendatio ſufficeret, ad ipſius religionem, conſtantiamque labefactandam, in ijs quæ per canones, rectam rationem, vel Summorum Pontificum reſcripta ſibi non licere cenſebat: nimirùm per antiquam, vbique vtilem, & irrefragabilem ſuam regulam omnibus ſuauiſſimè ſatisfaciens; nempè factum iri, quidquid cum conſcientiarum ſecuritate, diuinique cultus dignitate conueniat. Quis enim vltrà hos terminos cum honeſtate poſtulare poſſet.

Teſtis ocularis in hoc genere profert exemplum duorum, qui adeò cæteroquìn conſpicui fuerunt, vt ille nominibus eorum, honoris cauendi cauſa, ſe peperciſſe dicat. Illos enim Thuribius, quanquàm aliunde idoneos; quòd tamen moribus ſolutiores haberentur, ſacerdotali dignitate nunquàm cohoneſtare voluit, nè malis ipſorum exemplis dignitas ipſa dehoneſtaretur. Et verò nonnunquàm Ordines etiam dignis conferre differebat, vt eorum importunitatem effugeret, qui pro minus dignis poſtulabant; quo & conſcientiæ ſuæ, & indignorum honori iuxtà conſulebat, & honeſta excuſatione auertebat indiſcretas iniuſtaſque interpellantium rogationes.

Erat

Erat in Beato viro iudicium perſpicaciſſimum ac donum diſcretionis ſpirituum, per quod hominum ingenia, meritaque diſcernebat: quod ipſi in diſtribuendis ſacerdotalibus beneficijs, & ſuæ curię officijs, familiarumque munijs vtiliſſimum fuit: quoque feliciter ſucceſſit, vt optimos quoſque in illis collocaſſet, non ſpiritualia tantum, ſed ipſa quoque temporalia abſque omni ſuo lucro, vel animi mundana ſatisfactione gratis conferendo: additis etiam iuſtis emolumentis, per quæ ipſi vitam, & cuiuſque ſtatum tàm honeſtè tolerarent, vt nemini, prætèr ius, & fas, graues eſſe cogerentur, vel ſe in hoc excuſare poſſent. Sola merita perſonarum, &, ad præſtanda officij cuiuſque munera, idoneitatem, integritatemque reſpiciebat: ætatem, doctrinam, prudentiam, pietatem, fidem, eamque morum compoſitionem ad regendum requirebat, qua cæteris exemplo præire poſſent. Omniaque hæc, ſumma ſolertia, priùs diſcutiebat, quam quemquam elegiſſet. Nèc, his qualitatibus ritè cognitis, per vllos modos, aut media diuerti poterat, quin optimos minùs bonis anteponeret. Et ſanè illi, quos toto tempore ſui Pontificatus adhibuit, eiuſmodi fuerunt, vt communi omnium æſtimatione, & applauſu, illis partibus conſpicui, tantoque Præſule digniſſimi adminiſtri haberentur, & maioribus muneribus idonei: & reipſa plerique vel Epiſcopalibus infulis, vel ſupparibus honeſtatibus donati fuerunt.

Quos

Quos ad Sacramentorum, doctrinęque, & animarum curæ ministeria sumebat, non secreta tantum inquisitione, sed publica quoque probatione, per concursum, & oppositionem, præsentibus, regidèque discutientibus & diiudicantibus doctissimis, probatissimisque viris, cognoscere voluit. Et nè meliores, qui plerumquè per modestiam, qua pollent, nihil impertinentiùs ambire solent, hac ipsa causa laterent, vel ambitiosi homines loca bonis debita surriperent, minaci decreto synodi, Vicarijs foraneis præcipit, vt sui cuiusque districtus, Clericorum bonæ vitæ, famæ, & litteraturæ notitiam, per singulos annos ad ipsum secretò mittant: vt & aliorum qui publicis præsertim peccatis, & scandalis indulgerent.

Cùm in aliquo bonitas & disciplina, cum scientia mediocri; in alio verò scientia sine ijs dotibus præstaret, bonum, disciplinatumque docto, dissoluto præferebat; affirmans, vt quemadmodum scientia sinè disciplina præstans, malo suo exemplo, quidquid docet, destruit: sic boni viri, etsi minùs eruditi, bonum exemplum, & piam sedulitatem, tanto ampliùs ad ædificationem valere, quantùm præstant scientiæ, pietas, & præceptis exempla, morumque innocentia, & bonitas, ad obtinendum sibi, subiectoque populo auxilia diuina, & fructus spiritus. Nam inflata, garrulaque doctrina, vt semen in aridam petram proiectum arescit,

si pie-

ſi pietatis rore non irrigatur; pietas autem ad omnia vtilis eſt. Eaque fuit ſententia Thuribij.

Quanquàm autem à conferendis ſacris Ordinibus, ideò quandoque abſtinebat, quòd, non niſi doctrina, morumque maturitate probatiſſimis viris eos conferri debere cenſeret, In alijs tamen Pontificalis mitræ functionibus, pro omni occaſione frequentiſſimus, & ſedulus erat, tùm ob Eccleſiarum & populi neceſſitates, tùm vt Indi paritèr, & Hiſpani ſacris, & miſticis Eccleſiæ Romanæ ritibus aſſueſcerent, in eorumque maieſtate, pijſſimiſque ſenſibus ædificarentur: quos ipſe; quoties operandum fuit, graui ſermone, & vtriuſque gentis idiomate vernaculo, explicabat, & ſtatìm oculis exhibebat. Exhibebat autem tanta reuerentia, & pietate attentionis, tanta modeſtia & grauitate actionis, tanto feruore deuotionis, ac diligentiæ, vt alij eum in hoc opere alijſque muneribus Pontificijs S. Petro Apoſtolo, alij S. Ambroſio, alijque ſanctiſſimo huius in Eccleſia Mediolanenſi ſucceſſori, Carolo Boromeo comparare non vererentur.

Quanquam enìm Thuribius in communi conuerſatione vrbanus, comis, & humillimus eſſet; Pontificalibus tamen inſignibus ornatus, ſiuè in eiuſdem dignitatis proprijs actionibus, ſiue diuinis officijs in choro, vel ſacris ſupplicationibus in foro occupatus, authoritatē ſuam magna grauitate apud homines, miraque apud Deum̄ animi ſummiſſio-

ne;

ne; ſpectata modeſtia, membrorumque compoſitione, & omnium actionum, geſtuumque diſciplina ſuſtinebat. Nihil, turgidum aut inane, nihil elatum aut vile, temerarium & leue nihil in ſacra pompa præ ſe ferebat. Indè factum, vt ſpectatores, ijque graues viri dicere ſolerent, ſe nunquàm vidiſſe Pontificem, qui tùm dignitatem ſuam, tùm ſanctitatem rituum pleniùs, pulchriùſque repreſentaret: aut ijs etiam, qui eius verba vel non audirent, vel non intelligerent, per mutam ipſam actionem efficaciùs prędicaret, & aſpicientium animos ad attentionem attraheret, & præcordia ad pietatem commoueret.

Cùmque non raro eueniat, vt, vel ſeſe comprimentis populi tumultus, clamoreſque, etiam ſacrorum miniſtros diſtrahant; vel ſimplicium rudibus reſponſis, aut ſiniſtris actionibus ad riſum concitentur: Thuribius tamen, nec oculos ab ijs quæ agebat, nec aures ad rumores arrigere, nec vllo quantumlibet ridiculo verbo, vel facto moueri, vel iocoſum, aut vanum verbum proferre, multo minùs inter ſacra ridere, vel indignari viſus eſt; tanquàm in Deum totus abſorptus nihil eorum, quæ fiebant, vel vidiſſet, vel audiſſet: ſed ſolum Deum præ oculis habere, ſacræ actionis perfectioni intendere, & eius myſteria profundè meditari. Simplicium, & rudium, qui accedebant, errorum correctionem, & directionem ignorantiæ, probatiſſimis quos adhibebat miniſtris relinquere: qui & ipſi Sancti Antiſtitis pia ſeueritate coërciti,

ad parem ſacrorum reuerentiam componebantur.

In ritualibus Eccleſiæ Romanæ libris, Miſſali, Breuiario, & Pontificali, præſertim a B. Pio V. Pont. tunc recentèr euulgatis, adeò verſatus erat, vt nihil vnquàm eorum, quæ præſcribunt, verbo, vel actione tranſgredi, vel omittere, aut in aliquo ceſpitare viſus ſit Eorumque ſedulam obſeruantiam à Clericis omnibus diſtrictè requirebat, omni veteri abuſu, & antiqua conſuetudine prorſùs eliminata.

CAPVT XXXI.

Alij Pontificij labores, abſque vllo temporali emolumento.

HAc ratione Sanctus noſter Archiepiſcopus Mogrouejus Pontificalia munia, per totam ſuam, tunc ampliſſimam Diœceſim, inter tot itinerum, aliorumque laborum, & periculorum incommoda, inceſſantèr, indefeſsèque exercebat. Præter numeroſam vtriuſque Cleri Sacerdotum, Clericorumque multitudinem, quatuor Pontifices conſecrauit, Alphonſum à Bonilla Mexiconorum Archiepiſcopum; Bartolomeum Martinezium Epiſcopum Panamenſem, poſteà S. Fidei noui regni Granatenſis Metropolitam: Ioannem à Rocca Epiſcopum Popayanum: & Fr. Reginaldum à Liſ-

Liſſaraga, Ecclesiæ Imperialis in Regno Chilenſi Epiſcopum. Multas etiam Eccleſias, & ſacella: ſed nominatim (quarum conſecrationi author noſter interfuit) parochiales oppidorum Aturgaij, Sancti Ludouici Macatenſis, Sanctanenſem, Pallaſcanam, & Pampoſenſem apud Choncuchos. Præterea portatiles aras numero ſexies mille maiori, ſacra vaſa, veſtimenta, campanæ, cruces, imagines, aliaque Eccleſiarum ornamenta, & omnigena ſacra ſupellex ab ipſo benedicta, ſic ſuperauit numerum, vt nemo illum inierit. Sacrum oleum, & chriſma conſecrare quotannis, in vrbe, vel ruri nunquàm omiſit, præterquàm eo die cœnæ Domini, quo ſacrandus ipſe ad cœlitum ſedes, corpore mortalibus relicto, euectus eſt. Mortis tamen diù antè præſcius, illius diei ſacras functiones Quitenſi Epiſcopo commendauit.

Sed ipſe Archiepiſcopus, quoties id conſecrabat, reliquas Sanctiſſimæ diei cæremonias non ommittebat. Diuinis Officijs in templo ſumma cura, & pietate intereſſe, ſummum ſacrum ipſe cantare; Sanctiſſimum Corpus Chriſti Romano ritu, Sacerdotibus ad cuſtodiam, & cultum adhibitis, populorum venerationi in ſepulchro, ſeu ara ad id ornata deponere, excubare ipſe, duodecim pauperibus tot indumenta donare, lautam menſam apponere, & ipſe ieiunus humilitèr ipſis miniſtrare. In templo deindè ſuper eodem tabulato, in quo Chriſma confecerat, ſingulorum pedes flexis coràm ge-

nibus abluere, & tanquàm Christi membra suauitèr osculari, manusque argenteis, vel aureis muneribus ditare. Hoc verò humilitatis charitatisque exercitium pręueniebat per se, vel per alium, qui eius arcana mysteria, Christi exemplo illustria, pro concione explicabat. Ea denique cuncta obseruabat, quæ priùs in Ecclesiæ Limensis Regula consueta, huius diei solemnitati præscripsit.

Omnium huiusmodi functionum Thuribio frequentissima, & penè perpetua fuit, ministratio Sacramenti Confirmationis, antè ipsum in Peruuia adeò neglecta, vt non rari reperirentur decrepiti senes iam olim baptizati, qui Sacramento Chrismatis nunquàm in fide confirmati fuerunt. Pro varijs temporum differentijs, alij pauciora, alij plura centena millia baptizatorum Sacro Chrismate per Thuribium inunctorum fuisse referunt. Ipse sanè ad Rom. Pontificem scribens, plures quàm sexcenta millia numerat: sed hoc multis annis antequam obierit, vt non sine causa & ratione, alij octingenta millia: certe Gabriel de Zarate, vir Illustris, ordinis Prædicatorum, Episcopus Guamanganus, in actis Canonizationis Mogroueji interrogatus, censuerit numerum à Thuribio Archiepiscopo per manus impositionem confirmatorum, facilè superasse decies centena millia, seu vnum, vt vocant, millionem. Et Doctor Ioannes Lopez Bejaranus, eum numerum superasse affirmat; eaque ratione confirmat, quòd in solis illis regionibus à Thuribio

lus-

luſtratis, quas nullus Epiſcopus ante ipſum viderat, fuerint vno millione plures Indi, quorum neminem non vnctum ſacro Chriſmate reliquerat.

In eo numero eminentem locum adepta eſt, corporis, & animę candore liliata Roſa illa Limenſis, cuius pudicitiæ candorem, & purpureas ſpinas, præuidens Mogrouejus, Roſæ nomen illi impoſuit, de quo quiſpiam cecinit.

Litem auia, & mater renouant, qui virgo vocetur:
Thuribius ſcindit: iure puella Roſa eſt.

Conferendi autem hoc Sacramentum ratio fuit, vt primùm in tanta initiandorum multitudine non permiſerit, vt vnus patrinus vltrà quinque confirmandos ad Sacramentum leuaret; iſque ſingulorum capita manu fortiter premeret, fortaſſis, vt meliùs recordarentur. Cætera verò omnia ad Romani Pontificalis amuſsìm perficiebat.

Inaudiuit Indorum aliquos, quòd olim vederint miniſtros cuiuſdam Epiſcopi, ſtrophiola, ſeu faſcias, quibus vnctorum frontes obligantur, & cereas candelas ab initiandis exigere, eaque, re ſacra peracta, ad ſeipſos colligere, à Sacramento ſuſcipiendo propterea deterreri: nè ſcilicèt inopes ipſi talia ſibi comparare cogerentur. Quapropter Beatus Thuribius, quemadmodum priùs in prouinciali ſynodo decreuit, vt Epiſcopi ipſi confirmandis Indis, cereos, & lintea miniſtrarent, hoc decre-

decretum, quocumque ipſe confirmatum veniebat, voce præconis publicari curabat: & circumferebat magnum cereorum pondus, & candidæ telæ multas menſuras; ijſque conſumptis, tantundem Lima toties, quoties adſciſcebat.

Si quis Indus faſciam, vel candelam adferret; ea domum iterùm referre iubebatur. Quæ verò ab Hiſpanis dabantur, ipſorum priùs petita venia, vel Indis donabat Archiepiſcopus, vel relinquebat templis, in quibus actio ſacra celebrabatur. His largitionibus, & expenſis comparatarum, contributarumque candelarum, ac telæ aliquot millia pondo deciderunt compendio Thuribij: & in quibus alij quandoque ditantur, ille depauperabatur: Eoque aliquandò deductus eſt, vt dum Limana prouiſio tempeſtiuè non adueniret, multos eadem candela confirmari oportuerit, & eius ſacellani viſi ſint faſcias ad fluuium lauare, vt pluribus confirmandis per vices ſuppeterent. Id tamen maluit zelantiſſimus Antiſtes, quàm vt vnus Indus Sacramento careret, vel, vt in Sacramenti miniſterio, etiam puſilli, aliqua lucri ſpecie ſcandalizari poſſent.

Immò verò cum Indi, ſeu Hiſpani in vlla Pontificali actione quidquam, vel pecuniæ, vel alterius rei, etiam honoris, & humanitatis nomine offerrent, ille nunquàm acceptauit: quin potiùs, cùm aliqui vel ignorantia moris ipſius, vel affectu amoris, & reuerentiæ, aliquantum in offerendo im-

por-

portuni viderentur; edicto publico vetuit; ne quis sibi ampliùs in ijs functionibus audeat, quidquam offerre. Et quidem ab Episcopis, quos consecrauit, tantum abfuit, vt acciperet dona, vt nè prandere quidem cum ipsorum vllo, etiam in domibus religiosis voluerit, prætèr vnum, cui instantissimè oranti respondit, se consensurum, modo domi suæ in Archiepiscopali palatio Episcopus prandere vellet; quo ad ipsum amplius honorandum, Thuribius etiàm Cathedralis Ecclesiæ Canonicos tùm ad mensam conuocauit, & suis proprijs sumptibus lautè excepit. Nèc aliam, vel dati, vel accepti publici conuiuij mentionem in tota ipsius vita reperio.

Vt ad Confirmationem redeamus, in eo opere adeò deuotus, diligensque fuit, vt aliquandò è templo domum tanquàm pransurus reuertens, in cubiculum, vt aliud acturus, secederet, ac dùm cæteri pranderent, nè ipse populum in crastinum detineret, vel non ieiunus à prandio, sacræ huic rei operaretur, ad Ecclesiam cum vno solo, reliquis inscijs, rediret, & vsque ad occasum solis, illis à prandio sequentibus, non raró continuaret ministerium. Cùmque nemo se ampliùs confirmàndum offerret, publicè, priuatimque inquirebat, nùm in tota paræcia quisquam initiandus superesset. Et si vel distantia loci, vel accedendi periculo, seu difficultate, vel morbo, vel alia quauis causa, quenquam impeditum resciret, etsi vel vnicus esset,

con-

contempta omni difficultate, & periculo, eum è vestigio, & ieiunus adibat, & examinatum, instructumque confirmabat. Cuius Pastoralis Beati viri solicitudinis, cùm multa iam exempla inter eius labores dederimus, reliquis supersedere visum, nè lectori tędium sui multitudine pariant.

CAPVT XXXII.

Beati Thuribij in Indos paterna charitas. Reddita illis quies, & christiana libertas.

QVo tempore Beatus Thuribius Limanum Pontificium adiuit, miserrima fuit Peruuianorum indigenarum conditio; eoque tùm deuenit malum, vt maxima pars Indorum varijs calamitatibus consumpta penitùs fuerit, & vix tertia circitèr gentis priùs infinitæ superesset, eaque eisdem calamitatibus afflictissima: Vnde fiebat, vt multi desertis pagis, oppidisque, &, quod lamentabiliùs, neglecta, quam olìm deuoto animo suscipiebant, religione Christiana, ad nemora, montes, & valles, confugerent, sparsimque in tugurijs, & specubus absconditi, belluinam propemodùm vitam viuentes, ad pristinæ superstitionis ritus, maiori securitate reuertebantur.

Alij tanquàm cæterorum speculatores, arreptis armis, fluminum ripas, inaccessas valles, & montium cacumina turmatim occupabant; prædis, &

ho-

homicidijs intenti. Nec religioſorum hominum quenquam, quantumuis ipſis venerabilem, dilectumque audire volebant, qui de reditu ad Sacramentorum, doctrinæuè vſum, aut cultiora loca, vel advenarum conſortium verba faceret. Adeò ingeneratum erat ipſorum animis propriæ vitæ tædium, & ex paucorum opprimentium iniquitate, odium vniuerſæ gentis, & Chriſtianæ religionis contemptus. Nam quòd neophiti eſſent, & parùm in arcana fidei doctrina verſati, cùm quod credebant non viderent, fortiùs eos mouebant quibus premebantur grauiùs. Vt non ſine cauſa Chriſtus Dominus noſter mali exempli ſcelus graui maledicto mulctaſſet, væ homini illi per quem ſcandalum venit.

Deſolabatur terra, nec vllus erat in remanentibus agrorum cultus, vel induſtriæ aut laboris fructus, qui in priuatorum, prauorumque hominum compendium, non inferretur. Iuſta Regum vectigalia, & Sacra Templorum iura, cultus terræ neglectu, & varijs inferiorum præfectorum dolis, & violentia defraudabantur. Et quod grauius eſt multigena in Deum ſcelera, ab afflictis pariter, & affligentibus patrabantur. Quæ, & regijs edictis, & Archiepiſcopi Thuribij conſtitutionibus, (etſi his moderatiùs) fuſiùs explicantur.

Frequentes enim, & graues de his malis querelæ, eæque perpetuæ ab initio expugnationis eorum regnorum deferebantur ad Romanum Pontificem,

& catholicos Reges per Seruos Dei, & salutis animarum Zelatores, quibus id, ipsorum Regum præceptis incumbebat. Atque Paulus III. Pontifiex anno 1537. per Apostolicam constitutionem, quam nos alibi descripsimus: & omnes successiuè Catholici Castellæ Reges perpetuis suis, & Peruuianorum Proregum edictis, ac Madritensis, Limanique regiorum Senatuum consultis damnabant, & grauissimarum pœnarum comminatione prohibebant excessus; vt miserorum conseruationi, quieti, & personarum, rerumque indemnitati, & christianæ libertati satis prospectum videretur.

Limæ limatæ pag. 338.

Nihilominus, vel bellici furoris iniuria, vel ministrorum, ad quos mandata mittebantur, negligentia, vel supprimentium, & opprimentium contumacia, nihil proficiebant edicta. Vt Philippus II. Rex in litteris ad Thuribium, amaro corde deplorat, & grauissimè queritur, datis Vlisiponæ 27. Martij 1582. non integro anno postquàm Archiepiscopus Limam intrauerat, obstricta ipsius candida conscientia, vt apud regios ministros quoslibet, quorum interesset malis prospicere, prouinciarum Rectores, & iustitiæ præfectos, quibus Rex eadem etiam tùm præceperat, suæ Maiestatis nomine, & authoritate, solicitè, instanterque ageret, & regia sua, & præcessorum Regum imperia, circa Indorum indemnitatem tutelamque, executionem, & integros effectus obtinerent: Seriò etiam iniungens, vt eandem regiam Maiestatem de profectu de-

defectuque; ea qua Thuribius pollebat animi sinceritate, zeloque, certiorem facere.

Verùm Beatus Thuribius, qui eo vel maximè Archiepiscopatum suscipere persuasus est, vt Indorum calamitates, pecunia sua, & Archiepiscopali authoritate subleuare posset, nullis eiusmodi stimulis opus habuit vltrà propriam pietatem, iustitiæ zelum, & pastoralem paternamque Indorum diligentiam, vt omnia afflictissimæ gentis conseruationi & solatio necessaria, & opportuna prouideret. Nèc postremus visitationum eius fructus, aut cura fuit, vt ipsorum conditionem perdisceret, proprijsque cerneret oculis, & auribus exciperet, eorumque, vt ipse loquitur, spiritualibus, corporalibus, ac temporalibus damnis efficacia remedia poneret. Sed malorum authores excusabant seipsos, quòd Indi Barbari, atque adeò non tantum ciuilis disciplinæ, sed & christianæ doctrinæ inepti, & incapaces essent, ac propterea, non vt liberos homines, sed vt mancipia, & ferè tanquam iumenta tractari deberent.

Poterat hoc equidem error intellectus esse: & inde, saltem ab initio, prouenire; quod alteri alteros, nec lingua, nec moribus caperent; atque adeò, quod Paulus Apostolus aduertit: si nesciero virtutem vocis, Ero, & cui loquor, Barbarus, & 1.Cor.14.
qui loquitur, mihi, barbarus. Nèc est quod animorum auersionem prouocet magis, quàm disparitas morum. At huic excusationi fortiter obstitit,

tùm *Pauli* Pontificis declaratoria, & præceptoria constitutio, tùm Regum, Senatuumque decreta, tùm rerum magistra, impalliabilis experientia, per quam constabat, Indos etiam infimi ordinis, & capescendo doctrinam, & quam non priùs audiuerant, linguam, ingeniosos esse, & manuum artibus elegantes, & in omnibus, quæ oppressores imperabant, operibus accuratos; testimonium etiam perhibentibus, & perpetuo patrocinio clamantibus religiosis viris, qui & pueros in scholis, & prouectos in templis exercebant; nec vllam esse ciuilem disciplinam, quam instructione, & vsu non assequerentur; Si quietè, ciuiliterque viuere permissum esset.

Hæc solerti inquisitione altiùs fodiens, palàm detexit Archiepiscopus Mogrouejus & certùm hic reperit, quod scriptum est, & Paulus Pontifex verbo tetigit; quia radix omnium malorum est cupiditas, seu sacra illa, vt poetæ placuit, aut veriùs execrabilis auri fames. Hæc enim lapis offensionis, & petra scandali fuit: dum Indorum proximi dominatores aliqui, non facultates tantum subditorum, sed & laborem omnem, omnemque industriam, & ipsa corpora in sua lucra converterent, absque vlla cura, quin potiùs cum patenti impedimento salutis animarum, & enormi damno sacræ, ciuilisque republicæ. Hinc enim exacerbati Indorum animi, & inter vtramque gentem contemptus, mutuum odium, & abominatio: dum Indi ex moribus

1. Tim. 6.

ribus paucorum, quos solos nouerant, vniuersum aduenarum nomen iudicarent, & christianam religionem despicerent, quæ, vt ipsi falsò conceperant, tales mores per mittebat.

In his verò maximè deprehensi sunt pauci quidam eorum, quos commendatores Indorum vocant. Sed inter presbiteros, etiam non defuerunt aliqui, qui in eiusmodi miserandorum oppressione cum seculi hominibus concertabant: Cuncta, tùm in Hispania, tùm Limæ Thuribius inaudiebat; præsertim in visitatione Diœcesis, vbi solertèr inuestigabat, certioribusque documentis, & clara rerum experientia, percalluit vniuersa. Et, qua pollebat prudentia, & animi moderatione, conseruabat omnia in corde suo, & remedia sedulò meditabatur. Sed ne ex animi impetu quidquam innouare videretur, quo magis irritantur transgressores, quàm emandantur excessus; cùm reperisset clericorum, aliorumque auaritiam, in propriorum agrorum, & vinearum cultu, in alendis, augendisque armentis, & gregibus, vel onerarijs iumentis: &, quod in clericis turpiùs videbatur, in mecanicarum artium lucratiuis opificijs, & negotiationibus exerceri: in quibus Indos magis, quàm in animarum cura angariabant: vt a clericis initium sumeret voluit, vt ijdem ipsi malorum authores, sui ipsorum iudices, & aduersarum legum latores essent, vt quas ipsi constituerent, nulla iusta ratione deinceps reprehendere possent.

Per-

Perspiciens ergo prudentissimus præsul Thuribius, omnem operam, industriamque perditam iri, si securis ad hanc radicem non apponeretur. Cùm per decem tùm menses, et excepisset quærelas, et remedium animo concepisset, coacta prima diœcesana Synodo, in Vrbe Lima, decima die Mensis Martij anno 1582. decimo septimo die, priusquam Philippi Regis litteræ scriptæ fuissent, inter alia, quæ pro cultu diuino, pro reformatione cleri, et fidei propagatione constituit; etiam pro Indorum quiete et libertate decreuit, præcepitque communi Synodalium omnium voluntate; vt clerici, qui in Indorum doctrinis fuerint, prædia, mercimonia, aut negotiationes, siue in vineis, siue in segetibus, vel armentis, aut alijs rebus, nec per se nec per interpositas personas exerceant, sub pæna amissionis, tàm fundi, quàm fructus: Neque clericus vllus, cuiuscumque qualitatis, vel conditionis fuerit, habeat artium opificia, sub pæna amissionis instrumentorum, et operum, pannique, et lanæ, quæ in eis opificinis reperirentur, vel quæ per possessorem venderentur, intra triennium ab ipso Archiepiscopo designandum. Itemque ne clericus quisquam Vrbis, aut agri, in sacris constitutus cuiuscumque status, vel conditionis existat, habeat AEthyopes, seu Nigros aut Nigras, ad lucrandum pecunias, sub pæna perdendi omne id, quod eiusmodi Nigri lucraturi erant, et insuper quinquaginta argenteos, quos pesos vacant, pro quo-

quolibet Nigro, vel Nigra, quos ad id genus lucri habuerit.

Quinto mense post hanc Synodum, coire cæpit primum concilium prouinciale Limanum. Et quia Thuribius didicit, non in sua tantum Archidiœcesi, sed in suffraganeis etiam serpere hæc mala; remedium in sua diœcesi iam positum, patribus in concilio proposuit: atque adeò cunctis placuit, ac necessarium omnino visum est; vt vltra temporales pœnas, etiam excummunicationis sententiam ipso facto incurrendam, transgressuris, per vniuersam prouinciam, clericis adiunxerint: & quæstus ipsius actus, & modos singulariùs expresserint: statuentes insuper, vt, si clericorum quispiam, percutiendo, maledicendo, aut aliàs, quoquomodo, Indum aliquem læderet, is seueræ inquisitioni, & vindictæ subiaceat. Clericos perinde proprij saltem districtus, pluribus diœcesanarum Synodorum decretis, eo demùm adduxit Beatus Thuribius, vt nec animalia alere possent vltra certum numerum, qui necessariæ ipsorum equitationi, & carnibus propriæ mensæ suppeditandis sufficere videbatur; nec vllam prorsus mercaturam, vel negotiationem cum Indis, vel cum alijs etiam per Indos tractarent. Et si quid ab eis emere necessum foret, iustum, integrumque pretium illicò persoluerent.

Sed quoniam longè grauiora, & perpetua detrimenta, innocenti, & imbecillo indorum populo, ab oppidorum præfectis inferebantur; quæ etiam

ani-

animarum saluti, & catholicæ fidei progressibus, eo perniciosiùs afficiebant, quo illis tanquam iustitiæ ministris, & potestatem habentibus nemo resistere non timebat. Prouinciæ sacri præsules, in consilio prouinciali Limano in Spiritu Sancto congregati, graui imprimis & pia hortatione, Indorum mansuetudinem, perpetuum seruiendi laborem, naturalem obedientiam, & subiectionem adeò commendarunt, vt quosuis homines quantumuis feros mouere iure possit; vt eos defendendos potiùs arbitrarentur, quàm improborum prædam esse paterentur, ac propterea orant in Christo, & admonuerunt omnes Magistratus, & Principes, vt ijs benignos se præbeant; Suorum ministrorum, cùm opus esset, insolentiam refrænent, Indosque catholicæ Maiestatis fidei commissos, & subditos, liberos certè non seruos agnoscant.

Quia tamen Thuribius eiusmodi monita, vel minùs curari, vel à ministris non obseruari cerneret, eosdem per alia diœcesanarum Synodorum decreta, nouis hortatibus iustisque minis compescuit, & excessuum iudices, vindicesque constituit, in locis ipsis vbique præsentes, Vicarios suos foraneos, iudicesque ecclesiasticos, & populorum parochos, delegata illis, & eorum singulis, omni potestate sua, ad procedendum ex iuris norma, & omni rigore, contra seculares transgressores, vsq; ad censuras Ecclesiasticas, earumque incursus legitimam declarationem, reseruata sibi deinceps earum

abso-

absolutione. Eisdem vicarijs, iudicibus, & parochis in virtute obedientiæ, & sub pœna pecuniaria, & officiorum, parochiarumq; priuationis, præcipiendo, vt omnia seriò, & fideliter exequantur. Nè verò hi ipsi vlla ratione negligentes forent, præcepit etiam suis per diœcesim visitatoribus, vt peculiarem curam gerant eos in hoc onerandi. Quod & ipse in perpetuis fermè visitationibus discurrens indispensabilitèr faciebat.

Hoc ergo nunquàm satis laudato Thuribij Archiepiscopi studio, Sanctissimoque inuento, & efficacissimo, vnicèque necessario malorum remedio factum est, vt hydra illa auaritiæ, in sacræ pariter, & ciuilis reipublicæ exterminium nata, vnico hoc ictu, in imo collo percussa, omnia simul capita decussisset. Et quantum ad clerum attinet omninò perierit: & quoad seculares, illa saltem Indorum scandala, & ingentia vtriusque reipublicæ detrimenta sublata sint. Legumque Thuribianarum acri, & instantissima executione, transgressores ad frugem reducti, & pauci, qui supererant Indi, tàm profugorum reductione, quàm dispersorum adductione, & quieta ciuilique prolium educatione multiplicati sint: quo & oppida plura, & frequentior vberrimæ glebæ cultus, & ciuilium artium omniũ vsus maior; vnde clericorum census in immensum creuerunt, per honesta, & legitima lucra, vltra id, quod isti, turpi et intolerando auaritiæ questu ante percipiebant, cum summa Dei et hominum offen-

KK sione.

sione. Et vatinianum Indorum odium in Hispanicum & Christianum omne nomen, in iucundam familiaritatem, ciuile commercium, fraternam charitatem & amicitiam; & abominatio, in mutuum solatium conuersa sint. Ac demùm quod caput est libero doctrinæ, & Sacramentorum vsu, diuinarumque, & humanarum legum obseruantia, ex Indis & Hispanis factum est vnum ouile sub vno Thuribio, & successore quocumque Præsule pastore, & sub vno Rege populus vnus, vtriusque deinceps timore, & amore filiali affectus.

CAPVT XXXIII.

Aliæ Indorum amotæ molestiæ. Alia eisdem collata beneficia.

INter Indorum grauamina, alijs non minùs molestum fuit, quòd cùm illi pro sua pietate, ex ipsa rerum penuria, quam patiebantur, liberas pecuniarum collectas facerent, & alia bona sua, vel dono, vel testamento tribuerent; vt ipsorum ecclesijs, sacellis, xenodochijs, alijsque pijs operibus, & pauperum Indorum subsidijs inseruirent: dùm tamen hæc in potentiorum, seu generalium depositariorum manus venissent, isti tùm ea, tùm communitatum aliorum Indorum census detinentes in propria lucra conuerterent, negato cuilibet, cùm summæ principalis, tùm fructuum inde proue-

uenientium omni ratiocinio, quod propria potentia iniustè sibi vindicabant. Verùm Beatus Thuribius, qui nihil sui muneris negligebat, & omnia eius officia sic prestabat, vt singulis singularitèr intentus videretur, inuestigabat, inquirebatq; singula, eaque præcipuè, quæ ad ecclesiarum iura, Indorumque libertatem, & solamina conferebant, singulisque meditabatur, & constituebat optima & amplissima remedia. Vt huic ergo, grandi sanè malo mederetur, Synodali decreto cauit; vt ipsius per prouinciam visitatores, iuxta Sacri Concilij Tridentini Sancita, cunctorum rationes exigerent, compellerentque reddi: atque, vt res ipsæ & pecuniæ, & vtrarumque fructus omnes in eos vsus conuerti curarent, ad quos per donatores, & contribuentium liberas voluntates destinata fuerunt.

Erant etiàm presbiterorum aliqui, qui decedentium Indorum bona sibi vsurpabant, eo saltem pretextu, vt quintam eorum partem, pro defunctorum æterna requie distribuerent. Sed Sanctus Antistes, concilij, suaque authoritate declarauit, non ad Sacerdotes, sed ad ipsorum decedentium liberam dispositionem, vel ad hæredes ab intestato succedentes pertinere, quid, & quantum pro animarum suffragijs pendendum foret, decernere. Atque adeò districtè prohibuit, nè parochi, etiam eo pietatis obtentu, partem aliquam bonorum eiusmodi vsurpare sibi præsumant.

Id quoque seù lege, seù consuetudine inualuit,

vt Indorum perſonæ per deſtributiones, quas *mitas* vocant, ad ſeruiendum, pro tali, totve diebus, in obſequijs commendatariorum; vel ſecularium communitatum, aut, etiam ecclesiarum, aut cœnobiorum Hiſpanorum deſtinari deberent: quod ex veteri ipſorum Indorum inter ſe vſu dimanaſſe mecum fortaſſis opinabitur, qui ipſorum priſcos agriculturæ ritus apud Garcilaſſum legerit. At quoniam huiuſmodi mitarum conductores, vt Indos certa hora, locoque collectos, inuenirent, illas faciebant diebus horiſque doctrinæ, & feſtiuis, cùm Indorum populus è templis exibat; vel cùm eidem doctrinæ, diuiniſque officijs, & Miſſis intererant: quo fiebat, vt Indi ſibi cauentes, non ſolùm, non frequentarent Eccleſias; Sed non pauci etiam deſerta loca peterent, in quibus quandòque per vnum, aut plures annos, ſine ſacris morabantur, & moriebantur ſine Sacramentis.

Vigilantiſſimus eradicandis malorum cauſis Thuribius, vt tanto ſalutis animarum periculo prouideret, diſtrictè præcepit, ne eiuſmodi mitæ, ſeu perſonarum diſtributiones, in populi ad eccleſias concurſu, nec feſtiuis diebus vllatenus fierent. Sed et adeò perſpicax erat hic oculatiſſimus *Præſul*, in indagando modos reducendi in plenam et abſolutam fidelium ſubditorum libertatem, ſuæ gregis Indos, vt etiam ſancierit: nè doctrinarum parochi, vel magiſtri ſcholarum, Indorum filios, in ſuo ſeruitio, vel momentum detinerent; ſed finita doctri-

na,

na, seu lectione, domum illicò dimitterent; vt parentibus inseruire possent: præcipiens omnibus id genus paruulorum præfectis, vt potiùs ipsi inculcare studeant, eos diuino præcepto obstrictos esse, parentibus suis quemlibet, obedientiam, reuerentiam, et auxilium exhibere.

Nonnulli etiam AEthyopum, seu Nigrorum seruorum Domini, tùm contrahere matrimonia, tùm contractis vti, eisdem non permittebant. Alij vxores maritis auferebant, quòd alibi, quàm vbi mariti domicilium haberent, natæ fuissent; atque adeò in locis natalitijs habitare, et seruire deberent. Sed hæc fieri seuerè Thuribius prohibuit; quòd naturalis matrimonij lex, per humanæ potentiæ legem seruitutis abrogari non debeat; et multo magis inter liberos, cùm quos Deus coniunxit, homo separare non possit. Marc. 10.

His modis et medijs reddita Indorum populis, tanquàm fidelibus Catholicorum Regum subditis, Christique Redemptoris, ac suis Archiepiscopi ouibus, suæque curæ per Christum commissis, Christiana libertate, rerumque et personarum securitate restituta; Non repeto quæ ante dixi, quantis laboribus, et præsentibus vitæ periculis, ipse se obijciebat venenatis profugum telis, et acutissimis clauis, quos *machanas* vocant, vt ipsos ad derelicta loca reduceret, aliosque dispersos, in pagos et oppida colligeret; vt ciuile commercium, et hominum rerumque cultum inirent, maiorique suo, et

mi-

ministrorum commodo doctrinam & Sacramenta Saluti necessaria, in omni occasione præstò semper in promptu haberent. Nec dico, quanto studio, & solicitudine apud Reges, eorumque ministros agendum ipsi fuerit, vt omnia ad optatum exitum perducta, perpetua, firma, & inuiolata permanerent.

Nèc sanè mirum fuit, si Reges, vt iusti & catholici Principes, sanctissimis ipsius institutis, ipsis quoque vtilissimis fauissent, cùm efferatissimi Barbarorum animi ad ipsius conspectum emolirentur, & mitescerent; dùm corporeis oculis conspicerent Dei, & ipsorum charitate micantem eius vultum, tanquàm vultum Angeli stantis inter ipsos; seseque, sua arma, vxores, filios, & fortunas, ipsius arbitrio, et protectioni submitterent, committerentque certò agnitæ pastorali, et paternæ ipsius curæ, non alitèr, quàm Christo, quem imitabatur, Apostoli seipsos, cùm vel verbo vocabantur: Veni, sequere me. Erant enim hæc ipsius filij Dei, et Redemptoris nostri generis, opera; qui in Euangelio promisit sectatores suos facturos miracula, quæ ipse faciebat, et maiora horum facturos. Et verè Thuribius ita existimabat, qui nihil vnquàm suis, vel studijs, vel meritis attribuebat, Deum semper et iubentem, et perficientem præ oculis habens, et S. Augustini iacula in cælum vibrare solitus: Domine, iube quod vis, et da quod iubes.

Matth. 19.

Ioan. 14.

Ve-

Verùm cùm hæc omnia, & alia quæcumque ad genus pastoralis curæ, & vigilantiæ suæ Archiepiscopalis oneris debita reputaret, atque adeò ad conscientiam exonerandam omninò necessaria. Sed ardentissimæ ipsius charitati haudquaquàm sufficere visa sunt. Neque enim pastorali officio suo satisfactum existimabat, quòd oues a lupis defendisset, & ab omni aduerso incursu securos conseruasset, nisi corporibus animabusque pascendis prouideret. Considerans ergo, ad quantam egestatem Indiæ suæ meridionalis indigenæ redacti fuissent; vt ei malò mederetur, non modo fusissimis propriæ pecuniæ largitionibus, de quibus alibi nobis mox agendum erit, id effecit; Sed & parochos vniuersos obstrictos esse voluit, vt singulis diebus Dominicis, & festiuis pro pauperibus Indis, ipsorum curæ pastoralis, eleemosynas petant, & collectas eisdem distribuant; præsentibus ipsorum Indorum Caciquis & primarijs viris. Quod vt fidelitèr præstitum constaret; statuit etiam, vt acceptæ, & elargitæ pecuniæ, dies mensis, & annus, in peculiari libro ad id seruando fidelitèr describerentur, pœnam transgressoribus comminatus.

Hinc etiam iura sibi ipsi, alijsque Præsulibus, & Sacramentorum, iustitiæque ministris, ex diuinis legibus Ecclesiæque vniuersalis iusta consuetudine cæteroquì debita, vt qui altari deseruiunt, cum altari participent, & iuxta S. Pauli sententiam, qui seminant spiritualia, temporalia suæ sustentationis congrua

1. Cor. 9. grua metant, Indorum paupertati & fidei nondum firmæ condonauit. Etenìm cùm adhùc neophyti, in Dei atquè Ecclesiæ legibus rudes, ac debiles essent; nè minima eos suspicio, tanquàm paruulos, conturbaret, quòd eiusmodi sacra ministeria, temporalis lucri potiùs, quàm ipsorum æternæ salutis caussa præstarentur: Statuit imprimis per communem aliorum Antistitum, presbiterorumque consensum, vt in Sacramento Confirmationis Indis conferndo, nulla ratione quidquam pecuniæ, vel argenti ab eis petatur, aut vt offerant inducantur. Quin etiam, qui præ inopia, candelas, aut vngendorum capitum linea ligamina adferre non possent, ea ipsi ab Episcopis benignè conferantur: atque à presbiteris in matrimonio & baptismate celebrandis arrhæ, vela, capuciola; & si quid amplius eiusmodi. Quæ quàm seuerè seruauerit ipse Thuribius, quantaque rei suæ familiaris diminutione, iam ante fusiùs narrauimus.

Vniuersìm, deindè, per authoritatem Concilij suamque, sub quadruplici restitutionis mulcta, in ipsos Indos faciendæ interdixit, ne pro vllo Sacramentorum vsu, vel Sacramentalium administratione, neque pro sepulturæ cuiusuis apertione Sacerdotes ab eisdem Indis quidquam exigere, vel accipere possint: declarans, nullam consuetudinem contrariam, tanquàm laudabilem, allegari posse, quæ potiùs, inquit, abusus nuncupari debet, considerata, vt ego ex ipsis decretis colligo,

In-

Indorum conditione. Quæ tàm moderatè præscribunt, vt eos Indos excipiant, qui inter Hispanos, seu in Hispanorum Ciuitatibus, oppidisque habitant; quique in fide instructiores sunt, & Hispanorum vsum affectant: quibus proinde laudabiles eorum consuetudines, in sepulturis, & alijs sequi liberum relinquunt. Sed neque ad oblationes faciendas, in Missa, vel aliàs, Indos cogi, districtè prohibuit; quìn potiùs fieret, vt, si quis offerre vellet, intelligat, id quidem pium & meritorium esse, sed tamen prorsùs liberum, vel facere, vel non facere.

CAPVT XXXIV.

Alia multa Indorum solatio, & reipublicæ commodo constituta.

EXactiones ministrorum iustitiæ, Indorum gentis inopiæ graues esse perpendens, constituit primùm, vt Iudices & Notarij non accipiant ab Indis ea emolumenta, quæ ab alijs iure accipere solent, pro vlla re quam pro ipsis expediant, siue prouisiones sint, siue legum dispensationes, vel tituli, seu patentes litteræ fiscalium, aut aliud quodcumque, sub pœna duplicis, eisdem Indis refundendi, alijsque pœnis arbitrio ipsius Archiepiscopi reseruatis. Sed cùm istam constitutionem ab aliquibus parum attendi, certè non obseruari cogno-

nisset, eam iterùm renouauit, adiuncto præcepto, vt sine vlla excusatione, vel penarum remissione, vsque ad officiorum priuationem: visitatorum diligentiæ seriò commendans, ne transgressores tegantur silentio, vt pænæ re ipsa exigi, ac delinquentes amendari possent.

Quia verò ipsi etiam Indi, vt fragiles, & Christianis legibus non satis assueti, delinquere quandoque oportebat, ac proinde, vt rudes, & virtutis amore minus imbuti, pænarum saltem timore in obsequio legum contineri debebant: ne tamen impetuoso zelo in ipsos sæuiretur, vel ipsi, aut odio gentis, aut appetitu vindictæ, se plecti putarenr, Thuribius punitionibus modum posuit. Et primùm equidem: quoniam spiritualium pænarum, & Ecclesiasticæ censuræ vim, atque grauitatem nondum satis percipiebant, ne eo proniùs, aut minùs cautè irruerent in crimina ad forum Ecclesiasticum pertinentia, voluit omninò prudentissimus pastor, vt ea non spiritualibus, sed corporalibus pænis (quales animalis homo sensibiliùs percipit) castigarentur. Cùm, vt scitè loquitur, paterno magis affectu, quàm iudicij seueritate corrigendi sint, & spiritualis illa censura intentata, proficere parùm posset, nocere multùm.

Ipsas quoque corporales pænas per Sacerdotes, vel vllas personas Ecclesiasticas infligi prorsùs vetuit, vel cædi Indos, quantumuis delinquentes: sed id per Fiscales, aut alios deputatos ministros

fieri

fieri faciant. Nec præter vicarios, & Iudices Ecclesiasticos vllus parrochorum supplicium sumat de Indis sibi subiectis, nisi a diæcesano suo habeat præscriptam legem, quam in eiusmodi correctionibus seruare debeat: quamque, si excesserint, atque iræ suæ indulserint, Episcoporum, & visitatorum conscientias onerauit, vt huiusmodi excessum vindicent. *P*ost hæc autem, vt eas leges habeant parochi, iterùm declarauit aliquos idololatriæ, & aliorum criminum casus, in quibus parochi, modo ibidem præscripto, aduersus deprehensos procedere possint. Certas etiam pœnas vnicuique crimini indixit.

Visitatores demùm, & parochos obstrictos voluit, ad declarandum Indis cuncta, quæ in ipsorum fauorem, vel eatenus constituta fuerunt, vel inposterum constituerentur; vt Indi ipsi intelligant, Sancitum esse, vt in nulla re molestentur. Cauit æque vt ijdem parochi Archiepiscopum de harum legum neglectu, & obseruantia moneant; vt ipse Proregem, & cum opus esset, Regem etiam commonere posset, vt remedium integrum apponatur: super quæ, inquit, oneratur nostra conscientia, vt apparet ex schedula D.N. Regis.

Vt verò distantia illa conuersationis, & mutua vtriusque gentis animorum alienatio, quam linguarum, & morum diuersitas nutriebat, radicitùs extirpetur, & constituatur mutua charitas, christianum commercium, familiaris conuersatio, ad

omnem rempublicam conſeruandam imprimis neceſſaria; propria ſua, & Concilij Prouincialis authoritate eis ſeriò commendauit, vt Indicorum puerorum ſcholas per ſingulas parochias habere ſtudeant, quas ſi per ſe regere non poſſint, ſaltem per cunductos ad id magiſtros faciant quibus e communi ærario ſtipendia præberentur: qui ex catechiſmo in Concilio edito, legere doceant, eumque, & alios libellos, eiuſdem Concilij authoritate publicatos, pauperibus, ijſdem publicis expenſis procurent: cùm hoc in commune bonum ſanciturr. vtque eos legere, ſcribere, atque præcipuè, vt idiomahispanicum intelligere, et pronunciare conſueſcant, in eodemque Chriſtianam doctrinam recitare, & capere. Idque accuratè cauit, ne ſcholarum occaſione, vel parochi, vel præceptores, paruulorum ſeruitijs, vel opera ad ſuam vtilitatem abutantur, neuè pabulatum, lignatumue mittant. Sacerdotum in hac re conſcientias, etiam reſtitutionis ligamine obſtringens.

Quoniam autem Indorum plebem, ad hiſpanicam linguam addiſcendam cogere, durum, & impoſſibile videbatur; ſtatuit vt in Academia, & Eccleſia cathedrali Limenſi, ſeu Ciuitatis Regum Indicæ linguæ lector haberetur, & quicumque clericali ordine initiandi, & Sacerdotes in vrbe degentes, ad eam addiſcendam compellerentur, iuxta Concilij prouincialis decretum, & Regię Maieſtatis edictum; vt Indorum Sacerdotes ſciant admi-

niſtra-

nistrare Sacramenta, ac doctrinam, catechismum, & verbi Dei prędicationem exercere, officioque suo per omnia fungi valeant per linguam populis communem; iuris rigore aduersus negligentes obseruato.

Quod vero ad morum consonantiam attinet, non parochis tantum, sed omnibus etiam, ad quos Indorum cura spectat, enixè commendatum voluit, vt agrestibus illi suis, & ferinis moribus depositis, humanis & politicis assuescant: templa non sordidi, & incompositi, sed loti, pexi mundique frequentent, & feminę, iuxta Pauli Apostoli institutum, velatis capitibus: vt domi mensas cibo, lectos somno capiendo adhibeant. Atque, vt ipsorum domus non casas pecudum, sed hominum habitationes, ordine, munditia, decore pręferant: et quę cętera sunt alia huiusmodi. Quę sanè pro solita sua moderatione, inquit, non violento, et molesto imperio, sed paterna potiùs cura, et grauitate agantur.

Sed et vicissim, quoniam Indorum Nationem externis cęremonijs, ac diuini cultus splendore, ad summi Dei cognitionem, et venerationem, supra modum allici compertum est, Episcopis, et suo modo parochis constituit: vt quidquid ad diuinum cultum pertinet, diligenter, et quantum fieri posset, decorè, perageretur: cantores etiam, et instrumenta musica, in ijs locis adhiberent, in quibus ad Dei gloriam, et spirituale animarum iuuamen oppor-

por-

portunum existimarent. Vt demùm his moribus faciliùs inbuerentur Indi, et ciuilis eorum cohabitatio, et pręsens promptaque gubernatio, et auxilia vicinij, mutuęque charitatis, tùm inter se, tùm cum Hispanis stabilia firmaque perdurarent: imposuit parochis, ne vllatenus permitterent Indis, vt stationes, et oppida semel ipsis assignata vnquam ampliùs vel destruere, vel deserere: quin potiùs promouere habitationis loca, et in eisdem persistere compellerent; inuocato, cum opus esset, etiam brachij sęcularis auxilio; ad quod porrigendum, vt locorum pręfectos, etiam per censuras, aliaque iuris remedia cogere possent, suas vices, et omnem necessariam potestatem parochis commisit et concessit.

Aduertens etiam prudenter, quantum conciliet proni inter homines affectus nominum similitudo, sanciuit; vt Indi omnes Christiani, non gentilitatis suæ, sed quibus Christiani nostri assuescunt nominibus vocarentur, quanquam & aliæ causæ ad hoc ipsum commouissent. Perspiciens etiam opinionem illam Hispanorum, de Indorum barbarie, tantoperè nocuisse christianæ charitati, & vtriusque gentis in vnum ouile, vnumque populum coniunctioni; vt aliqui Sacerdotum alioquin boni, sed ea existimatione imbuti, præpostero zelo, omnibus catholicæ fidei professoribus communia Sacramenta Sacri viatici, & extremæ vnctionis Indis etiam appetentibus, tanquam stupidis,

&

& incapacibus denegarent: per quod ita concitati sunt illi, vt se vsque adeò contemni videntes, sui etiàm contemptorrs vicissim contemnerent, eosq; per quos non libertate solùm, cum temporalibus bonis, sed & natura quodammodo humana, & communi diuinæ gratiæ dono simul priuabantur, communibus quoque obsequijs, quousque poterant, & ipsa sui societate destituerent.

Thuribius ergo vigilantissimus vtrorumque pastor, vtriusque reipub. ex animo procurator, affectuosissimus Indorum pater, eorumque vtriusque boni zelantissimus, huiusmodi Sacerdotes non rarò acriter obiurgebat; vt inscitia linguæ inhabiles, vel pastoralis operis ignauia torpentes. Et quos tales comperiebat proprijs ipsorum sumptibus, ijs adiungebat alios linguæ peritiores, & opere strenuos; nec priùs amouebat, quàm illi ad frugem reuertebantur. Cunctos hortabatur, vt Indos, cùm natura, & fide, Sacramentorum capaces sint, frequenti & sedula instructione, doctrinà, & moribus capaciores redderent: hoc ipsorum officij esse, certòque sciant rationem à se districtò iudici, & hominum Redemptori reddendam esse. Christum Iesum non perfectos tantùm, sed infirmos etiàm, ac debiles, cæcos, & claudos ad suam cænam vocare: vt verò vestem nuptialem habeant, hoc est, vt moribus compti sint, & instructi doctrina; id animarum curatoribus commisisse, nec, si neglexerint, impunè permissurum. Luc. 14.

Sacer-

Sacerdotibus ergo per hæc & similia monita concitatis, Thuribius in suis Synodis sæpè grauiterque præcepit, nè Sacramenta cunctis fidelibus communia, credentibus etiam Indis subtraherent, vt qui eandem cum cæteris in Christo vitam viuerent, eodem Christi pane pascerentur: Sanis Medico opus non esse, sed malè habentibus, Christo vocante: venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos, præsertim in mortis periculo, vbi extrema necessitas est. *P*roindè, vt etiam publico supplicio plectendos, Christi exemplo, pridie, quàm paterentur Sacra communione reficerent, & cæteros saltem tempore paschali: ne Sacerdotes ipsi diuinorum, ecclesiæque præceptorum, & spiritualis detrimenti, suis ouibus illati, rei deprehendi possint, & luant.

Matth. 9.

Matth. 11.

CAPVT XXXV.

Beati Thuribij in egenos larga manus: & singularis elargiendi modus.

QVanquàm ex ijs, quæ per totam hanc historiam vitæ, & virtutum Beatissimi *P*ræsulis, Thuribij Alfonsi Mogroueji, & si non pro rei dignitate, vel tanti viri meritis, certè pro exiguitate facultatis nostræ narrauimus, satis demonstrata sit multiplex, magna, & heroica virtus, qua diuina bonitas, ipsum per omnem vitæ ætatem gradum-

que

que exornauit: ſed proprium locum, & ſingularem tractationem, ſupremo ſuo iure poſtulat charitas, quæ princeps eſt virtus, & vinculum chriſtianæ perfectionis: per quod cum Deo noſtræ conditionis vltimo fine, inſeparabili nexu, & ſempiterna coniunctione vnimur, & quodammodo Deificamur, vt filij Dei nominemur & ſimus. Cùm ex aduerſo, ſine ſola virtute charitatis, omnis noſter actus, omniſque affectus, quantumuis alioquìn rectus, & laude dignus, non vera virtus, vt ad animæ ſalutem, & æternæ felicitatis meritum eſſe oportet, ſed mera vanitas, & proprij ſenſus complacentia eſt: charitatem autem non habeam, nihil ſum, 1.Cor.13. nihil mihi prodeſt. Et vt ampliorem Apoſtoli ſententiam verbo complectar, quidquid fecerit, quidquid paſſus fuerit homo, oleum, quod aiunt, et operam perdit, ſi ob Dei amorem, et hominum propter Deum charitatem non agat, et patiatur. In his enìm duobus tota lex pendet, et prophetæ: Matth.22. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex omnibus viribus tuis, et proximum tuum ſicut te ipſum.

Vterque hic aureus amor, quàm ſincerus, et purus ab omni affectu proprij commodi, in candida Thuribij Mogroueji anima fuerit: quàm fortis, vt mors, in Deum, atque homines eius dilectio, manifeſtum faciunt ea, quæ ipſum pro Dei propaganda fide, veraque cognitione hominibus ingerenda, pro eius puro, feruentique cultu, et honore

amplificando, pro legum eius exacta custodia perpetrasse, pro animarum sibi commissarum salute, & corporum commoditatibus, & animorum tranquillitate subijsse labores, commodi sui & incolumitatis tulisse dispendia, & incurrisse vitæ pericula, iam ante narrauimus; idque purè putè pro illius incenso amore, qui cùm Deus immortalis esset, & nullius egens, sed infinita sua in mortales bonitate abundans, animam suam pro captiui generis nostri redemptione, per humanæ carnis miserias, & acerbissimam passionem, & quanquàm Dominus gloriæ, per mortem ignominiosam tradere non dubitauit.

Thuribius etenim, vt temporariam remunerationem ex vllo suo opere præstolaretur, nullum, vel suspicandi locum reliquit, dùm illis tantummodò tribueret, qui retribuere non possent: nec ab illis qui possent, ne minimum quidem muneris vnquàm acceperit, vel oblatum accipere voluerit. Immò verò quod in hoc genere perfectum est, nec ipsam æternæ felicitatis coronam aliter, vel expectabat, vel cupiebat, quàm quòd gloriæ Dei id magis conducere, & voluntati placere, sibi persuaderet. Quæ tertia ipsi totius vitæ dirigendæ, degendæque regula adhuc puero concepta fuit, & constantissimè deinceps obseruata; vt quæcumque acturus, vel passurus esset, ea prorsùs postquàm decerent, & alleuiandæ conscientiæ conducerent, in Dei denique gloriam cederent vniuersa.

Cha-

Charitatis autem ipsius erga homines, præter ea quæ diximus, opera, mira erat erga inopes beneficentia, cuius largitas, cùm, quo magis ab extremæ ipsorum necessitatis vinculo libera est, eo maiori largitoris liberalitate facta censeatur; vt hoc qualecumque laudis, aut vanæ gloriæ periculi genus effugeret seruus Dei Mogrouejus cunctas largitiones suas, & liberas eleemosynas ad arctæ obligationis vincula restringebat, tùm pro insigni humilitate sua, tùm, vt verus Christi seruus, & Euangelij sectator obseruantissimus, illud Christi consilium abundantèr amplexus: Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: serui inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus. Sic sanè Thuribius non solùm, cùm ea faciebat, quæ debebat, sed & quæ liberè volebat, exercebat liberalitèr. Formabat sibi præcepta, vbi vix erant consilia; atque, ne quidquàm gloriæ, vel æstimationis ipsius liberalitati tribueretur, etiam vbi erat amplissima, per ingeniosam charitatis logicam inueniebat argumenta, per quæ sibi ad cauendam hìnc elationem, & indè scrupulum prodigalitatis; & fortè alijs ad præueniendum sui apud ipsos æstimationem, aut laudes, persuaderet, largitiones suas, non vltroneæ liberalitatis, aut improuidæ profusionis opera, sed iustitiæ debita, & restitutionis oneri obnoxia fuisse.

Nam quoties egentes Indi occurrebant, dicere consueuit: ò nude, tu me vestis: ò famalice, tu

me ſatias: ò pauper tu me ditas. Subintelligens nimirùm, ſe propria *Peruuianorum* bona poſſidere: Quanquàm, qui plus omnibus laborabat, ſeminādo ſpiritualia; iuſtiſſimè poſſet ab eis metere temporalia. Sed ipſe alienæ neceſſitatis regulam, proprio Iuri præferebat, ne nimirum iuſtus ſibi videretur. Quoties Hiſpanorum, qui Peruuiam expugnarunt, filios aut, nepotes neceſſitate premi percipiebat: hi, aiebat, hæc nobis ocia fecerunt, & quibus gaudemus bona, Patrum, auorumque ſuorum ſanguine compararunt: ſi non totum poſſumus, ſaltem pars aliqua illis reſtituenda eſt. Cæteros pauperes, Eccleſiaſticarum obuentionum, quæ honeſtę ſuſtentationi ſuę ſupereſſent, iuſtos, hęredes, dominoſque appellabat; ſe verò adminiſtratorem, & œconomum, à patre ipſorum Deo illis conſtitutum; qui quod cuique opus eſſet, ſingulis fideliter diſpenſare tenebatur, vt, exoneraret conſcientiam, ac Deo Patri omnium, rerumque, ac perſonam ſupremo Domino condignum obſequium, honoremque exhiberet.

His maximis, tùm iugi meditatione, tùm verbis aſſuetus Beatus vir, non ſolùm ipſe quidquid habere potuit diſperſit, dedit pauperibus, ſed & alios documentis, exempliſque ſuis ad ſimilia facienda concitabat: qui ipſi, inter alios ſublimes fines, quibus opera ſua, magno, & multiplici meritorum theſauro cumulabat, ſemper propoſitus fuit, vt propria ipſius verba ad Clementem VIII. Pon-

Pontificem ſcripta teſtantur, quę huiuſmodi ſunt: De meis reditibus, ab eo die, quo hunc Archiepiſcopatum iniui, vſque modo ab anno octuageſimo primo, vſquè ad nonageſimum ſextum, in eleemoſynas diſpenſati ſunt centies quadrageties, ter mille, trecenti quadraginta quatuor peſi nummi, & regales quatuor, pręter alia quę diſtributa ſunt. At ſoli Deo reddendę ſunt grates, propter quem iſta fiunt, ad ędificationem proximorum, procurando, vt bono exemplo, ad ſimilia facienda animentur. Nec mirandum, quod diximus, Thuribium dediſſe quantum habere potuit: cùm, benedicente Deo, pluſquàm alijs ſumptibus ſupereſſe cenſeretur, erogaſſe, collatis, non ſemel, dati, acceptique calculis, tàm Granatę, quàm Limę, liquidò compertum eſſet.

Sic autem dabat, vt cùm Sancto Iob dicere poſſet: Si negaui quod volebant pauperibus, aut oculos viduę expectare feci, ſi comedi buccellam meam ſolus, aut non comedit pupillus ex ea; quia ab infantia creuit mecum miſeratio, & de ventre matris meę egreſſa eſt mecum. Sed in eo Iobum ſuperauit Thuribius, vt, ſi quandò neceſſitas cogeret miniſtros ad eleemoſynas ab ipſo, quauis magna ſumma, imperatos in diem, vel noctem differendas, tùm ipſe duplum dari iuberet; vt frequenter viſum ſit, eandem ſtipem, propter aliquot horarum repetitam dilationem, in quintuplum aut decuplum ab ipſo auctam fuiſſe; ſanè pro centum Iob. 31.

red-

reddita mille, ac si ista multiplicatio iusti fœnoris eiusmodi dilationis iure deberetur. Sciebat enim quòd spes quę differtur affligit animam, nec inopię, promissis, sed pręsenti pręstito subueniri: Hilarem, aiebat, datorem diligit Deus. Atque hęc miseratio in Thuribio puero emicuit, cum adolescente conualescebat, in iuuene robusta, in viro perfecta fuit, & à se ne, quod rarum, nunquàm recessit.

Quamdiu in potestate fuit, prçter ipsum, qui se proprijs vestibus, & Archiepiscopalis aulę parietes, & cubiculum, lectumque suum omni commodo, & ornamento denudabat, domumque vniuersam omni pretioso suppellectili per pia furta clanculùm dispoliabat, vt pauperibus, solo Deo teste, prouideret. Habebat insuper pijs largitionibus pręfectos alios tres, diuersi in hoc genere muneris, & curę viros prestantis prudentię, & pietatis, quorum nemo sciebat, quid per alium erogaretur, nisi quando pecunia per alterum alteri, iussu pręsulis dari debebat. Hi erant in primis Franciscus Quiñionius, supremus totius domus, & Archiepiscopalium prouentuum præfectus, quem Maiorem domus vocant, de cuius integritate, & fide administrationis, iàm antè locuti sumus: quique maiores pecuniæ summas à creditoribus exigere, & alijs numerare debebat; ac per se ipsum eas eleemosynas porrigere, quæ occultè dabantur nobilibus, ampliorisque qualitatis, sed innopiæ vulgò incognitę viris. Al-

Alter erat Ioannes a Rocca, Limensis Ecclesiæ cathedralis Canonicus, & Archiepiscopi Confessarius. Qui cùm ipsi in vtroque munere per annos duodeuigenti, magna sui laude seruijsset, ad Episcopatum Papoyanum pro meritis assumptus, cum sanctitatis opinione vitam finiuit. Huic ad eam Ecclesiam abeunti, in eisdem officijs apud Archiepiscopum successit eiusdem nepos, alius Ioannes à Rocca, præcipuus primùm in eadem Ecclesia Limensi parochus, mòx pariter Canonicus, ac demùm Archidiaconus, vir prudentiæ spectabilis, & reliquarum virtutum cultu, patruo non absimilis.

Tertius fuit, secretis præsertim, occultisque Thuribij largitionibus præfectus, quæ verecundis pariter, honestisque familijs, sed inferioris gradus, & qualitatis, quam quibus Quiñionis frequentis conuersationis, & familiaritatis cuiusdam titulo, sine suspicione egestatis, prouidebat, Vincentius Rodriguez vir, etsi secularis, sed probatissimæ fidei, & vitæ exemplaris, suoptèque ingenio in eiusmodi pietatis opera æque pronus & promptus; quem non nemo scribit etiam aliquando in maioris aulæ rectoris officio ministrasse Mogrouejo, tùm fortè, dùm Franciscus Quiñoinius in Chilensis regni gubernio detentus absens Lima fuit. Veniebat Vincentius per singulas septimanas, cum equis onerarijs, & euchebat à Quiñoinio onera, panni, telæ, leguminum, farinæ, & cocti panis, carnium, candela-

delarum, aliarumque rerum domestico vsui paratarum; quæ deinde, cum certa portione nummorum, distribuebat ipse, prout sciebat; personis, & familijs, quas per pudorem à manifesta mendicatione detineri discebat. Atque hi quidem in vrbe verùm dùm extrà versabatur, alios deputabat huic muneri, ex quibus nominatos inuenio doctorē Pasqualem Paroches, de quo posteà, Bernardum de Alcocer, itinerum comitem, virum industrium, & in ea verecundorum pauperum cura fidum Achatem.

Cęteris autem, prętérquàm Quiñionio, per Beatum Antistitem specialitèr incumbebat, vt verecundos, adeòque, eo magis molesta, quo magis incognita paupertate pressos homines, solertèr, & secretò exquirerent, & in album redactos ad ipsum referrent. Quorum alijs in annum, alijs in mensem, alijs in octiduum, alijs dietim, pro ratione necessitatis cuiusque, summo secreto, & sępè tacito mittentis nomine dare oportebat, quod ille semel pręscripsit, seu pręsens ipse in vrbe, seu absens foret. Omnibus autem iubendo, inuigilando, concitando, supplendoque, verbo pręerat, & exemplo pręibat ipse Sanctus Pręsul. Et quamquàm in cunctis Apostolici pastoris officijs perpetuò solicitus; in hàc tamen egenorum cura supra multos ardentissimus erat. Considerabat enim in eis, qui perfecti non sunt, nec plenum sensuum suorum dominium adepti, dum corporis vires inedia lan-

gues-

guescunt, spiritum non posse suis muneribus liberè fungi, & animum necessariarum rerum solicitudinibus afflictum, à diuinis plurimùm distrahi: vt sileam, in quanta scelera homines per egestatem cogantur. Quæ mala, vt vigilantissimus pastor Thuribius præpediret, ouesque suas ad meliora proueheret, curabat priùs quod animale, deindè quod spirituale; adeòque nulli quidquam tolerandæ vitæ, vel animi tranquillitati necessarium deesse patiebatur. Neque quantum ipse per suas opes posset, sed quanta ope pauperes indigerent, perpendebat.

Ardebat enim in fornace puri pectoris ipsius amor Dei, qui nullo pondere pendi, nullo numero comprehendi potest. Atque hic illi charitatis in homines pondus, & mensura fuit. Vrgebat eum fides, & filialis timor minacis moniti S. Ioannis Euangelistæ, Limensis Ecclesiæ tutelaris magistri: Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit 1. Ioan. 3. fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Ibid. 4. & iterum: Et hoc mandatum habemus a Deo, vt qui diligit Deum, diligat etiam fratrem suum. Thuribius ergò, quia diligebat Deum, diligebat & homines, quos Deus ad imaginem, & similitudinem suam creauit. Nam vt idem Apostolus Ioannes Ibid. 5. ait: Omnis qui diligit eum qui genuit, diligit eum qui natus est ex eo. Et, si quis dixerit quoniam 1. Ioan. 4. diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est.

Firmabat animum B. Thuribij certa ſpes, & infallibilis fiducia prouidentiæ diuinæ; per quam ardua quæque, laborioſa, deſcriminoſa, vel humanæ prudentiæ impoſſibilia, pro Dei honore, pro conſcientiæ ſuæ ſecuritate, proximorum ſalute, & ſui muneris complemento, ſpe gaudens, lætus & ſecurus nunquàm refugiebat.

Aliquoties à ſuis monitus, modum eleemoſynis imponendum eſſe, aut ipſi ſanè breuì mendicandum fore: cæteris expenſis, inquiebat, modum imponite, vt vobis benè videbitur; ijs verò quæ ad pietatem pertinent, nullum. Ille pro his prouidebit qui prohibuit, ne de craſtino ſoliciti ſimus.

Matth. 6. pſ. 54. Iacta curam tuam in Dominum, & ipſe te enutriet. Nec Mogrouejo effuſionem pecuniæ fortiùs perſuadere poterant, quàm quo illum dehortari conabantur, per mentionem ſecuturæ propriæ paupertatis ipſius, quam cupiebat, ſibique iuueni deſponſauit, & in rerum vſu nunquam deſeruit, vt certum pignus æternæ felicitatis. Beati enim pauperes ſpiritu quoniam ipſorum eſt regnum Cælorum. Matth. 5.

Grauis Thuribio fuit cuiuſuis rei poſſeſſio, qua alium indigere perciperet: vt verè de ipſo dicere poſſimus, quæ de Seraphico Patre noſtro Franciſco in eius officio cantantur: In Dei feruens opere, ſtatim vt ſua vendidit, pauperibus impendere pecuniam intendit, quæ graui ſuo pondere cor liberum offendit. Reſp. 2. 1. Noctur. Hæc præmittere viſum eſt, tùm Beati præſulis cotemptus mundi, & beneficentiæ affectibus.

bus explicandis necessaria, tùm aliorum ædificationi non inutilia. Nunc ad effectus transeundum. & res exemplis declaranda est, quæ rem gestam certiùs demonstrant, & ad imitandum efficaciùs mouere solent.

CAPVT XXXVI.

Beati Thuribij piæ liberalitatis selecta quædam exempla.

TAmetsi horum complura opportunis locis exposuerimus; plura tamèn hìc referenda supersunt. Sed, & multa, & fortassis maiora nos latent, eo quòd Antistes noster conscientiæ suæ testimonio contentus, quæcumque poterat, & quantum poterat occultare soleret; neque in hoc genere vellet, vt sciret sinistra eius, quid faceret dextra eius. Non importunum tamen erit, ea, quæ leuiùs antè delibauimus, hìc inter cætera clariùs explicare: vel quæ alibi satis enodata sunt, hic etiam refricandæ memoriæ causa, obiter meminisse. Transeo igitur nouennis pueri Thuribij erga pauperem fœminam teneræ commiserationis opus, cum iustitiæ pariter & feruentissimi zeli diuini honoris exemplis coniunctũ, quæ inter eius ætatis ipsius acta narraui: vt etiam ipsius pueri consuetudinem, proprios cibos, ori suo substractos, egentibus, coæuis, vel alijs

pauperibus elargiendi, quod tota vita deinceps constanter seruauit.

Non repeto quid Valisoleti adolescens; quanquàm eo loci, eaque ætate, gloriosum Eleemosinarij antonomasticum nomen, & commeruisse, & publica fama obtinuisse primùm dicatur. Quid Salmanticæ iuuenis, quid Granatæ vir, in hoc genere præstitisse fertur. Neque, quas ipse priùs dixi, vel clementes mulctarum condonationes, vel misericordes, salua semper iustitia, earumdem restitutiones egentibus delinquentium propinquis factas; non Pontificiarum functionum emolumenta, quæ accipere nunquam voluit, nec per suos tangi permisit. Nec est qui posset earum rationes inire, quę vniuersa ex proprijs facultatibus in ijsdē functionibus exercendis insumpsit: ac multo minùs ad calculum conferre, quantum in perpetua lustratione prouinciæ, erigendis, instaurandis, adornandis ecclesijs, & xenodochijs, in subleuandis miserorum calamitatibus, in conciliandis barbarorum animis, in omnibus populorum necessitatibus subueniendo, non solum paratæ pecuniæ, sed & omnigenæ, ditiorisque propriæ suppellectilis fusissimè dispergebat.

Id certum, nunquàm eùm afflictissimos Indos, ad grauamina sua in actu visitationis exponenda admisisse, quin, præterquàm, quod singulos suauissimis, & sanctissimis monitis recreasset, eosdem aliquo, vel pecuniario, vel, pro personarum qualita-

litate, honorario munere donauisset: vt nec vnquàm ex vrbe in prouinciam profectum fuisse, sine graui nummorum pondere, & nobili ditique suppellectili mensæ & cubiculi; specie quidem sumptus itineris, & Archiepiscopalis dignitatis decorem sustinendi, sed vero animo cuncta in pios vsus elargiendi: præter varij generis munera genti grata, & ceram, telamque in vsum administrandi Sacramentum confirmationis, quæ omnia sæpe ex vrbe repetita, citò diffluebant, nouis indè rebus totiès ascitis; Sic tamen semper in vrbem ipse redibat, ac si relictis spolijs, latronum manus effugisset, omni pecunia, omnique supellectili dispoliatus, præeunte cruce lignea, loco argenteæ, quam non semel pauperibus ecclesijs donauisse constat: inde depauperatus, vnde plures alij ditescere consueuerunt.

Eo verò, quoties in Vrbem regressus Thuribius, nihilo minùs erga pauperes personas, & pia loca liberalis erat. Prima namque cura fuit, pauperum catalogos reuisere, resciréque, num eleemosynæ certis personis, & locis in annum, mensem, aut aliud certũ tempus ab ipso cõstitutæ, fideliter ministratæ fuerint, vel earum dispensatio vnquàm protelata; vt si quidquam defuisset, id integrum, cum fænore redderetur: Reliqui autem pauperes, post prolixam sui pastoris, & prouisoris absentiam, noui subsidij firma spe erecti, turmatìm accurrebant, quorum tanta nonnunquam ad ædes Thuribij fie-

bat,

bat, concursus, vt ipsi Archiepiscopo aditus obstrueretur. Et à Beato Patre donabantur omnes, qui nulli vnquam petenti pro Dei amore negare sciebat. Hic, vt viuere posset; iste, vt se vestire; ille, vt agellum colere; alius, vt resarsire domum; alius, vt soluere debita; alius, vt filiam collocare: ita singulusquisque suam exponebat necessitatem, ac Thuribius dari cunctis iubebat, vel dabat ipse quidquid proximè ad manus erat. Nec frequentior in eius aula occupatio fuit, aut ipsi magis curæ, quam, vt omnibus porrigeretur, non rarò plusquàm petebant; sed nunquam minus: non aliter, quàm si Peruuianam classem auro onustam in Vrbem retulisset.

Poterat equidem Thuribius Mogrouejus dicere: Quæ debuimus facere, hæc fecimus, si vniuersam Ecclesiarum pecuniam, iuxta sacros veterum patrum canones, in quatuor partes diuisisset, quarum vna Episcopi, alia ministrorum ecclesiæ honestæ sustentationi, tertia ecclesiarum fabricis, & ornamentis, quarta pauperibus cederet. Sed vtinam æque omnes de se dicere possent, quod ille exercebat, vt postquàm ecclesiarum fabricis, animarum curatoribus, immò & pauperibus, per publicas leges, & earundem exactam obseruantiam abundè consuluisset; eam nihilominus portionem, quę ipsius, vt vocant, mensam propriè contingebat, per summam frugalitatem restrictam, eisque, quę alij quipiam sibi necessaria existimant, suo ipsi-

us

us vſui ſubtractis, in quatuor illos communes vſus largiter omnia diſpenſaret. Sed nunc, vt reliqua proſequar, ipſum ordinem, & ſenſum ſequar per quę in legitimis actis, publica authorithate Romę impreſſis exempla referuntur, teſtibus plerumque oculatis, vel ipſis largitionum miniſtris, viris eccleſiaſticis, partim in dignitatibus conſtitutis, omnibus doctrina & pietate conſpicuis; quo & res certiùs conſtare poſſint, & explorandi cupido faciliùs occurrant, incipiendo ab euſdem editi inſtrumenti pagina 193. num. 45.

Luſtrabat Archiepiſcopus Thuribius algidos Montes, in quorum aliqua domuncula laborabat mulier partui vicina, quam ille, vt vbique infirmos, pro ſua pietate inuiſere voluit. Et cùm pauperem obſeruaſſet, pallium Hiſpanici nobilis panni, quo ipſe ſe ab aëris inclementia tuebatur, illicò depoſitum fœminæ porrexit, vt naſcituro infanti pannulos indè pararet: Monente Franciſco Contrerio tùnc præſente, & facti poſtmodùm promulgatore, non illo Salmanticenſi quondàm Thuribij ſodale, ſed eiuſdem nominis alio Societatis Ieſu viro graui, & Limenſis Collegij S. Pauli Rectore, factum præſulis minime neceſſitarium fuiſſe; cùm Peruanę matres, a partu ſtatim ſeipſas, & infantes ſuos in gelidis riuis, vel ripis fluminum, abſque omni detrimento, & periculo lauare ſolerent: reſpondit pius paſtor, o me pecatorem! pauper eſt: quaſi hunc ſolùm titulum paupertatis, etſi non adeò pre-

mentis,

mentis sufficere censeret, vt ipse se necessaria veste nudatum ingentis frigoris discrimini exponere deberet, seque deglubere pastorem, vt foueret ouiculam.

Sacerdos quidam egenus Beatum Thuribium noctu verecundus conueniens, suam illi pauperiem exposuit. Sed ille cùm nihil ad manum vicinius videret peluuio argenteo lauandis manibus præparato: Frater, inquit, hoc accipe, & veste tectum clàm auferto; ne quis videat: sequenti verò die, quærenti familiæ surreptum argentum, aiebat, non furto sublatum esse, ac fotte pariturum. *P*aulò pòst intellexit presbiterum ducentis argenti pondo vas oppignorasse, tùm ipse data pecunia redemptum clàm recepit, & palàm protulit, dicens: En peluuium, quod perditum dixistis, accipite, reponite, & nolite iudicare quenquam. Duo illi, vt semel dicam, in more fuerunt, res hoc modo donatas abscondi iubere: non quòd timeret, sua dona per domesticos intercipi; Sed quia solum Deum, & pauperum sinus pietatis suæ testes volebat: deinde quæsitas, non dicere datas esse, sed non perditas, & opportuniùs fortè inueniendas; iubere proinde, ne soror de illis solicita, pueris vel domesticis famulis molesta esset. Vnde illa fratris morem toties experta quiescebat, certò supponens, res istas ab ipso donatas esse.

Erat Limæ vir pius Vincentius Rodriguez, qui propria charitate motus, Vrbis plateas circuendo,

sti-

ſtipem pro verecundis pauperibus corrogabat. Hunc aliquando videns è feneſtra Thuribius ad ſe vocauit, & ſciſcitatus, vt ſe pauperum prouiſio haberet? reſpondenti, quàmuis diuina prouidentia non deeſſet, multos tamèn, & graui neceſſitate conſtrictos eſſe eiuſmodi pauperes, qui honeſta opinione perire mallent, quàm inopiàm ſuam palàm prodere: Vade, inquit, ad Sororem Grimaneſam, & meo nomine dic, vt eleemoſynam tibi det. Ipſe interìm ad feneſtram perſtitit, dùm exeuntem Vincentium videret, cogniturus an, & quantum accepiſſet. Quod cùm reſciret; adeò parum, inquit, mea ſoror largita eſt? & forte tunc tranſeuntem AEthyopem ſeruum ſuum, pro ſtipe Vincentio conſignauit, ac traddidit; quem poſteà Grimaneſa quingentis argenti pondo redemit, quæ priùs octo communium regalium nummo, Thuribij fratis mandato ſe expedire voluit.

Is ipſe Vincentius Rodriguez, Secretarum B. Thuribij largitionum comes, alio tempore ſubſidium petijt pro collocandis puellis Xenodochij charitatis Limani, iuſſitque Archiepiſcopus centum peſos per Franciſcum Quiñionium numerari. At quùm donum in craſtinum differri ſciret, præcepit illicò dari ducentos, quos cùm non ſtatim dari cognouiſſet, quadringentos imperauit. Verùm Vincentius, ne nimis importunus nobili & optimo Quiñionio eſſet, quem ſciebat non auferre, ſed neceſſitate coactum differre in vnum tantum

diem pauperibus donum, se apud præsulem, ne toties rediret excusauit, subiungens, Franciscum pecunias ipsi crastino certissimè missurum. At, inquit Thuribius, ego volo, vt quingentos confestim referas, & apprehensa manu Vincentij, mecum perge, pecunia mea in pauperum vsus extra domum esse non debet. Cùmque per aulam transiens vidisset duos seruos AEthyopes, qui aulea parietibus deponebant, proximum interrogauit, cuius esset? Audiens autem Quiñionij seruum esse; tunc ad alterum; & tu cuius? cumque suum esse didicisset, ait: cùm ergo meus sis, descende, ipsumque Vincentio donauit; cui etiam postridiè quingentos quoque nummos misit. Atque sic centum nummi, intra viginti quatuor horas, excreuerunt in mille.

Aliquando vesperi allato lumine, seruus Dei Thuribius in aula sua solus ambulabat, cùm ingressus ignotus homo stipem rogans, nec expectans responsum, duas candelas accensas argenteis candelabris eximens, Thuribio tenendas tradidit, candelabra abripuit, & abijt. Thuribius autem cebaceas candelas ambabus manibus humiliter accepit, ac tamdiù patienter tulit, donec hominem procul episcopio, & molestiæ periculo abesse iudicasset: tùm primùm ephæbos vocauit, & afferre candelabra iussit. Sors tulit, vt Franciscus Quiñionius ex aula primus introisset; & admiratione spectaculi commotus: sic, domine, inquit, quidquid habes, tibi auferent, & Thuribius illi; Me peccatorem!

torem! me peccatorem! pauperes sunt, sunt pauperes. Hic fortè, vt aliàs frequenter; Sanctorum exempla commemorans, clamidem S. Martini vel, argenteam paropsidem S. Gregorij, aut quid simile.

Iacuit Limæ ad mortis limen infirmus Doctor Delgadus, Rector Ecclesiæ parochialis S. Sebastiani. Misit Archiepiscopus qui illum suo nomine visitaret, relaturus, quam rem ab ipso maximè cuperet. Relatum est ægrum Delgadum à Medicis derelictum, in Dei manibus esse, nec alia de re solicitum, quàm quòd ducentarum circiter Missarum stipendia nuper accipisset, quæ præ inopia tùm reddere non posset, nec Missas, morbo, ac morte iam instante præuentus facere: eas proindè Archiepiscopi pietati celebrandas commendare. Thuribius accepto nuncio; Videamus, ait, (sic ioco loquens), an fiscus noster quidpiam iuuare possit: innuebat loculum, in quem censurarum chirographi obuentiones, quas ante meminimus, pro curandis defunctorum suffragijs inijciebat. Cùm non amplius viginti vel, summùm, triginta pondo continere, crederet, aperta cistula reperta sunt vltra ducenta, quot iusto Sacrificiorum numero sufficiebant; & omnibus in plures Vrbis ecclesias illicò distributis, Missas omnes eodem die celebrari fecit. Quod cùm æger Delgadus intellexisset, actis Deo, & seruo eius Mogrouejo debitis gratijs, post duas inde horas animam Redemptori suo placide reddidit. Nec

defuerant qui opinantur per Thuribij merita auctum in arcula, illius manibus, numerum pecuniæ: qui quinque millia hominum, quinque panibus in deserto pauit. Sed Thuribius ipse consueta animi demissione: Me peccatorem! quàm bonus vir est Doctor Delgadus.

CAPVT XXXVII.

Continuantur largitionum exempla.

TRuxillo Limam à prouinciæ cognitione rediens Beatus Antistes, dùm pro more solus, longo spatio, comites antecederet, in mulo suo incedens, itineraria veste clericali indutus, obuium habuit aduenam ex Hispania virum, rudi equo, & ruralibus clitellis insidentem, qui Thuribio malè valere videbatur. Quapropter pietate sua commotus, optimo mulo desiliens, iussit hominem in meliori ephipio iumentoque commodiùs equitare, & equum suum clitellarem, quo vexabatur magis quam veheretur, cum illo sibi commutare. Tum *chapaton* (sic enim eiusmodi nouos aduenas in Peruuia vocant) incognito Archiepiscopo gratias agens, mulum eius cum phaleris acceptans, iter suum per aliam viam prosecutus est. Thuribius autem in clitellis tardoque equo viam suam patienter carpebat, dùm comites eum assecuti, & metamorphosim admirati, melius illi prouiderunt.

Li-

Licentiato Molinæ, prouisori Xenodochij Limani S. Andreæ, quod Hispanorum in ea Vrbe præcipuum est, subsidium ab Archiepiscopo petenti, ducenta pondo numerari iussit; & præstolatus responsum, cùm solutionem perindinari sciuisset, seruum ipse AEthyopem pretij quingentorum tradidit, quem identidem cohortatus est, vt sedulò & ex animo ægrotis inseruiret.

Eidem Molinæ aliàs quinquaginta pondo dari iussa, sed in crastinum per ministros dilata, optimo, vt censebatur totius regni, & vnico suo equo, è stabulo Archiepiscopali statìm extracto, iussoque suis phaleris sterni, sine mora dato, cum fœnore compensauit.

Eidem alia vice ad vsum valetudinarij quingenta pondo donari præcepit, sed pari causa procrastinata, Thuribius ipse confestim persoluit, dato alio eius valoris AEthyope seruo suo.

Alio quoque tempore in eundem vsum imperata notabili summa, sed similiter dilata, aulæ suæ peristromata, & pretiosos tapetes è vestigio deponi, & ad Xenodochium cùm eodem Molina euchi fecit; quæ, vt alia sæpè, iusto pretio pecuniarum deindè redemit Quiñionius. Id enim constanter pro feruenti suæ charitatis ardore consueuit Mogrouejus, vt eleemosynam nec perindinari vnquàm, nec imperatam diminui pateretur. Atque adeò quotiès ex pectabat responsum, inquietus, & solicitus speculator, ad fenestram vigilabat, dùm

quæs-

quæstores domo exeuntes videret, & ab ipsis cognosceret, an, quod ipse iubebat, accepissent; alioquin dabat maiora propriæ suppellectilis cimelia, vel imperatam priùs pecuniam duplicabat. Grimanesa verò soror, vel Quiñionius optimus eius coniux, non odio pauperum, vel pecuniarum cupidine iussa differebant, sed quia non poterant ad tam magna, tam crebra, & inopinata pecuniarum pondera numeranda semper prompti esse. Pecunia enim Ecclesiæ Limensis vniuersa, ex ipsius Thuribij Archiepiscopi Synodalibus institutis, in arca trium clauium custodiebatur, quas tres diuersæ personæ seruabant, quæ conuenire debebant, quoties eis eximẽda foret: nec dispensari ijs poterat, quibus obueniebat, nisi per manus æconomi generalis Ecclesiæ, & inspectis, conscriptisque rationibus: quæ omni hora, vel die fieri non poterant. Vt, quæ ad præsulem pertinebant semper in promptu forent: quanquàm ipse subinde diceret, pecuniam suam ad eleemosynarum vsum, nunquàm extra domum esse debere.

Accessit aliquando verecundus Hispanus quispiam, de filiarum Virginum inopia conquestus, quas inops ipse domi habebat. Compassus Thuribius & S. Nicolai Mirensis Episcopi factum recollens, iussit, vt pater puellarum nocturno tempore sub Archiepiscopalis palatij fenestra se sisteret. Espectabat B. Antistes diu, & frequenter per fenestram prospiciens, & musitans; vtrum Fulanus adesset,

esset, tandem aliquando sistentem se virum ditauit; è fenestra demissis tot argenti cælati partibus, quot ad manus habere poterat: candelas affixit parieti proiectisque candelabris, innuit homini, vti, nè detegeretur, confestim abiret. Abijt ille cum spolijs, ac Beatus Thuribius rerum suarum pius latro, vocatis famulis deesse candelabra significauit. Respondentibus autem ea se iam ante tulisse, ille, non esse dicebat, adferri iubens, & candelas in eis collocari. Intellecti tandem, non verba, sed veteres viri Dei mores, & allata sine mora quæ petijt alia candelabra. In quo facto Thuribius, a Nicolao, eo solo distabat, quòd alter introrsùm per fenestras, alter extrorsùm proijciebat opes, vt virginum animæ corporumque honestatem seruaret vterque.

Beato Thuribio inter prandendum nihil iucundiùs accidere potuit, quàm, vt mensam suam pauperibus, præsertim Indis, septam quotidie cerneret. Seù Limæ seù foris, patulis semper valuis prandebat, nec accessum cuipiam prohiberi patiebatur. Dùm in prouincia esset, loci parocho, & populi Fiscali, ea per ipsum cura fuit, vt inopes ad prandij horam conuocarent; quibus vel circumstantibus, vel crebrò secum sedere coactis, fercula sibi parata, proprijs manibus ministrabat. Potum è proprio sypho hauriendum, & cibum cum argenteis orbibus, lancibusque porrigebat. In Vrbe accidit, vt allato in argentea paropside cibario benè

nè condito, circumductis oculis pauperem Indum humi ſedentem vidiſſet: & is mihi oppidò, ait, æger apparet, hoc ipſi ferte, vt refocilletur. Tum Indus abſumpto cibo, argenteum vas in ſinum condidit.: Mox deeſſe animaduerſum famuli auferre, Indus, vt domini donum, retinere contendunt; ſed pugnis, & probris reddere coactus eſt. Thuribius, quis ibi trepitus fieret interrogãs, ac tàm amans charitatis, & pacis, quàm impatiens alienę, pauperum imprimìs, moleſtiæ, clementiſſimus iudex contra ſe ſuoſque prolata ſententia, litem diremit, furtum condonauit.: dimittite, inquiens, pauperem & argentum illi reſtituite, quod charo plagarum, probrorumque pretio, noſtræque donationis iure ſuum fecerat, pauper eſt; & ita fieri oportuit exemplo paropſidis argenteæ S. Gregorij.

Limenſium carcerum œconomo eleemoſynam pro concluſis petenti, quia pecunia præſtò non erat, maluuium agenteum, ne rem diuini amoris nomine poſtolatam differet, ex abaco ſtatim tradidit. Carceratis autem alias eleemoſynas aliquot nummorum pondo in certos dies deſtinatas dabat, vt & alijs pijs locis, & multis familijs, quas integras clanculum ſuſtentabat. Et Xenodochio charitatis, cuius in apparatu Limæ Limatæ, inter alia illius vrbis pia loca, mentionem fecimus, bis mille pundo in ſingulos annos dabat, pro vetularum ægrarum ſuſtentatione, ac dote puellarum quæ illis ad tempus obſequebantur.

In

In oppido S. Iacobi Lunaguanensi, Limanæ diœcesis, dùm Thuribius in cubiculo solus esset, intrauit Indus expositurus controuersiam, quæ ipsum inter, & loci presbiterum versebatur. Facta verò mentione duodecim regalium nummorum quos parochus ipsi debebat; hoc interpretatus Archiepiscopus verecundam, & modestam paupertatis insinuationem, cùm nihil commodiùs adesset, superpelliceum, quo in actu visitationis indutus erat, festinantèr deposuit, & Indo etiam nolenti & affirmanti, negotium suum aliud esse, seriò & clanculùm obtrudebat.

In suo Palatio Limensi, nobilis matrona, sed inops questa est apud eum de filiæ suæ virginis egestate, cùm adessent tùm alij, (nam nunquàm cum fæminis solus loquebatur) illis non aduertentibus, iussit mulieri, vt in platea sub fenestra paululùm expectaret. Dilapsis inde famulis, ille statim argentea vasa, manibus lauandis præparata, per fenestram, secretiori quo poterat modo, ad matronam dimisit. Quo facto, generosæ matronæ tùm inopiæ, tùm æstimationi simùl consuluit.

Alia mater petijt subsidium ad filiam nuptui tradendam, cui Thuribius nobilem gemmam, multo argento ornatam dedit. Quod cùm rescisset aulæ præfectus Quiñonius, integro pretio mulieri numurato, clenodium Archiepiscopi ædibus restituit.

Alteri verò fæminæ ad similem vsum petenti,

cùm Thuribius visitaret locum diœcesis dictum Guacrechuco, prouinciæ Guamaliensis, dedit argenteum vas magni ponderis, quod in cubiculi mensa reperit. Cùmque per famulos posteà quæreretur, iussit ne soliciti sint; quippè vas illi restitutum esse, ad quem proprio iure pertinebat. Vndè perceperunt, ipsum pro more id alicui pauperi donauisse. Valebant autem huiusmodi vasa aliqua ducentos, alia trecentos, aut plures nummos, quos pesos, aut patacones vocant.

Limæ in plateam per fenestram prospiciens, transeuntem vidit sacerdotem lacera toga vestitum, eumque ad se intrò vocauit: intellectoque vestis indecentiam, à presbiteri paupertate prouenire, cui nec alia toga, neque qua eam compararet pecunia suppeteret: tùm statim seruus Dei, Sacerdotum decoris zelantissimus, togam qua ipse indutus erat, sacerdoti dedit, & se festinanter abripere iussit; contentus interim ipse Archiepiscopus, supra thoracem & femoralia, linostino superpelliceo, dùm fortè accedens familiarium aliquis, rem nouam admiratus, aliam ipsi togam attulit.

Thuribius aliquando perlustrans prouinciam, in familia habuit Doctorem Pasqualem Peroches, posteà Decanum ecclesiæ Metropolitanæ Platensis. Occurrit alicubi pauper, vt inopiæ solatium acciperet. Iussitque Perochio Thuribius, vt centum nummos pesos illi daret. Sed respondenti, sufficere duodecim, Archiepiscopus ducentos dari

vol-

voluit: persistente *Perochio*, trecentos inquam, illi munerato, adhuc affirmanti id nimium esse, seruus Dei quadringintos illicò dari præcepit, & obedire oportuit. Abeunte paupere cum integra summa, vocatum ad se Pasqualem Thuribius acriter increpauit, adiungens, nihil in eleemosynæ largitione discutiendum esse, nec discernendas pauperum personas, sed respiciendum Deum, propter quem omnes petunt. Quo victus ædificatusque Perochius hoc Thuribij factum, dictumque, in ipsius laudem, & aliorum ædificationem posteà narritabat.

Truxilli, in domo Iuliani à Turre, tunc Limensis Archiepiscopi in eodem oppido Vicarij, & pòst Ecclesiæ Truxillanæ, in cathedralem erectæ Decani, Thuribio se stitit egena mulier eleemosynam ab eo petens, ac ille statim tradidit argentea vasa, ex quibus eodem tempore manus lauabat. Quod cum Iulianus nouisset, vtrumque vas à fœmina iusto signatæ pecuniæ pretio redemit, & Archiepiscopali abaco restituit: quod sæpè aliàs contigisse repetitæ testium depositiones commemorant.

In vrbe Lima, cùm alia fęmina inopiæ sua opem oraret, Thuribius præsentem suum Secretarium interrogauit, num nummos haberet, quos petenti fœminæ dare posset; eoque negante, Archiepiscopus ipse femorali peræ suæ manum iniecit, cui nullum obulum pecuniarum vnquàm intulit. Inuenit tamen tunc nummos, & se primùm, præ

admiratione signo crucis muniens, deinde pecuniam extraxit, & mulieri porrexit. Quod & mulier ipsa, & Secretarius miraculo factum crediderunt, & pro miraculo deinceps narrabant, & ipsius Beati præsulis admiratio non leuiter confirmat.

E Palatio suo Limano exeunti Beato Thuribio occurrerunt in foro duo patres Ordinis Prædicatorum, petentes eleemosynam pro canonizatione B. Hyacinti. vel B. Raymundi Peñafortensis, quos ipse ad sororem Grimanesam remisit, quod petebant suo nomine accepturos. Dedit illa quatuor pesos nummos. At ad cænobium redeuntes religiosos, è curru vidit Thuribius, & vocatos interrogauit, quantum accepissent? Iis verò cum gratiarum actione referentibus, ille circumspiciens vidit Nigrum pedisequum suum, & hunc, inquit, accipite, haud dubie secum reputans dignum esse, vt illi in cælis gloriosi terrenos seruos habeant, qui in terris positi Deo fideliter seruierunt. Ac renuentes religiosos seruum accipere coëgit, iubens, vt crastino cum tabellione redirent, instrumentum donationis accepturi.

Alibi apud eum questa est mulier quædam, filiam suam sexennem non frequentare sacra, quòd decenti vestimento careret. Tùm ille editis intimi doloris indicijs, videns armarium ad prandium fortassis ornatum, iussit inde adferri ingentem lancem argenteam auro oblinitam, & suis insignibus insculptam, tanti ponderis, vt porrectam vix vna

manu

manu ſuſtentare potuerit, & interrogata fæmina, an ea ſubleuendæ neceſſitati ſufficeret, pateram annuenti tradidit, ac tacitam abire iuſſit.

Antiquum & ſolemne fuit Archiepiſcopo Mogrouejo, vt cùm prouinciam peragrando, oppidum, pagumue ingrederetur, poſt adoratum in templo Deum, vocatis ad ſe Fiſcali populi, & præfecto Hoſpitalis, infirmos viſere, eiſdemque, & obuijs tùm vbique pauperibus pecunias larga manu porrigere, in quem vſum nummorum ſaculum cùm ipſo portabat Alcozerius ruralium largitionum comes, vel parochus loci, aut alius quiſpiam ex familia. Nec obulos, aut communes regales nummos, ſed plura, & ſæpe multa pondo donabat: ex quo facile cenſeri poſſit quàm plurima millia, per ſexdecim, vel octodecim perpetuæ circuitionis annos in pauperes diſpenſaſſet: Cùm intereà ſemper etiam foris cucurriſſet maiorum largitionum quotidianus vſus, nec vrbanæ propter ipſius abſentiam vnquàm intermiſſæ fuerint. Inter quas fuit annuum pallium elaborati ſerici, in ſingula templa, in quibus die cœnæ Domini, Chriſti ſepulchrum exhibebatur. Neſcio num altaris antependium, an pluuiale Sacerdotis ferentis Sanctiſſimum Sacramentum, aut quæ alia ſacra veſtis. Hiſpani & Itali *manto* vocant.

CA-

CAPVT XXXVIII.

Alia id genus plura.

ABſente Lima per prouinciam Archiepiſcopo, contagioſus morbus in vrbe graſſari cæpit, quo plurimi paſsim peribant: Et præter populum in proprijs ędibus vbique laborantem, publica omnia loca charitatis eructabant morbidis, & quotidiè morientibus. In prouincia diſtentus ille, ciuium tamen curam ſic egit, vt animarum ſolicitudine Sacerdotibus, & religioſis viris ſeriò commendata, corporum curandorum, ac imprimis egenorum, in ſe vnum ſuſceperit. Scripſit enim Franciſco Quiñionio, vt quidquid eſſet Archiepiſcopalium prouentuum, id totum in ægrotantium ſolamen inſumeret, nec vlli domeſticæ ſuppellectilis parti parceret: quæ ſi non ſatis forent, omnem quam poſſet pecuniam aſſumeret mutuò: ſe quippè à diuina prouidentia id vitæ tempus fidenter expectare, vt omnia perſoluere poſſet. Ipſe interim ardentiſſimis precibus, & conſuetarum carnis afflictionū holocauſtis diuinum placabat numen, quo miſerente, plaga citò ceſſauit. Multa interim millia nummûm inſumpta ſunt, quorum rationes optimus, & ſuauiſſimus Quiñionius poſtmodùm in ratiocinio reddidit, oſtenſo Præſulis mandato, & fideli eius executione.

Ha-

Habuit Beatus Thuribius cyphum aureum valoris pondo septengentorum, ex Hispania allatum, patris hæreditarium munus, ac propterea charissimum. Hunc aliquando in itinere perdidit custos Marcus Garcias, qui publicum testimonium facto perhibet. Et nè paterni amoris monumenti damnum dolorem domino ferret, fidus famulus per eandem viam retrogradus, & solus incedens, tota nocte desideratus est, non absque labore, & graui periculo vitæ suæ. Thuribius autem, re cognita, ad eò de iuuenis saluo reditu solicitus erat, vt cyphi damnum nihili penderet; quin potiùs, Marcum sequenti die redeuntem lætus excepit, & cyphum, quòd hominis vitæ periculo repertus esset, Thuribius amplius possidere non voluit, sed Deo, qui Marcum seruauit, lubens obtulit, traditque Didaco de Auila parocho loci Chancaj, vbi tunc erat; vt eo vendito Ecclesiæ suæ pauperi ornamenta ex pretio compararet: Regis Dauid exemplum secu- 2. Reg. 23.
tus, qui aquam cisternæ quæ erat in Bethelehem, antè desideratissimam, allatam tamen bibere non voluit, sed libauit eam Domino, quòd fortium virorum vitæ periculo allata fuisset, dicens: *Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hoc. Num sanguinem hominum istorum, qui profecti sunt, & animarum periculum bibam?* Ita Thuribius non aquam, sed aurum contempsit, non fortium virorum, sed vnius imbecillis pueri sui periculum tanti æstimauit. Quot in vno facto heroicæ virtutis insignia?

gnia?

gnia ? paterni amoris affectum, & nobilis clenodij delectamentum in se compescuit, serui dominatum in filij dilectionem commutauit: aurum contempsit, eleemosynam sacerdoti, Dei templo decorem, posteris exemplum præbuit.

Franciscus Quiñionius Archiepiscopi Thuribij affinis, & Archiepiscopalis aulæ præfectus, redituumque curator, Philippi Regis fauore, regni Chilensis gubernator, & generalis belli Dux constitutus fuit. Quam opportunissimam occasionem nactus Beatus Antistes, qui dudùm nouerat, Hispanos illius regni milites parùm tardèque remuneratos, pauperes, & nudos cum infidelibus barbaris, pro Rege, & religione, perpetuis valitationibus decertare, viginti millia nummüm pondo profecturo Quiñionio, fidissimo suæ pietatis ministro simul tradit, vt pannos aliaque subleuandæ militum inopiæ necessaria coëmeret, ipsisque pro præsenti cuiuslibet necessitate dispensaret. Cùm interim semper ipse Limæ & alibi, eorum vxores, & filios viduas, & pupillòs copiosè sustentare soleret, quos omnes in albo conscriptos habebat.

Adeò prudenter, & purè propter Deum, & conscientiæ, quod sibi obijciebat, vinculum, opes suas dispensabat Mogrouejus, vt nihil vnquàm auræ mundanæ, nihil propinquorum affectui, nihil potentum adulationi indulsisse visus sit. Rogabat ipsum semel Ludouicus Velasco, meridionalis Americæ Prorex, idque Regis nomine & ostenso

Ca-

Catholicæ Maiestatis mandato ad se misso, vt vel mutuo, vel honorario dono concederet summam aliquam pecuniarum, ad sustinendos sumptus bellorum, quæ aduersus infideles, & religionis, Ecclesiæque hostes fiebant. Thuribius affirmans prouentus Archiepiscopales, non suos, sed pauperum esse, non priùs consensit, quàm re cum viris scientia, & pietate præstantibus deliberata, per ipsorum suffragia cognouisset, se salua conscientia donum dare posse. Tùm verò dedit circiter sex millia ducatorum Castellæ, cuiuslibet vndecim & semiregalis communis argenti, seu quatuordecim millia nummorum octo regalium, ministrorum conscientias, inito pacto, eaque expressa conditione ligans, vt integra summa in sacri belli vsum, contra fidei hostes, & non in vllum alium, vel alitèr insumeretur.

Limæ, in festis Natalitijs Domini, Thuribius nouam interulam à sorore confectam sibi induit, cùm seruo Dei importunè, sibi opportunè venisset pauper sacerdos, inopiam suam sic aggrauans, vt etiam indusio in tanta festiuitate se carere diceret; Tùm Thuribius: Itane pater, indusium non habes? expecta parumper. Et ingressus conclaue, memor, Christum Deum eo die in fæno iacuisse, se ipsum exuit, & interulam presbitero dedit, ipse interìm nullo vsus, & rem dissimulans, dum stato tempore, aliud attulerunt. Tùm verò Grimanesa alterum à pueris petens, nec accipiens, ipsa Præ-

ſulem adijt, ab eoque intelligens, induſium pauperi datum eſſe, ſororia fiducia fratrem increpauit, muliebri querela fortaſſis adiungens, ſic perditam veſtem ipſius manu conſutam. Sed vir ſanctus confidentiam charæ ſororis patienter ferens, pia facetia litem diremit, reſpondens: mulierum eſſe, telam texere, & conſuere; deterere verò, & conſumere, ad viros pertinere.

Cùm in oppido Santa anno 1596. viſitationis munus exerceret, nobilis Hiſpana nomine Dorothea, vxor quondam Ioannis Chiaconi, expoſuit multa ſe prole, & rei familiaris penuria conſtringi. Cui Beatus Thuribius ex animo compaſſus, dari ſtatim iuſſit ducentos nummos patacones, quos ephebórum vnus, ad eleemoſynas erogandas portabat, vt filias ambas decenter veſtiret, ne præ verecundia ſacris abſtinere cogerentur. Duos autem Dorotheę filios ad ſe ipſum aſſumpſit, & omni re neceſſaria, ſumptuque itineris inſtructos Limam præmiſit, cum litteris ad prouiſorem Seminarij Archiepiſcopalis, vt vtrumque ſibi ſuſciperet, & inter alumnos ad virtutem educaret; & alijs commendatitijs ad Proregem, vt bonis adoleſcentibus, & bona domo natis fauere, & benefacere velit.

In parochia Aucajmana, vt cubiculum aduenienti Archiepiſcopo pararetur, Inda mulier duos tapetes parocho accommodauit, qui ad portas & parietes appenderentur. Cùmque, Domino *Pal-*

pam.

pam inde migraturo, serui propriam ipsius suppellectilem colligerent, aderant Indi duo Thuribij famulis ignoti, sed crediti curionis familiares, qui fœminæ strata deposuerunt, & abstulerant. Aucaymam redeunte Archiepiscopo, accessit cum Inda Augustinus de Touar, Ordinis Prædicatorum, loci parochus de perditis Indæ tapetibus conquestus, & familiæ præfectum rogans, vt videat, an forte serui eos incautè sarcinis inuoluissent. Negante præfecto factum, & affirmante, Domini sui seruos, ne paleam quidem alienam accipere vnquam ausos, aut eiusmodi criminis insimulatos fuisse: Sed oportere, vt Indi illi, vt putabat, ipsius parochi, tapetes abstulissent. Augustinus querelam ad Archiepiscopum detulit, qui vocato præfecto, pannos quæri iussit: nec enim iustum esse, vt quibus vsi sint, ipsorum occasione perderentur. Persistente præfecto, se iam operam adhibuisse, nec seruos ipsius, sed Indos illos, rem perditam abstulisse; Thuribius vocato puero, Castellani serici stratum è lecto suo fęminæ dari iussit, quale, cum nuper emeretur, alterum illi par Limæ venale reperiri non potuit. Ad quod indignante præfecto, Thuribius vocato puero culcitrã quoque dari fecit: Et incusante præfecto, culcitram Indæ dari, quę non nisi nuda humo cubare didicisset. Ille adhuc linteamina cum puluinis dedit. Quo viso, Touarius dixit mulierem non hæc sed tapetem suum quærere, indicare volens Archiepiscopum longe plus dare, quam illa prætendebat.

Ad quæ Thuribius: quod dedimus, inquit, iam datum est, nec repetere debemus. Sed stragulum ipsius quantum valere potuit? audito sex tantum pesos valere, tantundem pecuniæ rebus antè datis addidit. Et Inda totum asportauit. Quo palam fecit Sanctus Præsul, quam parui pecuniam, vel commoditatem suam penderet, vellet que vt nemo sui causa damnum pateretur, sed omnes lucrum referrent: nolle autem quenquam largitionibus suis modum ponere: obedire & obsequi ministros, non dominari debere.

Martinus de Aranciuia, Rector Ecclesiæ parochialis oppidi S. Mariæ de Parrilla, exposuit Archiepiscopo egestatem Ecclesiæ suæ; maximè verò, quòd careret ferculo, in quo Sanctissimum Sacramentum, vel in processionibus ritu solemni circumferri, vel publico cultui in ara exponi posset; atque adeò cessare hæc præcipua diuini cultus, & christianæ pietatis exercitia, Tùm protinùs ille sex discos argenteos mensæ suæ dari iussit; Sed quoniam armarij minister duas magnas lances in minores commutasset. Thuribius, eleemosynæ diminutionis impatiens, illas etiam, cum sex iam datis adiungi pręcipit, adeòque Martinus octo pro sex reportauit, ex quibus corpori Christi ferculum vsui idoneum fieri curauit.

E Limensi sua domo exituro Antistiti paratus in impluuio erat optimus mulus, pro domini dignitate phaleratus, cùm se obtulisset pauper homo, stipē pro col-

collocanda filia expoſcens. Ac Thuribius aliud tunc in promptu non habens, mulum repentè, cum phaleris & freno, vt erat inſtratus, donauit.

In prouincia Moyabambæ appulit ad locum Indorum, qui quòd vel templum ædificare, vel Sacramentorum, aut Euangelij miniſtrum alere præ paupertate non poſſent, vtroque carebant. Thuribius animarum curam in longum differre non paſſus, non priùs loco diſceſſit, quam ſuis pecunijs, & familiarium vltroneis oblationibus, vaccinum armentum coëmerit, quod vnicum fundandæ dotis medium, regio ſuppiditabat, & ſacerdoti tradidit, qui quotidiano ſacrificio defunctorum animabus ſuffragaretur: atque interìm, dùm amplior fructus ex armento proueniret, omnia curionis officia deſolato populo præſtaret.

Domus hoſpitalis S. Andreæ, cuius antè meminimus, adminiſtratores extremam pauperum neceſſitatem expoſuerunt. Cùmque Thuribius maiori ſumma ſuccurrere cuperet; quia tamen, nummum in promptu eſſe, dubitabat, quinginta pondo numerari iuſſit. Sed cùm nec iſta miniſtro ſuppeterent, viros in ſequentem diem redire iuſſit. Thuribius autem huiuſmodi dilationum perpetuus exoſor, mulum præſenti ſuo vſui in atrio ſtratum, omnia domus periſtromata, quatuor calices argenteos cùm Vrceolis, & patellis, duos ſeruos nigros pediſequos ſuos, aliaſque domeſticas res, ad valorem ſex millium pondo ſtatim auferre fecit;

nec

nec eo minus quingentos pesos priùs imperatos misit. In omni alio mandato suo executionis moram sustinebat, sed eleemosynarum nunquam; sine damno suo, & maiori pauperum emolumento.

Ex his, & alijs multis, quæ in actis Sanctitatis Mogroueji, & historijs vitæ, & virtutum ipsius sparsìm reperiuntur, facilè coniectari possumus, plurimas eius largitiones; in solius Dei, & pauperum pectoribus latentes, nobis occultas fuisse. Cuius rei indicem exhibuit religiosus vir Ordinis Prædicatorum, Antonius filius Vincentij Rodriguez, qui se sæpissimè, dùm in domo paterna secularem adhuc vitam ageret, ad patrem suum, verecundorum, vt diximus, prouisorem, multa cusi, cælatique argenti pondera, & aliarum rerum domesticarum dona, ijsdem pauperibus, vel in propria specie, vel in venditorum pretio distribuenda clàm a Thuribio sub pallio retulisse, legitimo testimonio professus est. Inter quæ aliquando erant lintea, & magni pretij lectisternia lecti ipsius Archiepiscopi Mogroueji.

Alij per ipsum hac ratione sæpe data testantur, crucem pectoralem suam, tabulas pictas, & suę bibliothecę libros, mappas, tapetaque mensarum, & manutergia, sericos genuflectorij puluinos, equorum dorsalia. In ruralibus ecclesijs quidquid deesset è sacelli sui suppellectili sacra suppeditabat, cruces, imagines, calices, casulas, bissinas togas,

&

&. ſuperpellicea, Vrceolos, & patinas argenteas, cætera omnia; ipſe interim ſimplicibus humilibuſque contentus, dùm dignitatem decentia argentea, & ſerica totiès ex vrbe mitterentur, quæ non citiùs accipiebat, quam iterùm donabat, vt aliquando vrbem ipſam Limenſem, lignea cruce, in ligneo haſtili, prælata, ingredi è rure redeundo viſus eſt. In Xenodochijs & Noſocomijs, lodices, puluinos, lintea, culcitras, & ſtragula, atque adcò lectum integrum relinquebat, ipſe ſemper humi cubans, & tota nocte in oratione peruigilans. Ea denique illi, dandi regula fuit, vt quacumque re alios indigere ſciret, eam ſibi ſuperfluam crederet. Nulli vnquàm acceſſum occludi ſinebat, nunquàm ſe à dando excuſabat, nunquàm negauit petitum. In aliud tempus promittere, pauperibus iniurioſum, ſibi verò dare, debitum ſuum reputabat. ſupplices omnes in viſceribus charitatis lætus & hilaris excipiebat, cunctos conſolatos, adiutoſque dimittebat. Perditum denique cenſebat illum diem, quo manus pauperi non porrexiſſet. Ipſe præter maiorum ſummarum numeratæ pecuniæ ſchedas, cum quibus ferè quotidie, vel pauperes ipſos, vel eorum quæſtores, ad Franciſcum Quiñionium illico expediendos remittebat.

Si quis modò hanc Sancti Præſulis largitatem, cum itinerum, & ædificiorum expenſis, cum condigna domus, & honeſtiſſimæ, etſi nunquàm ſuperfluæ, familiæ ſuſtentatione, cum ſibi detractis alio-

alioquin iustis emolumentis, alijsque eius expensis comparauerit, facile percipiet, quàm non immeritò graues, & prouectæ virtutis, ætatisque personæ, in veritatis testimonium adductæ, omnes passim profiteantur, Mogrouejum Archiepiscopum maximam redituum suorum partem hac ratione modoque dispensasse, tanta profusione charitatis, vt si Grimanesæ sororis, & coniugis eius Quiñionij fides, integritas, prudentia, & prouidentia non adstitissent, minus idonei, vel aliter forsitan affecti eius ministri ad Archiepiscopum, familiamque sustentandos, iam dudùm mendicare coacti fuissent. Sępe mutabant claues, nè ad res domesticas facilis illi accessus esset: quę ipsius vsui seruiebant quantoties auferri curabant, nè Thuribij dono per alios clam auferrentur, & sumptus nihilominus necessarij eleemosynarum immensitati satis arctè in annum superesse solebant. Eamque de ipso communem omnium opinionem fuisse, vt si Archiepiscopales prouentus omnes ad ipsius manus peruenirent, nihil priùs accepturum fore, quàm in pium aliquem, & pauperum vsum donauisset.

Nec mirum quod Sanctus Præsul, crescente prouentu ecclesiastico, cum Episcopalis misericordię vinculo, quod ipse sibi conscientię faciebat, pauperibus amplius prouidisset; Sed id in paucis reperitur, quod in liberiori conditione, & omni vinculo ecclesiasticę substantię solutus, eundem semper pauperibus elargiendi modum obseruasset.

Nam

Nam quod antè diximus, etiam Granatæ ipsius eleemosynas prouisionum rationes excessisse constat; vt multi miraculo tribuerent, eum dare potuisse plusquàm humanitùs accepisset: In Peruuiam deinde migraturus cum copiosa familia, multaque, ac diti supellectile, multas etiam pecunias ad itineris tam longinqui, molestique expensas habuisse, dubitari non potest. Et tamen Limam appulsus tàm inops nummorum fuit, vt nauis, qua *P*anama Limam vectus est, naulam daturus, Archiepiscopalis aulæ ornamenta vendere cogeretur; vt existimari possit, antequàm nauem conscendisset, pauperibus & pijs locis, pro felici nauigatione, multa distribuisse, & in ipso mari fortassis etiam in classe languentibus, & infirmis; atque appulsum per viam vsque Limam, ac in ipsa Vrbe, pauperiore tum statu constituta, quàm cùm ipsam reliquisset Thuribius, omni se pecunia dispoliasse. Ac tamen tunc etiam in tanta penuria, supellectilem, eadem qua deinceps largitate, pauperibus cum pecunia clàm, palàmque dispargebat. Vnde factum est, vt in Peruuia, seu tota australi America rariùs alio nomine vocetur, quàm anthonomastico illo Eleemosynarij, patris pauperum; & S. Archiepiscopi: idque, vt Actorum phrasim vsurpem, apud omne genus hominum Ecclesiasticos, & sæculares, honestos, prudentes, doctos, discretos, nobiles, plebeos, mares, & fæminas, pueros, & senes, communi omnium vsu, & opinione, publi-

ca æstimatione, & fama, absque eo quod quidquam vnquam auditum fuerit in contrarium.

CAPVT XXXIX.

Archiepiscopi Mogrouejj Sacrarum ædium substructiones.

OMnes Parochiales Ecclesias, quas in Indijs doctrinas vocant, eremitoria, sacella, & Xenodochia, quæ Thuribius noster magnis sumptibus reparauit, à fundamentis extruxit, consecrauit, exornauit, æneis campanis, sericis paramentis, & sacerdotalibus indumentis, pictis tabulis, crucibus, calicibus, thuribulis, reliquaque supellectili argentea, ritualibus, & doctrinalibus libris, ferreis forcipibus ad pinsendas hostias, alijsque omnibus necessarijs rebus instruxit; Erectas per prouinciam Confraternitates, quibus ipse salubres viuendi leges tradebat, ad calculum, quia difficile putatum, nemo hactenus adduxit. Plurima fuisse, omnes vno ore contestantur; Vt nec vllum ferè locum in amplissima tunc prouincia fuisse, cui insigne aliquod eiusmodi beneficium non contulisset. Xenodochijs quoque proprios lectos vel integros, vel pro ratione necessitatis per partes donabat, reliquamque supellectilem, victum, & medicinas, quibus infirmos, vel pauperes egere sciebat, suis pecunijs comparabat.

Ha-

Habebat enim Limæ destinatos opifices, qui campanas, qui hostiarum conficiendarum instrumenta, qui sacras vestes, qui calices, cruces, pixides, thuribula, Vrceolos, candelabra argentea, cæteraque omnia faciebant; & libris & picturis imprimendis pingendisque, vel coëmendis præfectos. Et cunctorum grauia pondera secum, prouinciam lustraturo, vehi curabat, ac pro locorum indigentia distribuebat, vel alijs visitatoribus à se missis tradebat, eorum solicitudini serió commendans, vt nulli loco quacumque earum rerum indigo non prouiderent. Habebat ipse in notis, & à se præceptis perceptisque litteris omnium instructiones, vt sicubi omissum aliquid foret, id ipse pro suo more multiplicatum daret. Omitto, quæ ante dixi, coadunatos Indorum per tuguria, cryptásque dispersorum populos, noua oppida fundata, pagósque constructos, apertas in desertis publicas vias, ciuili commertio necessarias, & pontes, quibus perniciosa transuadantibus flumina torrentesque sternebat.

Sacellum S. Thomæ Apostoli.

Sed peculiarem notam postulabat Beati Thuribij erga Apostolorum Christi monumenta pietas, quibus regij Prophetæ prædictio ápliùs declaratur: quòd in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. In *Peruuia*, Brasilia, Psal. 18.

Paraguaya, & alijs forte regionibus Australis Americæ reperiuntur indicia prædicatæ olim ibi Christianæ religionis, plurimis seculis ante Hispanorum accessum: quæ ex illarum gentium historijs notauit Alfonsus de Ouaglie, Societatis Iesu, natus Chilensis, in sua illius regni historia; & multo copiosiùs collegit Antonius Calanchanus, Peruuiensis, ordinis S. Augustini, in sua historia Peruuiæ. Inter quæ non infimum est constans, & vetustissima traditio Gentilium; quod inter ipsos nouam religionem quondam docuerit S. Thomas Apostolus, cuius adhuc extant in eorum mentibus aliqua dogmata, & in varijs terræ locis saxea monumenta.

Ex his vnum est in loco Peruuiæ, quem Calinapum vocant, prouiciæ Chachapoyæ, ad orientalem partem Caxamarchæ, diœcesis Limensis, ingens saxum, Sancti Apostoli iunctis plantis vtriusque pedis, genuum quoque, & Viatorij baculi vestigijs impressum: In quo nimirum, tanquam in suggesto, pedibus insistens interdiu prædicabat, & noctu genuflexus orabat, seposito ad latus baculo; quibus marmoris durities, ceræ mollitiem imitata, cedebat. Quo miraculo redarguebat rigorem barbarorum pectorum, quæ verbi Dei ancipiti gladio penetrari non poterant. Inuestigent alij qua via Thomas in Peruuiam, seu nouum orbem, tunc cæteris gentibus incognitum, penetrare potuerit. Mihi satis est prophetam Habacuc ex Iudæa

in.

in Babilonem àb Angelo portatum, & reportatum fuisse, apprehensum capillo capitis sui: & *Petrum* Christi virtute supra mare ambulasse, & Phylippum ex AEgypti confinio in Azotum spiritu Dei deportatum fuisse: & Apostolos omnes, ex remotissimis orbis partibus, ad Virginis Deiparæ funus, momento temporis, conuenisse; vt credam potuisse Deum facere, vt Thomas etiam facili cursu Occidentales has, & Orientales Indias, in quibus martyrio coronatus est, diuina potentia perlustraret. Cætera eius Peruuiana vestigia, quę ad pręsens non pertinent, apud Chalanchanum videnda non prosequor.

Quod Thuribij nostri est, sua singulari pietate antiquum Apostolicę prędicationis monumentum, perpetuis generationum vocibus decantatum, adeò frequentibus alijs eiusdem Apostoli per eas regiones vestigijs comprobatum, vetusta gentium veneratione celebre, in propria ipsius diœcesi repertum, & rite recognitum, vir ipse Apostolicus, flexis genibus, cùm toto comitatu suo veneratus est, & osculis lachrymisque tenerrimè suauiabatur. Atque vt commodiori peregrinorum concursu coleretur, saxum inde ad vicinum Cauipali oppidum trahi cupiebat; Sed operis difficultate, & accolarum monitu factum est, vt ipsum in suo veteri loco, situque reliquisset. Dicebant enim Calatupam quendam, à Rege quondàm Guascare constitutum prouincię pręfectum, id ipsum irrito conatu ten-

tentasse: nec enim vllis operis, machinis, aut molitionibus lapidem suo loco dimouere potuisse, idque virtuti tribuens, constituit, vt Indi, quouis oriente sole, sacrum monumentum eodem loco supplices venerarentur. At Archiepiscopus Thuribius sanctiori instituto, Christianisque ritibus venerationem in Dei optimi Maximi cultum, & Sancti eius Apostoli Thomę memoriam frequentari iussit. Quod, vt commodiùs decentiùsque fieret, sacram ędem super saxum extruxit, quam pij peregrini ampliori pietate subirent, & dùm precibus intenti essent, ab aëris incommodis se tutarentur.

Sacellum Beatissimæ Virginis Copacauanæ.

Est in Peruuię prouincia Humasuya, crebris magnisque prodigijs celeberrima Dei Matris imago lignea, filium Iesum vlnis pręferens, quam, à primo miraculorum, & perpetui cultus loco, B. Virginem a Copacauana vocant. Huius exemplar in tabula depictum seruabant Limenses, magnum quidem & pulchrum; etsi, pro Indorum inopia, non satis honorificè habitum in ipsorum oppido suburbano *Cercado*, (quod nunc vrbis Limæ pomoeria contingit) in veteri, & agresti tugurio, seù eremitorio: Cùm vna dierum elucescente, tectum, & parietes ædiculæ destructa, ac dissipata visa sunt, & virginis Matris filijque icones cæli

iniu-

iniurijs expositæ. Cognitus impij facinoris nocturnus author ad supplicium quærebatur, cùm interim, cætera serenum, vtraque effigies tanto sudore repentè stillare cæperit, vt intra quatuor horas, quas perdurauit prodigium, duo calices sacri loquoris reuerenter collecti fuerint, qui varijs deinde morbis præsentissima medicina fuit.

Res ad Archiepiscopum Thuribium delata est: qui cùm sudoris miraculum, pro iuris norma rite discussum, ordinaria potestate sua comprobasset, ad solitum orationis studium recurrens præcepit, vt Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento in omnibus Vrbis Ecclesijs exposito, debitæ gratiæ Dei Matri pro tanto beneficio rependerentur, & placaretur offensum filij Numen; nè vnius peruersi hominis Sacrilegium in populum vniuersum redundaret; Sed sceleris reus si ita Domino placeret, capi, ac pro demeritis plecti posset.

Constituit etiam B. præsul prouisori suo, seu Vicario generali, vt, indicta publica supplicatione, Sacram imaginem ex veteri illo dissipato tugurio, solemni pompa, in Ecclesiam cathedralem transferret. Interea verò, dùm iussa Pontificis ad effectum disponerentur, omnium Ciuium concursus, ad sudoris miraculum conspiciendum fiebat. Ducebantur cæci, muti, manci, claudi, paralitici, varijsque morbis, & membrorum affectibus grauati, & cuncti per Sacri Sudoris attactum, sensibus, mem-

membris, & valetudini restituti, repentè sanabantur.

Quod cùm clarè vidisset homo Europęus, paralisi debilitatus, sed grauiori morbo Lutheranæ hęreseos corruptissimus, inter Catholicos ad Virginis diuæ præsidium confugiens, concepto voto, si sanus euaderet, promittens, se crediturum, non quod aliqui incautè scripserunt, Mariam Virginem veram Dei Matrem esse; (*Id* enim lutherani, alijque Europę moderni hęretici credunt) Sed, quod per summum errorem negant, sanctos, etiam Dei param, nostras preces audire, vel votis respondere posse. Nec citiùs pronunciauit, quàm illicò corpore sanus, mentis quoque morbum, (vt integra sunt beneficia Dei) simul depulsum sensit, firmiter credens quidquid Romana catholica sentit, & credit Ecclesia, seque Sacrę Limensis Inquisitionis tribunali sistens, clementer susceptus, & à pristina hęresi absolutus est. Tùm iterùm ex animo se se Virgini Deiparę mancipium deuouit, & in eius sacra ęde, dùm deinceps vixit, fideliter inseruiuit.

Verùm Thuribij in Mariam deuotio hic non stitit. Nam postquàm sacra effigies in Ecclesia cathedrali collocata, & frequentiori fidelium concursu culta, multis magnisque miraculis cùm ipso Copacauano prototypo concertare quodammodo videretur, Thuribius insignę sacellum, in eadem cathe-

thedrali templo, à fundamentis extruxit, adeò amplum, vt Confirmationis, & Sacrorum Ordinum Sacramenta in eo deinceps conferre ſoleret, & miraculoſam Virginis effigiem in eo honorificentiùs collocauit.

Quoniam autem tùm archetypa ſtatua, Copacauana, tùm hoc eius depictum exemplar Limenſe ad Indorum nationem pertinebant, ideò Beatus præſul ampliori huius cultui conſulens, Indorum ſodalitium in ſuo metropolitano ſacello inſtituit, quibus exercendi cultus, & piarum actionum normam ipſe præſcripſit, & Archiepiſcopali authoritate approbauit. Vt indè deincèps illud Sacellum Limenſe Virginis Copacauanæ præcipuum Vrbis Sanctuarium extiterit, quamdiù poſteà vixit Thuribius, & populorum frequenti concurſu, perpetuiſque Mariæ apud Deum potentiæ miraculis illuſtriſſimum. Nemo tamen ipſo Beato viro in eo frequentior erat, aut in fundendis precibus diuturnior: qui nimirum crebrò plures horas orationi intentus in eo morabatur.

Verùm ipſo in Cælum ſublato, cathedralis Eccleſia noua forma à fundamentis reſtituenda fuit: & quoniam Thuribiani Sacelli ſitus nouæ fabricæ ſymetriæ impedimento fuit, ipſum demoliri oportuit. At ne Matris Dei cultus indè diminueretur; noua ædes eidem, Indorum ſodalium ſumptibus excitata eſt in ſuburbio S. Lazari, adiuncta domo habitationi Sacerdotis; qui, vt Vicarius parochi

Metropolitani, Ecclesiæ, & animarum curam gerit, & Missas in ea quotidie celebrat, omnia disponente Archiepiscopo Bartholomeo Lobo Guerrero.

Opere igitur ex omni parte absoluto, illa sodalitas Indorum, cum sacra effigie anno 1633. die 28. Decembris, illuc translata fuit, assistentibus Archiepiscopo Ferdinando Arias de Vgarte, & Prorege Comite Chinchonio: appensa in eodem Deiparæ templo sola B. Thuribij, vt primi fundatoris imagine. Ciuitas autem Limensis perpetuis Deiparæ beneficijs grata, quæ etiam in hac noua æde non cessant, singulis annis, ipso die 28. Decembris, quo illa translatio facta fuit, & miraculosus ille sudor apparuit, cum solemni supplicatione, ad suburbanum illud virginis Sacrarium, magno concursu, & pietate procedit, ibidem feruenter assistit solemni sacro, & prædicationi Verbi Dei; in qua Mariæ dignitas extollitur, nec Thuribij tacentur encomia; cuius pio studio, per misericordiæ Matrem, tantum suum bonum complaudens Vniuersa Ciuitas acceptum refert; Et sodalitij Confratres reliquo anno, iuxta leges a Thuribio acceptas, Deiparæ laudibus alijsque, pijs operibus deuotè insistunt.

Cœnobium Virginum S. Claræ, & Reclusiorium mulierum malè nuptarum.

Beatus Thuribius Alfonsus Mogrouejus, inexha-

haustæ suæ charitatis amplissimo sinu, omne genus hominum suæ curæ pastorali commissorum amplectebatur; quibus pastorem, & Oeconomum se à Christo constitutum dicebat. Cùmque perpetua in cunctos beneficientia, corporibus, animabus, fortunis, ea præstitisset, quæ hucusque narrauimus, peculiare nihilominus studium posuit in conseruanda fragilis fæminei sexus integra pudicitia. Puellas in egenorum parentum domibus alebat. Reclusis omnia necessaria larga,manu tribuebat, visitabat frequenter, & verbi Dei pabulo Sanctissimisque documentis ad pietatem erudiebat, & in sanctimoniæ proposito fouebat, consolidabatque, ociosas virorum confabulationes saluberrimis legibus coërcebat. Et ipse, postlucanis horis, claustralium locorum muros circumeundo, pauco comitatu incognitus excubabat; Si omnia tempestiuè clausa, si cælestis sponsi laudibus intenta, si regularibus institutis, & synodalibus decretis conformia essent.

Intelligens autem periclitantium puellarum numerum adeò excreuisse, quòd vel parentibus orbæ, vel alioquì non satis custoditæ essent, vt sibi non suppeteret, quo cunctis consulere posset: aut si suppeteret, id præsentibus tantummodo vsui fore, non post ipsius mortem futuris. Nec paucas esse iuniores fæminas, quas malè nuptas vocant, quod vel iusto diuortio, vel cæteroquì necessaria, diuturnaque virorum absentia, ab ipsis separatæ, at-

que adeò maiori honestatis discrimini expositæ; quo sui quodammodo iuris, maiori libertate in proprijs domibus solitariam vitam degerent. Excogitabat vtrisque commune, perpetuòque duraturum remedium, per quod supremæ maiestatis lædendæ crimina præuenirentur. Idque fuit, vt quemadmodum priùs Limæ in Xenodochio charitatis, ætate, & valetudine inutiles Vetulæ simul collectæ fuerunt, & pauperes puellæ constitutæ, quæ quùm ipsis ad tempus inseruirent, ex communibus hospitalis Elemosynis dotem pro labore acciperent: quibus ipse Sanctus Antistes, præter crebra, largaque subsidia, quę pro occurrentibus occasionibus in communem Xenodochij vsum conferebat, bis mille pondo nummos collocandis illis puellis in singulos annos largiebatur. Ita etiam pro iuuenibus nuptis à coniugibus separatis claustrum construeret, in quo etiam illæ Virgines procul periculo custodirentur, donec nuptui tradi possent.

Erat tùm Limæ vir bonus, & locuples Franciscus de Saldaña, qui, cùm Thuribij desiderium cognouisset, laudauit propositum, suasque facultates, & personam operi promouendo obtulit, vt illis alleuiarentur sumptus ædificij, & persona reclusis fæminis extra claustrum semper seruiret. Erant autem opes quatuordecim circiter millia pondo. Hac re lætus Antistes, adiuncto propriorum nummûm, non paruo numero, quæ sexaginta millia fuisse in monasterij tabulis reperitur, nouem impri-

primis vrbis domorum insulas, ad forum maximum coëmit, & in claustralem formam reduxit, ex ædificatoque templo, & claustro, cæterisque interioribus officinis muro cinctis, Deo sic disponente, incidit animo, magis expedire, vt nuptæ seorsim, virgines autem ab earum conuersatione seiunctæ cùm sublimioris instituti ratione degerent. Igitur minorem operis partem nuptis recludendis accommodari fecit, in qua, tanquam in communi gynæceo, per grauem aliquam matronam regerentur. Maximam verò partem in cœnobium Franciscanis Virginibus, sub S. Claræ regula, & Archiepiscopi regimine victuris, assentiente Saldaño conuertit.

Applicabat, præter proprias pecunias, huic operi Thuribius mulctas omnes, quas inter visitandum prouinciam, delinquentibus imponebat. Scripsit etiam Regi, qui & propositum summopere laudauit, & Ludouico Velasco, Regio suo in Peruuia Vicario iussit, vt terras ad victum, & mitatarum (sic Indorum distributiones vocant) sufficientes partes monialibus ad obsequia assignaret. Assignauit ille fundum annui reditus mille pondo, & seruas plurimas. Applaudebant omnes tàm vtili, tàmque sancto instituto, vt quotidiè confluerent multorum liberæ, & copiosæ oblationes, etiam Indorum, de quibus hęc ad Clement. VIII. Pontificem scripsit ipse Thuribius.

Multę eleemosynę ab Hispanis, Indis, alijsque, magno

magno charitatis ardore collatę sunt. Et ex Indis quidem circiter bis mille iumenta, magnum pondus argenti, pannorum, supellectilis, tritici, leguminum, pecudum; vt ego obstupuerim, cùm tàm multi neophitorum tanto feruore me quęrerent ad eleemosynas contribuendas, dicentes quòd vellent benefacere animabus suis: Quę si cuncta recensere vellem, tempus mihi non sufficeret, & sactitas vestra miraretur, multasque Deo grates redderet, intelligens quanto animo, quàm prona, & prompta voluntate, & spiritus feruore suas offerrent eleemosinas isti Indi. opus Dei est hoc Monasterium, ex quo multa bona in rempub. deriuabit; proptereà ipse iuuat, & promouet. Animus meus est, vt ingressurę Moniales sint Franciscanę, Ordinario subditę, iuxta fundationem, & fundatoris voluntatem. Hæc ad Pontificem solita sinceritate Thuribius.

Perfecto autem opere monasterij, & clausura nuptarum, anno Christi 1605. die decima Septembris, publica solemnitate introductæ sunt omnes, (de nuptis postea dicemus) Virgines verò è celeberrimo cænobio Limensi Incarnationis, Ordinis S. Augustini, S. Claræ regulam deinceps professuræ quatuor, Iustina de Gueuara, cum nomine & officio Abbatissæ, & aliæ tres; & si non minoris meriti, sed non æquæ authoritatis, Anna de Illescas, Barbara de la Vega, Elizabetha de la Fuente: quibus omnibus & singulis id encomij superabundat,

dat,

dat, vt ab Archiepiscopi Mogroueji prudentia, ex multis probatissimis electæ sunt, & ipsius zelo deinde satisfecerint, adiunctis duodecim Virginibus, Veterum nobilium expugnatorum Peruuiæ filiabus, ex vniuersa Limensi prouincia selectis, quæ parentum dignitatis, propriæque virtutis titulo, absque alia dote susceptæ sunt.

Vt verò celebrior, sanctiorque esset ipsarum ingressus, & ascetica clausura, quæ eodem die consignata fuit; prælata est, atque in summa templi ara collocata, tanquam filij sui sponsarum & incomparibilis suæ Virginitatis æmularum patronæ, & protectricis, Beatissimæ Virginis, vt in Hispania vocant, peñæ Franciæ imago, quæ in quodam eremitorio, seu solitaria ædicula priùs populo Limensi valdè venerabilis fuit. Sic verò cuncta Beati Thuribij opera, benedicente Deo, prosperè procedebant, vt hoc Sacrarum Virginum cænobium tanto augmento creuerit, vt anno inde quinquagesimo, incohabitantium fęminarum numerus quingentesimum excesserit. Erant enim Virgines, quas veli nigri vocant, ducentæ quinquaginta, reliquę nouitię, laicę, oblatæ, & seruitrices. Annui prouentus erant duodecim millia pondo, nunc verò millia viginti quatuor superant, & incolarum numerus, quem alio opere recensuimus; sexcentę nonaginta quinque.

Ludouicus Rodriguez de la Serna, Prętor Limensis, in hoc S. Clarę templo quatuor sacellanos insti-

instituit, eorumque primicerio constituit annui census pondo sexcenta, reliquorum cuique quadringinta, & sacrarij pręfecto centum, cum obligatione assistendi diuinis Officijs, quę in hac Ecclesia tùm diti splendidoque ędis apparatu, tùm virginum vocali cantu, & fidium peritia, adeò solemniter celebrantur; vt scriptores, qui sępe experti sunt, Angelicum chorum pręferre dicant, & singulare nomen inde obtinuisse. Incolarum innocentiam, & regularis disciplinę profectusque studium tanti ęstimauit Beatus Thuribius, vt moriens constituerit, vt suum cor apud ipsas deponeretur, quod postea factum est, corde tanquàm pretiosa gemma decenter cōdito in muro post altare maius: vbi a Iudicibus Apostolicis in causa canonizationis ritè recognitum, ac denuò repositum fuit, & magna cura seruatur, cùm sequenti Epigrephi quam illi posuit Doctor Petrus Villagomezius, Archiepiscopus nuper Limanus.

CORDI

Illustrissimi, ac Reuerendissimi D. Thiribij Alphonsi Mogroueji, inter Diuos merito adscribendi, sepulto Limæ in cænobio Sanctæ Claræ.

Epitaphium.

Huic tradi iussit proprium Thuribius Vrnæ
Cor; donec (sicut spiritus) astra petat.

San-

Sanguine quem clarum genuit Maiorica, Villa,
Vallisoletum nutrijt, excoluit.
Hinc à Salmantinis, qui dicuntur Oueti,
Collegis rapitur, dignus honore togæ:
Granatæ censor fidei, a Prudente Philippo
Limanos populos, vt regat, eligitur.
Commissam rexit blando moderamine sedem;
Subiectis placidus, pauperibusque pius.
Concilijs docuit Peruanos dogma salutis,
Effectus speculum, normaque Pontificum.
Fundauitque domum Pueris, quam sacra docendis
Tridenti Synodus iusserat erigere.
Hocque Monasterium struxit Monachasque Sacrauit
Vt Domino fundant nocte, dieque Melos.

Postquàm Sacræ Virgines in hoc cænobio aliquandiù vixerunt, censuerunt quieti suę incommodum, & perfectioris, quam profitebantur, vitę instituto minus decorum, corruptas fœminas, & seculi negotijs, ac diuortij litibus implicatas, tam vicinas habere, angustarique spacium, in quo monasterium suum dilatare possent. Obtulerunt, se nuptarum claustri pretium è monasterij reditibus persoluturas, quo alia domus procul inde nuptis ædificaretur. Res Beato Thuribio iusta & honesta visa est, placuitque in Monialibus zelus Virginitatis, & monasticæ quietis, statimque consensit, atque aliud reclusorium remotiori situ pro nuptis ædificauit, addito Sacello, & constituto Sacerdote, qui

curam eius ageret, & quotidiano sacro, reclusis inseruiret. Eoque traductæ sunt die vigesimo quarto Decembris, anno 1609. post Thuribij decessum quinto: & vetus ædificium, virginum cænobio adiunctum fuit. Thuribius denique vtrumque opus arte mirabili, glorioso diademate coronauit: nàm postquàm tanto studio, tantoque suo sumptu, & prosperitate successus, tantum bonum vtrique reipub. præstitisset; qua tamèn pollebat profundissima humilitate, nihil in eo sibi tribui volebat, sed totum honorem fundationis in Franciscum Saldañum redundare. Sic enim in litteris, quas ante memorauimus, ad Clement. VIII. Pontificem scripsit.

Fundauit hoc monasterium bonus vir Franciscus de Saldaña, & omnes facultates suas dedit, quæ duodecim vel quatuordecim millia pondo valebant, seque absque salario, in vitam, eius obsequijs obstrinxit, affirmans se velle esse perpetuum mancipium cænobij, &, si Sacerdos esset, in Sacellani officio tota vita gratis ministrare. Philippus Rex per me certior factus rescripsit, vt quemadmodum cupiebat, vt hoc opus in obsequium Dei, & reipub. vtilitatem cederet, ita suæ regiæ Maiestatis nomine gratias illi agerem, ipsumque iuuarem, omnique fauore prosequerer. Scripsitque suo Proregi, vt fundos, & Indorum famulicium monasterio assignaret. Tanti fecit Thuribius pium affectum, donumque Saldañi, vt cùm ipsum apud Regem.

gem & Pontificem celebraret, suam verò vel industriam, vel liberalitatem nec tantilli penderet, nec memoraretur, nec in tanto opere quidquam sibi tribueret: cum tamen, præter solertissimum studium, longè maiorem vim pecuniarum ex ipsius Archiepiscopi prouentu, quam ex Francisci, simul & reliquorum omnium donationibus collatam fuisse scribant alij.

Seminarium Archiepiscopale.

Quod vltimo loco referimus, non vltima Thuribio cura fuit, erectio Seminarij Archiepiscopalis: quod ipsius Pôtificiæ dignitatis maximè proprium fuit: Et in cuius erectione, cum non impari liberalitate, zelo, & animi moderatione concertabant, tùm obedientiæ & patientiæ virtutes, tùm Ecclesiastici iuris tuendi constantissima fortitudo, & prudentia. Imprimis enim cùm Sancta Synodus Tridentina statuisset, vt singulæ Cathedrales, Metropolitanæ, atque his maiores Ecclesiæ, pro modo facultatum, & diœcesis amplitudine, certum puerorum ipsius Ciuitatis, & diœcesis, vel eius Prouinciæ, si ibi non reperiantur, numerum, in Collegio, ad hoc propè ipsas, vel alio loco conuenienti, ab Episcopo eligendo, alere, & religiosè educare, & Ecclesiasticis disciplinis instruere teneantur. Thuribius etiamsi huius œcumenicæ synodi zelator obseruantissimus, quia cuncta sua ope- Sess. 23. cap. 16.

ra iudicio, & ratione dirigebat, non temerè, sed per partes, & præuias dispositiones agendum censuit.

Statim igitur atque in prouinciam appulsus est, conuocauit Concilium Prouinciale, & communibus patrum suffragijs, qui in Seminariorum sumptus contribuere debebant, allegata priùs Tridentinæ Synodi authoritate, in hanc formam decerni obtinuit: Atque illud maximè perspicuum est, nullam in hoc salutari instituto Ecclesiam perindè, vt hanc nostram Indianam, in qua nouæ plantæ Euangelicæ accuratè nutriendæ sunt, & ad propagandam Christi fidem instituendæ. Hæc Sancta Synodus officium suum agnoscens, Episcopos omnes, atque pastores, ex parte omnipotentis Dei obtestatur, atque eorum conscientias, quantum potest, onerat, vt in Ecclesijs suis quamprimùm Seminaria prædicta puerorum excitanda curent, omnibus impedimentis quacumque ratione postpositis. Verùm hæc tam solida propositi fundamenta Thuribij prudentiæ, & longanimitati non satis erant, vt rem aggrederetur, Dùm Concilium prouinciale Pontificijs, Regijsque rescriptis acceptum, & communitum cerneret. Aduertit enim occulatissimus præsul, taxationem contributionum, quas Concilium prouinciale iuxta Tridentini constitutionem decréuerat; non omnibus comprehensis æquè placuisse, ac propterea nihil violenter vel imperiosè tentare voluit. Erant autem tribuendi tres nummi

Cōc. 1. prou. Act. 2. cap. 44.

ex.

ex singulis centenis obuentionum cuiusque comprehensorum.

Accepit autem post annos, vt ante diximus, octo Pontificiam Concilij Prouincialis approbationem, in cuius discussionis notis, quas nos, Madritensem editionem secuti, eidem Concilio, in Lima Limata subiunximus, hæc vltima est: *Postremò*, *Actionis secundæ decretum vltimum de Collegio Seminario instituendo, & de contributione facienda, reclamante quoque appellatorum procuratore confirmatum est, propterea quòd Concilij Tridentini institutum nusquam æque necessarium sit, atque in nouis Indorum Ecclesijs, quæ ministrorum, & numero, & facultate magnopere indigent.* Accessit Catholici Regis diploma, quo Proregi *Peruuiæ* cæterisque omnibus, & singulis suæ Maiestatis in ijs regionibus ministris præcepit, vt illius Limani Concilij Prouincialis decretis complendis, & executioni mandandis omnem nauarent operam, seu dent, at dari faciant omnem fauorem, & auxilium, quæ conueniant, & necessaria sint: &, vt contra ipsum Prouinciale Concilium, vel vllam eius partem vllo modo non eant, vel transgrediantur. Lima Limata pag. 53.

Postquàm igitur suprema potestas Pontificia, omnia, & singula Concilij *Prouincialis* decreta, atque adeò specialitèr illud de Seminarij erectione, & contributionibus, non solùm approbasset, sed etiam executioni, & effectui mandari præcepisset,

Thu-

Thuribius consummata hac authoritate fultus, vt nemo iam reclamare sine crimine posset, nihilque amplius cunctandum ratus, manum operi apposuit, electoq; situ, domum in eo proprijs suis pecunijs emptam, intereà, dùm ex ipsius Seminarij prouentu plures adderentur, in Collegij formam redegit, triginta circiter Adolescentibus in eo statim collocatis, constitutoque Sacerdote Rectore, qui curam ipsorum regiminis ageret; atque imprimis inuigilaret, vt, iuxta Tridentini, & Prouincialis Conciliorum decreta, religiosè educarentur, & Ecclesiasticis disciplinis instituerentur.

Creuit viuente Thuribio numerus Alumnorum ad quadraginta, & præter habitaculum, quod proprijs impendijs comparauerat, quidquid ad eorum sustentationem ex taxata per prouincialem Synodum contributione non sufficiebat, ipse ex proprijs itidem adiunxit, vt integri annui prouentus essent millia pondo quatuordecim. Ex eo Alumnorum numero erant sex pueri chorales, quorum peculiarem curam agebat chori Cathedralis Ecclesiæ prefectus, qui cantum Ecclesiasticum, & sacros ritus docebat; ac ad hunc finem ipsi quoque locus in collegio datus est. Ex reliquis, quatuor per vices; singulis diebus festiuis in eadem Cathedrali Ecclesia solemnibus Officijs, & altaris ministerio seruire tenentur. Adolescentum omnium vestis est toga talaris, coloris fusci, & obella, seu stola quam in Hispanorum Collegijs Beccam vocant, & nos ali-

bi

bi descripsimus, cerulea. Fundator ipse Collegio titulum indidit, tutelaris sui nomen S. Thuribij; cuius nominis Sancti tres antiqui in Hispania coluntur, Episcopus Astoricensis, Episcopus Palentinus, & tertius, qui in Hispania S. Leonis Magni Romani Pontificis Notarius fuit; de quibus Tomayus in Martyrologio Hispano. Sed eorum numerum breui augendum expectamus conscribendo B. Thuribio nostro nomine sanctitatis.

Cæterum hęc & reliqua ipsius instituta, magno Limensis Ecclesię fructu, adhuc in Collegio perdurant, & florent; pręterquàm quòd Beccarum, seu scholarium eis insignitorum numerus ad vigesimum quartum deinde reductus fuerit, qui morum disciplinam, & latinas litteras, Indorumque linguas ab ipso Collegij Rectore domi discunt; ritus autem Ecclesiasticos à pręfecto chori Cathedralis, cęteras facultates in scholis Academię. Multique eorum in vtraque republica pręclari viri euadunt: in quibus numeratur D. Bernardinus de Almansa, primùm Archidiaconus Ecclesię Platensis in India, mox in Hispania Logroniensis ac Toletanus hereticę prauitatis Inquisitor, deindè Archiepiscopus S. Dominici in Hispaniola, ac demùm noui regni Granatensis, vbi obijt. Erat ipsum S. Thuribij Collegium hoc limanum primum omnium, quę ad Concilij Tridentini normam in Indijs erecta sunt. Quantas verò molestias, quanta virtute & laude sui in eo fundando pertulerit Mogrouejus, sequentibus proferemus.

CA-

CAPVT XL.

B. Thuribius Sacerdotalis, Regijque iuris æquus, & strenuus vindex.

QVanta Christianæ Reip. salus in Sacerdotalis, & Regiæ Monarchiæ ordine, & vnanimi consensione sita sit; vel breuissimus ille trium, quatuorue versiculorum psalmus centesimus trigesimus secundus nos docet, quem Regius psaltes totius Israelis Imperium adeptus, ipsius populi felicitatem inde manentem, in Dei laudem referens, lætus cecinit.

Psal.132. *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum, habitare*
Fratres in vnum.
Sicut vnguentum in capite, quod descendit
In barbam, barbam Aaron.
Quod descendit in oram vestimenti eius:
Sicuti ros Hermon, qui descendit in montem Sion.
Quoniam illic mandauit Dominus benedictionem,
Et vitam vsque in seculum.

Quanquàm enim de duodecim tribuum reductione sub vnius Regis potestatem, ad litteræ sensum scriptus sit; per allegoriam tamen, de vniuersę Christianę Reip. Monarchia intelligi debet; vt cuius partes, ordinem, vtilitatem, & iucunditatem,

ad

ad viuum exprimit. Caput enim Christus est: Aaronis barba, Sacerdotium: ora superior vestimenti, quæ collum cingit, & humeros contegit, regni corona est; cuius temporalis potestas munit Ecclesiam; & pondus authoritatis eius suis humeris sustentat: Vnguentum, gratia Dei, ex variorum charismatum aromatibus confectum, per quam & sanitas, & odor suauitatis, à Christo in Sacerdotem, indèque in Regem defluit, quandiù membra capiti, & sibi mutuò concordi charitate, & communicatis viribus, recto ordine cohærent. Tùm enim per ordinem, ex vno in alterum emanat vnguentum, & mandat Dominus benedictionem, & vitam vsque in Seculum. Vterque sua cuncta in pace possidet, & prosperatur: quo nihil vtilius, nihil honestius, nihil iucundius. Quod si turbetur ordo, si dissoluatur vnio, tunc pars abscedens rore benedictionis, & vitæ vigore destituitur, vt innumera historiarum, nostrique æui exempla manifestum faciunt, quæ prudenti lectori meditanda relinquo. Nam, vt Iuo Carnotensis ait, Reges Pontificibus indigent pro æternis: Pontifices Regibus pro caducis, & temporalibus; Ita vt; quantum æterna pręstant caducis, tantum Ecclesiastica potestas mundanam dominationem antecedat.

Thuribius ergo Mogrouejus, vtriusque reip. bono natus, iubente Christo, reddere, quę sunt Cęsaris, Cęsari, & quę sunt Dei Deo, diuina hac Matth. 22.

numismatis inſcriptione diſcernebat imagines, hac bilance librabat amborum merita, & iuſto pondere, quod ſuum erat, reddebat vtrique. Pro munere Sacerdotij ſui, res Dei ſic prouehebat, ſtrenuèque propugnabat, vt eodem ſtudio, eiſdemque Sacrarum rerum diſpoſitionibus, regia quoque vectigalia in immenſum auxiſſet. Et quam priùs timore coactam Rex vix habebat Indorum obedientiam, etiam ex amore & conſcientia liberam, promptamque illi ſubdidit, & regalia iura, quod ad eum pertinebat, integra, certaque eſſe fecit: vt de Peruuiæ regno per ſpirituale Thuribij gubernium dici poſſit, quod de Romano Imperio ex Apoſtolorum regimine dictum eſt; Minus eſſe quod bellicus labor illi ſubdidit; quàm quod pax Chriſtiana, & Thuribiani Canones ſubiecerunt, eiuſdemque B. Præſulis zelus, & prudentia conſeruarunt.

S. Leo Papa Ser. 1. in Natal SS. Pet. & Paul.

Act. 2. cap. 1.

Horum immoble fundamentum fuit, quod in primo Concilio prouinciali Thuribij, per Sedem Apoſtolicam approbato, ipſe decreuit. Vt eius canonicæ ſanctiones ſeruarentur, ſaluo in omnibus iure patronatus, per Sedem Apoſtolicam Catholico, atque inuictiſſimo Regi Philippo, cæteriſque Hiſpaniarum Regibus conceſſo: quod, inquit, per omnia illæſum conſeruatumque cupimus. Cuius conſtitutionis perpetuæ, & inuiolabili obſeruantiæ, non ſolùm per ſe ſtudebat Thuribius, ſed miniſtris quoque ſuis, & ſuffraganeis Epiſcopis

can-

eandem inſtanter, ſerióque commendabat. Si in Regis obſequium conſcribenda militia: ſi deducenda colonia; ſi in operas diſtribuenda mita: ſi cenſus in ſingula capita colligendus: Si aliud quidpiam conſtituendum ſit, ad quod populi totius numerus, nomina, & ſingulorum qualitates ſcitu neceſſaria forent; Thuribius id iam, Dei negotium agens, in promptum poſuit; cùm Synodalibus inſtitutis decreuit, ſingulorum baptizatorum, Confirmatorum, & connubio iunctorum: Hiſpanorum, Indorum, aduenarum: Confeſſorum, & communicatorum: catechizandorum, vtriuſque ſexus paruulorum: mendicorum tam aduenarum quam natiuorum: Indorum omnium cuiuſque paræciæ coniugatorum, liberorum, puerorum, puellarum, vetularum nomina, cognomina, patrias, parentes, ætates, patrinos, Sacramentorum miniſtros, ac teſtes miniſterio præſentes: ſigillatim notatis: qui omnium defuncti, qui ſuperſtites, quo loco, anno, & menſis die, quæ cuiuſque conditio & ſtatus; quique Sacramentis idonei, qui tributis obnoxij, & qui ſecùs, per ſingulos annos, à ſingulis parochis in albo conſcribi, eorumque prothotypa apud parochos ipſos perpetua cuſtodia diligenter ſeruari; ectypa verò, parochorum reſpectiuè ſingraphis munita, ſub grauium pænarum interminatione ad archiuum Limenſis Eccleſiæ metropolitanæ mitti præcepit. Vnde ſemper in vrbe depromi poſſint. Quo nihil vtilius, aut ſacræ reip. magis neceſſarium

esse, in ipsis *Synodorum* sanctionibus per grauia verba & claras rationes demonstratum est: Quantum verò in politicam inde possit manare commodi, res ipsa manifestum facit: tantum enim in varijs multisque rerum dispositionibus, valet, ac si populum vniuersum præ oculis præsentem haberes.

Quandò Thuribius, vt sacrorum ministri Indos ad doctrinam, & Sacramentorum vsum, sublatis recidiuæ superstitionis opportunitatibus, collectos haberent, vagos exlegesque homines ex montium & syluarum antris, magno suo labore, & vitæ periculis in oppida reducebat; eadem industria oppida ipsa, & regias præfecturas numero & incolarum frequentia multiplicabat: in quibus Barbari politicè viuere, præfectis obedire, & agros, alioquin desertos, colere, mutuumque commercium exercere cogerentur, magno sui ipsorum, & regij prouentus incremento. Quando regia vectigalia, vsurpato quasi monopolio, defraudabant tùm presbiterorum aliqui, tùm ipsi seculares oppidorum, districtuumque *Præfecti*, opificiorum omnium, mercimoniorumque lucra ad se ipsos trahentes: atque illi Ecclesiasticæ libertatis obtentu, ac isti iustitiæ ministrorum, vt erant, iniusta authoritate, vectigalium collectoribus nullam rationem reddere vellent. Thuribius, vt Dei causam ageret, quæ his rebus plurimum turbabatur, eiusmodi lucra per Ecclesiasticas censuras, & Synodorum constitutio-

nes

nes vtrisque prohibuit, mercimonijs & opificijs ipsis oppidanis liberè relictis;eadem opera populum ipsum, iuxta Dei, Ecclesiæ, & Regum leges, quieti & libertati restituit,& regium fiscum certum, securumque reddidit: ac populos eidem subiectos, sacerdotum studio, & spirituali animarum regimine in officio continebat.

Quandò ab *I*ndis variorum liquorum vsum sustulit, in quo priscos idololatriæ ritus miscebant; eisque poti, & inebriati, arma, cum copiosa Christiani sanguinis effusione, in Hispanos conuertebant; non integritati religionis tantùm, sed & politici status tranquillitati, & regiæ militię, ac reipub. securitati consuluit. Vbi in Sÿnodis diœcesanis decimarum partitiones exposuit, Regiorum iurium haudquaquam oblitus est: Quin etiam eas persoluendi debitum, vtilitatem, necessitatemque declarans, regni leges, regia iura memorantes, sacris suis constitutionibus interseruit: Certè quanto animo, & amore iusta Regis emolumenta in omni occasione promouerit, vel ex Bullæ Cruciatæ, quam vocant, inter Indos, Indiarumque Hispanos, per ipsius maximè industriam progressionibus, palàm est: ne repetam quantas Archiepiscopalium prouentuum summas, eleemosynarum nomine, in Regios milites alendos vltro contulerit: vel quas, ad fidei, & Christianorum defensionem rogatus concesserit. Nec vnquàm auditus, aut visus est, regijs prærogatiuis, vel iustis ministrorum eius mandatis,

datis, verbo vel facto derogasse; quin potiùs iniusta subinde, magna patientia, & animi, verborumque moderatione vicisse: semperque tàm clero cum eis pacem, & amicitiam collere, quàm populo debitam illis subiectonem & obedientiam præstare: atque ipsis vicissim iustitiam & charitatem erga subditos persuadere: & quantum ex pastorali officio debuit, vtrisque præcepto & exemplo præire. Multa prætereo, pauca hæc, sed præcipua, cęterorumque fundamenta sufficere ratus; vt palàm fiat Beatum Archiepiscopum, ità diuinis, & Ecclesiasticis rebus per omnia prouidisse, vt politaca iura, & Regis emolumenta promouisset magis, quam prępedisse, vel conturbare vellet:

Quæ cùm per litteras præfectorum, in alijs quibusdam rebus Thuribio minùs fauentium, & per publicam famam cognouisset Catholicus Rex Philippus, grati sui, obstrictique animi, & beneuolentiæ professionem ad eum per litteras misit; quas in rei veritatis, & narrationis nostræ comprobationem attexendas censui ex Hispanico latinas.

Rex.

Admodum R. in Christo Pater, Archiepiscope Ciuitatis Regum, in Prouincijs Peruuiæ, Nobis à consilijs. Per litteras Marchionis Cañetensis intellexi, quanti momenti fuerint, consilium, auxilium, & bona media vestra, vt cum tanta concordia, amore, & fidelitate, suscepta sint consulta, per quę Nos, vt omninò necessarium fuit, habea-

mus,

mus, quo hæc regna defendere, & conseruare possimus. Nàm postquàm patrimonium meum in Christianitatis defensionem impendi, & consumpsi, tanta me necessitas pressit. Et vtcumque hoc officij vestri proprium sit, & ęstimationi, quam de persona tua conceptam retineo, valde consentaneum; gratias habeo, huius beneficij memoriam in vestri fauorem retenturus; illasque repensurus, vbi vel honor vester, vel profectus id postulabit. Apud S. Laurentij, vndecimo Augusti. 1593. *Ego Rex.*

ex mandato Domini N. Regis.

Ioannes de Ibarra.

Sic teste Cęsare, quę sunt Cęsaris, Cęsari reddebat Mogrouejus, consilio, auxilio, & bonis medijs, vt faceret, quod expediebat, Deo dignè seruiret, & exoneraret conscientiam, ac vt nemo eum in his arguere posset de peccato; quem, alioquin aduersarius, apud Regem laudat, ac talem opinionem de eo conceptam Rex ipse retinere se, & rependendas gratias porrò conseruaturum promittit, nèc vnquam pręstandis defuit.

Nunc verò, quę Dei sunt, in maioribus ita satagebat Beatus hic Sacrorum Antistes, vt in minimis ea minimè negligeret: In quibus adeò religiosus fuit, vt inter grauia dubia, quę ad curiam Romanam soluenda detulit, ritualia hęc etiam proposuerit: An, dum *Gloria* & *Credò* in Missa cantantur, sedère, vel stare populus debeat? et: An verba

pro

pro Papa, Regibus, & regia prole, vt alicubi consueuit, nouissimæ Missarum collectæ iungi possint? minutioresque ritus, in nouis tunc B. Pij V. Pontificis breuiario & Missali Romanis præscriptos, exactissimè obseruaret, & per alios obseruari faceret, atque in concilijs suis prouincialibus, etiam Episcopis obseruandos constitueret. Abusus autem sustulit, districtè prohibendo, nè Missalis liber Proregi, Gubernatori, aut alteri cuiuis ad osculum Euangelij præberetur, præterquàm Episcopo in sua residentia. Quod & Regularium Ordinum superiores rogauit, vt in suis Ecclesijs obseruarent. Nè vel eidem Proregi, vel alijs, in seculari gubernio constitutis, osculum pacis, quod in Missa datur, per patenam calicis exhiberetur: vel ipsa pacis tabella per ministros altaris in populum circumferretur; aut per personas Ordine sacro initiatas, cuiuscumq; etiam dignitatis, fæminæ porrigatur. Nèc in Sacrorum cinerum, palmarum, & similium distributione ijdem Domini, vel alij laici, ecclesiasticis personis præferantur. Nè ecclesiarum ornamenta, aut vllæ res sacræ alijs vsibus, quàm quibus consecratæ, vel destinatæ sint, prophanis præsertim, aut ludicris vllatenùs accommodarentur. Nèque clericales, aut regulares vestes, aut laruatæ personæ in scenicis ludis vsurpentur, vel ipsæ personæ Deo sacræ partem vllam in eis agere præsumant. Sed & clericis, & religiosorum Ordinum decori consulens, omninò vetuit, nè liberi Eremitæ, vllius eiusmodi

modi ordinis biretum, præſertim clericale, vel re-
lioſum capitium vſurpent; nigra quidem veſte, &,
ſi ſtudio paupertatis velint, vili panno, & ſeculari
pileo induti omnes incedant; vt omnia honeſtè,
& ſecundum cuiuſque ordinem in illis fierent.

Vlteriùs: nè *P*rætores Indorum, vt Epiſcopi,
cum ſonitu campanarum, ſacriſtanis, alijſque Ec-
cleſiarum miniſtris, cum elata cruce, & eccleſiaſti-
co apparatu, obuiàm prodeuntibus, in pagis vel op-
pidis exciperentur: Quod & regiæ leges, vt eccleſiaſ-
ticam dignitatem non decens impropabant, ac Thu-
ribius parochos id permittentes, communione fi-
delium excluſos voluit. Tùm nè Sacræ Sacerdotum
veſtes, aut inſtrumenta ſacrificij, niſi ſub clauis
cuſtodia, de loco in locum per laicorum manus
transferantur. Eccleſiarum quoque, in quibus
Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſeruare-
tur, non portas tantùm, ſed & feneſtras ſeris & pe-
ſulis claudi voluit. Cæterùm omnes noctu occludi,
nec lectiſternia, vel fœminarum, virorumuè vigilias,
aut pernoctationes; vel interdiu rerum tempora-
lium ratiocinia, operarum diſtributiones, labori-
tia, merendas, aut vlla ſecularia negotia in illis
tractarentur; immo nec in cœmiterijs.

At nè pueri, vel alij laici promiſcuè ſacriſtiam,
campanile, vel alia ſacra loca ingredi, vel in eis mo-
rari, multo minùs loqui, aut confabulari ſinantur.
Legitur, dùm aliquàndo campanas male ſonantes
audiret, aſcendiſſe ipſe, & puero laico, quem pul-

ſantem reperit, dixiſſe: quo tu auſu munus hoc alienum vſurpas? Vade, ad ſacrarij præfectum, & meo nomine iube, vt vel ipſe huc veniat, vel mittat clericum Eccleſiaſtico ordine initiatum, qui pro officio trahat campanas: ac tùm ipſe Archiepiſcopus interim ſuis manibus traxiſſe, dùm idoneus miniſter aduenißet. Sic Mogrouejus perſonas, res & loca Deo ſacra, intuitu diuini honoris ſacroſanctè tractari voluit, & efficiebat. Quæ nos in noſtris ad Limæ Limatæ notis copioſe docuimus, conſona eſſe veteris Eccleſiæ legibus, Conciliorumque, & Pontificum ſanctionibus: quorum priſco zelo ſanctiſſimus hic Præſul ardere videbatur; Atque hæc, etſi magna, minora ſunt.

Grauiores reperit corruptelas, per quas eccleſiaſticam libertatem ſeculi homines nimiùm arctare conabantur, & Iura Dei, humana præſumptione confundebant. Dùm Regij locorum prætores, rerum eccleſiaſticarum poteſtatem, eaſque iudicandi, diſponendique authoritatem, vltra Regis ipſius voluntatem, ſibi vſurparent. Clericorum criminales cauſas cognoſcere, vel informationes deſuper inſtituere: ſtipendia Sacerdotibus taxare, vel arbitrio ſuo iuſta detinere: Eorum abſentias, ſeu reſidentiæ, vel doctrinę defectus examinare: Res ipſorum ſuſtentationi neceſſarias impedire: & eccleſiarum miniſtris in eorum miniſterijs obſiſtere: Sacerdotes, vel falsò, vel fraudolentèr accuſare: Ecclеſiarum fabricas & ornamenta, patronatus titu-

lo,

lo, contra Tridentinæ Synodi decreta visitare: Beneficiorum resignationes, è clericorum manibus suscipere, aliosque pro libitu substituere: Res vnius ecclesię, vel Xenodochij, in alterius vsum conuertere: Matrimonia seruorum impedire, & vxores prætextu iuris naturalis domicilij, à viris alibi habitantibus separare: Superstitionum, & idololatriæ prauitatem sine Ecclesiastica censura plectere: & id genus alia, quæ ad ecclesiæ spirituale forum pertinent. Sed Thuribius, Christi sponsæ zelantissimus custos, videns cuncta hæc à canonico iure aliena esse, & Ecclesiasticæ dignitati iniuriosa, seueris legibus, grauioribusque veterum canonum pænis, & efficacibus executionum medijs cohibuit, et sustulit; dùm nullas consuetudines, aduersus renouatas per ipsum veteres sanctiones, valere voluit: quas non consuetudines, sed abusus, et corruptelas esse declarauit, vetera iura reualidans, et quantum vsu, vel consuetudine caruissent, in vsum et consuetudinem reuocans, obseruarique iubens, et faciens.

CAPVT XLI.

Beati Thuribij constantia, mansuetudo, & inuicta patientia aduersitatibus exercentur.

QVoniam per ea quæ huc vsque diximus, Beaus hic Antistes acceptus erat Deo, gratus

gi, ecclesiæ honorificus, & populis proficuus, necesse fuit, vt tentatio probaret illum: permittente Deo, vt tàm ipsius Ecclesiæ, quàm seculi homines aliqui sanctissimis ipsius institutis aduersarentur. Quo fieret, vt abstersa rubigine, quam isti inducere conabantur, e fornace tentationis exiret aurum omni defecato Peruuiano purius: ac dissipatis nubibus, quas illi obducere tentauerunt; Simon
Eccl. 50. Oniæ, noster Thuribius, Sacerdos magnus; qui in vita sua suffulsit domum, & in diebus suis corroborauit templum, quasi sol refulgens, sic ille effulsisset in templo Dei. Et iuxta nomen suum, quasi thus redolens in diebus æstatis: quasi ignis Dei zelo effulgens, & quasi thus ardens in igne diuini amoris. Hinc enim omnia ipsius opera, vt ex trunco stolones, quasi virgulæ fumi ex aromatibus myrrhæ pænitentiæ, ac thuris perpetuæ orationis, cæterarumque virtutum vniuersi pulueris pigmentarij procedebant: vt pueritiæ suæ virili proposito per omnem vitam constanter insistens, vsque ad extremum diem, Deo dignè seruijsse probaretur.

Prima tribulatio, eaque triceps, Thuribio superuenit in celebratione primi sui Concilij prouincialis Limani. In quo primùm ecclesiæ beneficiorum possessores, collegij Seminarij contributionibus: & secundo loco clericorum non pauci, & oppidorum Prætores, lucratiuarum artium, & mercimoniorum prohibitioni sibi factæ se adeò fortiter opposuerunt, vt ad regium in Hispania Indi-

carum

earum rerum Senatum, & ad ſedem Apoſtolicam per procuratores, Madriti & Romæ diligenter agentes, prouocauerint. Sed vtrumque hoc caput ſanctus præſul, per octo vel nouem annorum longanimem patientiam, & vtriuſque decreti manifeſtam neceſſitatem euicit. Re etenim vtrobique diù multùmque vintillata, repertum fuit, Concilij Tridentini conſtitutionem de Seminariorum erectione nullibi terrarum, quàm in Indijs tunc magis neceſſarium, & contributionem trium è ſingulis centenis in Concilio Limano taxatam, ſatis moderatam fuiſſe; præſertim cùm eiuſmodi collegia ad auxilium beneficiatis ferendum, & ad Eccleſiarum, piorumque locorum, qui ſtipem conferre debebant, non vtilitatem tantùm, ſed euidentem quoque neceſſitatem inſtituta fuiſſent.

Cohiberi verò paroeciarum presbiteros, & locorum *P*ratores, à mercium, artiumque lucra ſibi vſurpando, adeò neceſſarium fuit, vt Concilij patres conſtantiſſimè teſtarentur, ſi id non fieret, ſe in concilij celebratione, reliquaque reformationis induſtria oleum, & operam perdidiſſe: vtpotè monopolium illud, quod presbiteri, & prætores vſurpabant, fidei progreſſibus, & animarum curæ vehementer obſtare; grauia neophitorum ſcandala, & libertatis fortunarumque perniciem gignere: Sed & regio fiſco nocentiſſimum eſſe, liquido compertum eſt. Qua propter Pontificis, & Regis iudicio, & voluntate, non ſolum decreta Thuribiani concilij,

cilij vniuersìm; & quæ ad Seminarium, & prædicta lucra pertinebant, in ſpecie comprobata fuerunt; Sed cenſuræ quoque excommunicationis aliæque pœnæ, quas ſaltem aduerſa pars ſublata cupiebat, confirmatæ, & inuiolabili authoritate corroboratæ ſunt: & vtriuſque poteſtatis imperio, Thuribius quidquid in his rebus prudenter conſtituit, & patientèr expectauit, pro ſua ſuauitate, et reuerentia tandèm conſecutus eſt.

Tertia tentatio acerbiſſima in eodem Concilio ſuſcitata, maioris periculi fuit; in qua nimirum perſona, et dignitas Archiepiſcopi violentiæ diſcrimen ſubierunt: Nàm, cùm poſt publicam apertionem Concilij, et celebratam primam eius actionem, per annum deinceps integrum, quotidiani congreſſus fierent, in quibus à pleriſque eccleſiarum, et ciuitatum procuratoribus, alijſque idoneis viris multi libelli inferebantur, quibus quiſque exponebat, quæ ad morum reformationem, ac totius Prouinciæ, et regni Indici vtilitatem pertinere videbantur: graueſque difficultates, et controuerſiæ matura tractatione, tàm voce, quàm ſcriptis complanatæ, compoſitæque fuerunt. Harum vna fuit cleri cuiuſdam diœceſis, cum ſuo proprio Epiſcopo; qui quanquàm cæteroquin aliorum locupletiſſimus, clerum tamèn ipſum, populumque varijs et inſolitis impoſitionibus deglubere dicebatur. Supplicabat proinde clerus, vt moleſta illa, et ipſorum iudicio iniuſta grauamina tollerentur, quibus

et

et sibi intolerabile detrimentum inferri, et populo in scandalum ea vergere contendebat. Episcopus rem in Concilio iudicari voluit. Sed Archiepiscopus delicti grauitatem considerans, clerique indemnitatem zelans, ac populi scandalum abominans: prudenter simul aduertit, accusati fiduciam in nummis, et conquisitis amicitijs collocatam fuisse, quæ non raro peruertunt iudicium; ac proinde cupiebat, et in congressu obtinuit, vt causa ad Sedem Apostolicam deferretur, vbi ad Sacrorum Canonum normam ritè discussa, procul partium studio, et absque iniustitiæ periculo decideretur.

Episcopus id sibi metuens, adscitis fauoribus, aliorumque duorum Antistitum, et regij Senatus primicerij, (qui defuncto sub id tempus Prorege, pro suo munere congressibus assistebat,) rem suam, quam ratione non poterat, vi agere cæpit. Alio namquè die dùm Archiepiscopus conuentui nondum adesset, vrgebat Episcopus, nè causa sua Romam remitteretur, rogauitque partiarios, vt acta denuò inspicerent. In quem finem à Bartholomæo Menacho, qui Concilio a secretis erat, pepijt scripturas; quas cùm ille, vt fidelis minister, inconsulto Archiepiscopo, Concilij totius, & congregationum præside, se reddere non posse responderet, illi cancellorum claues violenter extorquere tentauerunt. Eo agendi modo, quamuis offensum Deum, & se ipsum, iustè sentiret mansuetissimus Thuribius; non aliud tamèn offensi animi indicium

de-

dedit, quàm, vt ſcrinij claues ſibi deinceps cuſto-diendas retinuiſſet. Sed nondum ceſſauit aduerſantium auſus: adeò in tranſuerſum rapit homines tumor diuitiarum. Nam ille Politici ſtatus Senatorum Primicerius, accuſati Epiſcopi amiciſſimus, eamdem vim, quam ſacro miniſtro priùs, iterùm ipſi Sancto Archiepiſcopo inferre parauit, vt extortas ſcripturas omnes igni traderet. Quod vt ſecuriùs facere poſſet, familiares ſuos, & amicos armatos adeſſe voluit. At Beatus Thuribius, qui non ſperauit in pecunia, & Theſauris, inſidiarum inſcius, cauſam Deo commendabat, & pro Iuſtitia, & veritate conſtanter agere ſtatuit; Nec diuini auxilij ſpes ipſum fefellit.

Erat tùm Limæ Pretor Vrbanus Franciſcus Quiñionus, Archiepiſcopi Sororis Coniux, aliundè conſanguineus, & Archiepiſcopalis Aulæ ſupremus Præfectus, cuius ſæpius meminimus; nec defuit, qui neſciente Thuribio, ipſum Beati Præſulis periculi clam admonuiſſet, totiuſque moliminis, certum feciſſet. Tùm Franciſcus, tanquàm aliud agens, & ipſe ſtrenuos viros præparauit, vt quantum opus foret, Archiepiſcopum periculo liberaret: quo facto iniquiſſimum ſcelus, & inexcuſabile ſcandalum, prudenter, & abſque ſtrepitu præpediuit. Nàm intentati facinoris molitores, cùm ſe detectos cognouiſſent, à præmeditato auſu deſtiterunt. Veruntamèn quod rapere vi non poterant, aſtu ſurripuerunt. Erat quippe in ſcripturis alia quæ-

quædam quærela, quam, vt vnus ex illis prioris Episcopi patronis, cui id in congressu commissum fuit; inspecta causa in couentu referret, acta illi concredita fuerunt; Sed is cum domum rediret, artocreariam tabernam transiens, & furnum accensum videns, ingressus, chartas omnes in flammam coniecit, dicens, querelas aduersus Episcopos datas, sic examinari debere.

At vero Dominus exercituum nulla humana vi vincitur; nec infinita eius sapientia deluditur arte, sed finis acta probat. Post paucos quippè dies, quàm liberum se iam omni periculo, securumque putabat Episcopus ille. cuius auaritia totam tragediam exorsa est, finem eius in se ipso luctuosum sensit: & qui Vicarij Christi iudicio se sistere noluit, celeri morbo Limę correptus, ad ipsius Christi maximè tremendum tribunal euocatus est; quanquam nos piè credere debeamus, catholicum virum, & Episcopum, non absque pænitentia decessisse. Illi verò duo, qui ipsius partes agebant, (nam de Senatore nihil scio) vt studij sui honestatem Regi Senatuique Madritensi magis credibilem facerent, cùm de Sancto Archipiscopo, post alterius mortem, non sanctè scriberent, ex proprijs litteris iudicati, & acriter obiurgati sunt.

Atque hæc equidem, & alia, quæ cap. 28. huius historiæ, de Sacerdotum quorundam excessibus clementissimè correctis narrauimus, sufficienter explicant, quantas molestias a clero suo, quan-

ta virtute, quantis apud Deum meritis, & inter homines quanto honere pertulerit, & patientia sua superauerit Mogrouejus. Quas verò seculi homines, sub falsa larua regia iura tuendi, intentauerint; dùm proprio compendio & immoderatis animi affectibus inseruirent, ex ijs quæ proxime præcedenti capite exposuimus satis innotescit. Nihil tamen ipsius virtutem, & præclaram sacerdotalis animi constantiam illustrauit magis, quàm quæ ab vno, solo, sed potenti aduersario, pro Dei, & Ecclesiæ suæ causa fortiter prudenterquè sustinuit: Quamdiù ille, pro sacerdotij sui munere, Peruuianam Ecclesiam, per annos vigenti quinque, summa sui laude, & Ecclesiæ, Regnique bono gubernasset, quinque successiuè summi Vicarij pro Catholico Rege Prouinciam administrarunt: cum quorum primo eodem mense Maij anno 1581. Limam nouus Archiepiscopus, cum nouo Prorege ingressus est. Vltimus tribus & quadraginta tantum diebus Thuribij ad cœlos transitum, laudata sua morte præuenit, anno 1606. die decimo Februarij, cùm Archiepiscopus obijsset 23. Martij.

Cùm his omnibus Pacem, & amicitiam colere studuit Beatus Antestes Thuribius, & illi, dempto vno, vicissim cùm ipso: quam haudquaquam violauit, sed conualidauit potius breuis, & iucunda velitatio, quæ illi cum ipsorum altero fuit. Nèc nobis omittenda est; quoniam & suauissimum Archiepiscopi in sustinenda sua dignitate zelum, &

Chris-

Christianam Proregis pietatem in eadem veneranda pariter commendat. Hic erat Gaspar de Zuñiga, & Azeuedo Montis regij Comes, cui, cùm prima vice Cathedralem Ecclesiam solemniter ingredenti, Thuribius ornatu Pontificio decorus ad Templi Portam occurrens, pedem vltra limen non extulit, sed lustralem aquam, ea grauitate porrexit, eaque verborum humanitate Proregem excepit; vt hic in optima opinione, quam de Archiepiscopo attulisset, summoperè confirmatus fuerit. Tùm ad aram maximam procedendum fuit, pręcedentibus ministris, quorum alter Archiepiscopi crucem, in hasta pro more elatam: alter verò Regiæ Potestatis insigne præferebat. Inter hos disceptatum est, vtri amborum dextrę deberentur. Proregis minister, vt quid agendum disceret, ad Dominum se vertit, & hic se ad Archiepiscopum. Tùm in hunc sensum Thuribius: Domine, crux Christi est, per qam Reges regnant, per quam Principes imperant, & Potentes decernunt iustitiam. Illa in Regum coronis supremum locum obtinet, ea præcedente Magnus Constantinus de Romani Imperij hostibus, & Alphonsus Bonus de ingente Maurorum exercitu in Hispania triunphauit, & Primus Christianorum qui Peruuiæ terram calcauit, Petrus Candiensis, leonum, tigridum, & Barbarorum hominum ferociam in agnorum mansuetudinem, claro miraculo, per crucis insigne mutauit; & terræ dotes, ac diuitias securè nostris

detexit. Ecclesiæ Ritus nos eam præcedere iubent, non abijciendam, sed demissis vultibus adorandam. Quo, pio, suaui, & robusto Sancti Pontificis oraculo persuasus pius Princeps ministro suo dixit: pergat Sancta Crux, *Vaya la Santa Cruz.* Et illicò cessauit contentio Ministrorum.

Duriora fuerunt, per quæ alius Prorex, ab inchoata animi alienatione, ad extremum sexennalis gubernij diem, perpetuas vexationes Sancto Antistiti facessiuit. Minutiora missa facio, quæ alij fusiùs explicant, & in publicis tabulis passim reperiuntur. Ego necessarijs ad explicandam, Thuribij virtutem contentus ero. Cœpit ergo Proregis animus ab Archiepiscopo auerti, ex eo quod Proregis præcessores aliqui, vnius suburbij ciuitatis Limensis populum ad alterius incolas accedere fecissent, cuius animarum curatores ab Archiepiscopi iurisdictione exempti censebantur; cùm alterius Rectorem Archiepiscopus ipse præficere consueuisset. Prorex, de quo loquimur, voluit, vt aduenæ Populi curam simul agerent illi, qui indigenæ prius præfecti erant. Thuribius considerans; Diœcesim suam, & Ecclesiasticam Iurisdictionem per laicam Potentiam, hac ratione detruncari, volebat, vt cum plebe Plebanus, & vterque sui, & successorum Iuris in quocumque Diœcesis loco semper esset, et haberetur vt prius, nec desiderio Proregis vllatenùs assentiri voluit. Atque hoc Proregis in Præsulem inuidiæ & indignationis semina-

rium

rium fuit: eoque factum, vt Prorex deincèps nodum in omni scirpo quæreret, quo Sanctum Antistitem infestaret. Sed in omnibus contra stimulum calcitrabat, tùm causarum aduersa iustitia, tùm Thuribij longanimi lenitate, tùm Regij Senatus consultis, & rescriptis Regiæ Maiestatis, Consilij Tridentini, & Prouincialium sanctionibus consentaneis, Archiepiscopi innocentiam, & iustam resistendi causam perpetuò declarantibus. Quamquàm idem Prorex, in reliquo suo regimine rectus, & integer haberetur: sed per longum iter, quis aliquandò non cespitet, vel in aliquem lapidem non impingat?

Nec defuit è cœlo subsidium. Nàm cùm flamma hæc excresceret, contendente Archiepiscopo, tùm translati Populi eiusque proprij Sacerdotis ius, tùm veteris visitandi saltem, ad se pertinere, & altera Parte contrarium enitente, miraculosus ille sudor Imaginis Copacauanæ Beatissimæ Virginis Mariæ, perpetuæ Thuribij Patronæ, incendium totum extinxit. Illius enim occasione, alterum suburbium tandem; Thuribio in Cœlo tunc iuuante, post ipsius beatam mortem Archiepiscopi Limensis potestati postliminio restitutum fuit, & ab eo præpositus Præsbiter, qui nomine Vicarij Metropolitani Parochi, perpetui cultus Miraculosæ Imaginis ibidem in sacra æde collocatæ, ipsiusque Ecclesiæ, & animarum Populi curam ageret. Quemadmodum eius Imaginis, & Thuribiani

sa-

ſacelli hiſtoram ſuperiùs referentes clariùs expoſuimus.

Intereà verò, dùm contentio duraſſet, *P*rorex nouis follibus flammam ſufflabat: volebat enim ampliori pompa, & alijs honoribus in Eccleſia Metropolitana ſuſcipi, quàm Limani canones, & Eccleſiæ Catholicæ Ritus admitterent, ſed nec Thuribij Vultus Venerandũ candorem immutare, nec animi tranquillitatem turbare, vel moderatiſſimam bilem accendere potuit; qui id ſolum, quod officij erat, modeſtiſſimè iuſſit; obſeruari, ſcilicet, ſecundi Loayſani Concilij Limenſis decreta, quæ in primo Thuribiano, per Sedem Apoſtolicam approbato, & per totam *P*rouinciam publicari iuſſo, maturà diſcuſſa, & communi Patrum voluntate acceptata, & approbata fuerunt. *P*rorex id ſuæ dignitati derogare putans, ampliùs accenſus eſt, & multos dies quibus intereſſe, pro more cæterorum, deberet, ſacris ſolemnibus ſe ſubduxit. Thuribius interim Iure, non iniurijs agendum cenſens, non malum pro malo, nec maledictum pro maledicto reddebat; honorabat pro dignitate, & cæteroqui bonitate, Proregem, nec ſuſtinere poterat vllum verbum, quod aduerſus eum, in ſua pręſentia proferretur, nec ipſe vel verbo, vel nutu vllam indignationis ſignificationem præ ſe ferebat. Sed gratias Deo iugiter agere, qui dignum eum fecerat, vt pro Eccleſiæ ſuæ iure tuendo, perſecutionem pateretur, & pro ſuis perſecutoribus feruenter ora-

re-

re. Et ex tribulatione, honoris, & virtutis augmenta, meritorumque solatia, velut è spinis rosas colligens: & cum Regio *P*ropheta exultans Deo: Domine bonum mihi quia humiliasti me, vt discam iustificationes tuas. Etenim diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Psal. 118. Rom. 8.

Nèc solus ipse Prorex molestus fuit Thuribio, verùm ipsius etiam domestici Ministri Sanctum Archiepiscopum contemptui, & ludibrio habere tentarunt. Sed Thuribij prudentia, ac suæ dignitatis tuendæ constantia victi sunt. Nec enim columbina simplicitas tantum; sed, vbi oportebat, etiam serpentis prudentia in eo emicuit. Voluit aliquando de rebus curæ suæ pastoralis cum eodem Prorege colloqui, sed *P*rorex eum intra cubicula expectauit. Archiepiscopus despectum dissimulans perrexit, Caudatario, quem vocant, fimbriam vestimenti ipsius, pro more, post tergum sustentante. Tum domesticus Proregis famulus iussit caudatario, vt vestem dimittat, affirmans eum honorem in Proregis aula nulli conuenire: an Domini nutu, an propria adulatione nescio. Cui tunc Thuribius: Noli, fili, illi molestus esse, famulus meus est, & vt mihi inseruiat stipendium illi do. Ingressus autem inuenit sedem sibi extra stratum positam fuisse: sed eam proprijs manibus accipiens, viciniùs *P*roregi in strato tapete collocauit, dicens: Domine, ambo Regij Consiliarij sumus, & locus

hic.

hic vtrique simul capiendo sufficit; sedensque propositum negotium tractauit.

*P*rorex ergo cum nullam rimam, vel iustæ offensionis causam in viri Sancti verbis, vel actionibus arripere potuerit, per quæ se iusto colore vindicare posset, tùm demùm, ira alta mente reposta, in grauissimam sancti Præsulis iniuriam, Sacrorum Canonum neglectum, & non exiguum Cleri *P*opulique scandalum erupit: quando sumpto prætextu Regij *P*atronatus tuendi, contra ipsa Regia diplomata, integrum ius, & Dominium Archiepiscopalis Seminarij inuolauit, & ex improuiso, nulla præmissa monitione; prætorianæ suæ Cohortis Ducem, seu Vigiliarum Præfectum, cum militum manipulo, & cementarijs vastatoribus misit, qui applicatis pontibus, Antistitis insignia Archiepiscopali galero ornata; quæ supra Collegij portam lapidi insculpta fuere, ferreis machinis deturparunt, ac deposuerunt, regijs eorum loco collocatis. Collegio œconomum imposuit, collegas nominandi ius, ac totius gubernij dispositionem Regio nomine vsurpauit; Archiepiscopum ab omni eius parte prorsus excludendo. Quod qui factum fuerit, & alias eius circumstantias, non aliunde certiùs discere possumus, quam ex ipsius Regis rescripto, in quo sincera, & simplex facti narratio, & humilis petitio remedij per seruum Dei proposita recitantur, non absque offensoris per Regem addita admonitione: sic enim loquitur.

Rex

Rex

N.N. Cognate, Prorex noſter, Gubernator, & Capitaneus Generalis in Prouincijs peruuiæ. Archiepiſcopus Ciuitatis Regum ad me ſcripſit, quòd ipſe cupiendo fundare Collegium Seminarium, rem à Sacro Conſilio Tridentino Eccleſiarum *Præ*ſulibus tantoperè commendatam, ex proprijs prouentibus ſibi ipſi emerit Domum, interim dùm ędes alię, Seminarij ſumptibus iungerentur: atque in illa Domo Viginti nouem adoleſcentes collocauerit, cum vno Sacerdote Rectore, qui ipſorum curam ageret, & inuigilaret, vt ſtudia ſua proſequerentur. Et cùm res ita conſtituta fuerit, & Seminarium ad eum ſtatum perductum, vt tota terra ſibi gratularetur; vos miſiſtis, qui meo, & mei *P*atronatus titulo, eius poſſeſſionem iniret, & *P*ræfectum in eo conſtituiſtis, quem ſtatim, atque dictus Archiepiſcopus rem nouit, ex eadem Domo eijci fecit, dictæque poſſeſſioni contradixit, petendo ab illo meo Regio Senatu, vt eiuſmodi poſſeſſionem nullam declararet. Et poſtquam in Senatu ea res tractata fuiſſet, nullum decretum vel prouiſio prodierit. Et quòd cùm ipſe, quandò eam Domum emit, inſignia ſua cum Archiepiſcopali galero in ea erexerit. Vos *P*oſteà vigiliarum veſtrarum Prefectum, alioſque multos miſiſtis, vt illa deponerent, vti in effectu fecerunt, & poſuerunt mea. Et quòd, quantumuis per cenſuras, &

Ecclesiasticum interdictum processerit, vos nihilominus desistere noluistis, non obstante quòd dictus Senatus decreuerit, vt superséderetis, vsque dùm diffiniretur, quòd causæ conueniret: in quo iniuriam passus est. Quamuis illa Domus non esset ipsius, & proprijs ipsius pecunijs comparata, vt per emptionis instrumentum in Senatu productum constititit: sed solum empta fuisset sumptibus ipsius Collegij Seminarij, eius Gubernium ad ipsum pertinebat; cum Sacrum Consilium Tridentinum, id Ecclesiarum *Præsulibus* iniungat: Inde mihi supplicando petijt, vt vobis iuberem, vt illarum partium Prælatis iurisdictionem suam exercere permittatis, & specialiter in eis, quæ ad collegia Seminaria spectant: non interponendo vos illis sub titulo dicti Patronatus, nec in demoliendo Insignia *Præsulum*, qui ea erigere voluerint. Et, quæ ad hanc rem pertinent, in Regio nostro Senatu Indiarum visis: Quoniam, vt scis, in nostris, trigesimo die Octobris, superioris anni nonagesimi primi ad te scripsi quid in hac re fieri voluerim. Vobis, vt dicti Collegij Seminarij gubernium, & administrationem, eiusdem Archiepiscopi dispositioni relinquatis, vt etiam nominare collegas, iuxta dispositionem dicti Sacri Concilij Tridentini: & vt pariter, si voluerit, Insignia sua in ijs ædibus affigat ita, vt mea etiam eminentiori loco ponantur, ad significandum vniuersalem Patronatum, qui iu-

re,

re, & Apoſtolica authoritate, ad me pertinet, & quem habeo in toto ſtatu Indiarum. data in S. Laurentij. vigeſimo Maij 1592.

Ego Rex

Mandato Regis D.N.

Ioannes Vaſquez.

Atque hæc ſincera facti ſeries, & Proregi aduerſa Regis voluntas fuit, quæ vt nobis ommittere non licuit; ſic, vel extollere, vel deprimere non conuenit. Quanta verò Sancti Archiepiſcopi in tota re virtus, & ſanctimonia fuerit, eadem ratione malui, grauium virorum teſtimonijs, qui cum ipſo familialiter verſabantur, & in ius vocati iureque iurando ad veritatem adſtricti fuerunt, quàm meis verbis explicare: qui cùm plurimi fuerint, paucorum tamèn depoſitiones rem ſatis demonſtrabunt: Nam in ore duorum vel trium teſtium ſtat omne Verbum: Præſens erat Antonius Rodriguez Ordinis Prædicatorum & ipſe (vt loquuntur) *Prædicator* Generalis: Cùm quiſpiam inquit, in ea rerum tumultuatione aliquid acerbiùs in Proregem coràm Thuribio protuliſſet, Præſulis animum in inordinatam acceptæ iniuriæ vindicationem accendere conatus, cui ſtatim Thuribius: Non hoc, inquit, non hoc: dùm iuſtitiam, & veritatem defendimus, Deum offendere per proximi vituperationem non debemus; nec perdere animas noſtras. Hæc non eſt ordinata Charitas. Quod hic me dolet non eſt, quòd illi me vituperent, vel-

iniurijs afficiant: sed, quòd sub pallio boni communis offendatur Deus, pro cuius honore tuendo vitam profundere paratus sum. Didacus Morales, qui Thuribio à secretis fuit, sic loquitur: Nunquam illum alteratum, vel iratum viderant, nec verbum incompositum ex eius ore audierunt; sed hilarem, & lætum, quòd pateretur iniurias, atque ex periculis tranquillissimus euadebat, gratias Deo; sine vlla animi turbatione, cum incredibili patientia, & rerum sufferentia, recreando se, & lætando, quòd magis, magisque pateretur.

Bartholomeus Menachus, qui toti tragediæ intererat: Quòd dictus Archiepiscopus erat exemplar, & norma sustinentiæ, & patientiæ: ita vt in tam molestis, & grauibus occasionibus, quas in hac ciuitate habuit, nulla actio visa, vel verbum ex ipso auditum est, in quo eos læderet, qui ipsum vexare tentauerunt. Et relatis occasionibus supra expositis: Res, inquit, quæ totam ciuitatem admiratione commouit, nec vlli bene facta videbatur. Et tamèn hæc videns Archiepiscopus, & sciens modum, quo ipsius persona tractabatur, nunquam auditus est, incompositum verbum, vel visus, irati, aut Vindicatiui animi indicium edidisse; sed tantùm per scripta prouidere, quæ ad remedia conuenire censebat, suas causas Domino commendando, orandoque, vt illorum oculos aperiret, quos ad contemplandam virtutem clausos videbat; in quo monstrabat animi sui sincerum candorem, &

mo-

morum Sanctimoniam, quibus anima ipsius adornata fuit.

Vidit hæc suis oculis, auribus excepit, & manibus palpauit Menachus, qui, vt vir grauis, & doctus, totos dies, & magnam partem noctium cùm Archiepiscopo versabatur, in quibus de solius illius tribulationis remedijs actum est. Non videbat autem, etsi consueta, occulta Thuribij exercitia, pernoctes vigilias, caumenia, & sanguinarias flagellationes, quibus hìc seruus Dei iratum suis persecutoribus numen placabat, vt prolixis precibus orare, inde a pueritia consueuit, pro Persequentibus & calumniantibus se, & omnes animi sui perturbationes rationis imperio supprimebat, & omnes simul mentis & corporis hostes vincebat. atque eadèm cæterorum Testium sententia, in publicis actis deposita est. Vnde manifestum euadit, perfectum hunc virum, apostolicæ vitæ normam; non tàm malignantis vindictæ, vel superbæ victoriæ stubio, quàm patientissima malorum tolerantia, summa erga molestantes charitate, & suipsius in omnibus demissione, cum iustissimæ causæ constantia, de omni aduersitate triumphasse. Nàm nèc post prolatam à Rege Sacrorum Canonum sententiam, insignia sua collegio vnquàm restituere Thuribius voluit, nèc aliam illatæ tàm grauis iniuriæ satisfactionem prætendit.

CA-

CAPVT XLII.

Beati Thuribij, cæleſtis gratiæ Spiritus Sancti Chariſmata.

IAm exhibuimu Apoſtolicum hunc virum multiplici virtutum ornamento decoratum; natu nobilem, cuiuſmodi proles, magiſtra Dei gratia præuentæ, & adiutæ, ad omnem virtutem & heroicas actiones, generoſa natura, & paterna educatione comparatę, vt plurimùm, eſſe cenſentur. At Deus eſt qui format ingenia, & alij quidem quinque talenta, alij duo, alij verò vnum, pro ſua prouidentia largitur. In Thuribio Mogrouejo mixtum, atque ad menſuram, pondusque contemperatum fuit vtile dulci: Animam bonam ſortitus eſt, in præclara quæque procliuem, & ab omni turpitudine ſuoptè ingenio alienam: quem fidei diuinæ dogmata prudentem, & iuſtum: ſpei firmitas fortem: ardor charitatis optimum: religio pium temperantemque: prudentia prouidum, & circumſpectum: iuſtitia omnibus æquum: fortitudo ſtrenuum, & in iuſto honeſtoque ſedulum, & conſtantem, & cum animi docilitate pro ratione flexibilem: bonitas, in cunctos beneficum: pietas Deo, ſanctis, & ſacris rebus addictiſſimum, Maiorum obſeruantem, minoribus, & miſeris benigniſſimum:

mum: in se ipso modestum; modestia cæteris gratum & venerabilem effecerunt.

Vidimus in puero pululantia virtutum viua semina: in adolescente herbam virentem: in Iuuene pulcherrimum florem: in viro copiosos maturosque fructus: in venerabili sene Thesaurum meritorum. Nouimus sacris litteris, excultissimum, sed vitæ Sanctimonia præcellentem: dignitate, & fama præfulgidum: Romanorum *P*ontificum, Catholicorumque, Regum fauoribus, & populorum plausu, & amore abondantem: magnorumque facinorum prosperitate felicem. Sed quantum ad Dei cultum, & gloriam, propriamque, ea proximorum salutem, *E*cllesiæ exaltationem, *P*rincipis & commissæ sibi plebis vtilitatem & conducere non viderentur, profunda, qua valuit, humilitate, & prudenti rerum æstimatione, cuncta contemnentem; præter peculiarium virtutum insignia, quibus ornatissimus fuit. Quæ, vt iam satis explicata sunt, hic denuò fusiùs expendere, vt actum agere non iuuat: candidissimum castitatis lilium, venerandæ modestiæ pratiosa monilia, eloquij suauitatem, lacte & melle manantem, multiloquij fugam, in quo non deerit peccatum, singularis innocentiæ niueam byssum, seueræ pœnitentiæ spendidam purpuram, perpetuæ orationis ardens incensum, appetitus omnes, & passiones moderandi myrrham, cibi & somni non vulgarem parcimoniam: innocentissimi, debilis, fessique

cor-

corporis acrem castigationem, & calidas lachrymas, pro aliorum sæpiùs, quàm proprijs, quibus carebat, piaculis fusas; quanquàm Thuribij humilitas aliena peccata, sua credere consueuisset.

Ad altiora vocatus, veteres mores contra honorum ingenium, ita retinuit, vt nouos dignitatibus consentaneos eximiè complexus fuerit: prudentem, & piam suæ domus curam agere: Ecclesiæ Dei diligentiam habere: eamque herculeis laboribus, per summa vitæ pericula colere: eius libertatem strenuè & patienter tueri: dignitatemque generosè sustinere: opulento prouentu sic vti, vt Euangelicus pauper sibi viueret, cum omnium rerum suarum in alios inopes, aliàs inaudita profusione. Fidei catholicæ inter neophytos, & christianæ perfectioni inter prouectiores propagandæ studere, reformare mores: veterem christianorum disciplinam, in clero, populoque restaurare: Sacramentorum fræquentiam, cæteraque pietatis officia inducere: extirpare superstitiones, & vitia: veri Dei cultum debitum, & condignas virtutes hominibus inserere: omnia legibus stabilire, et exemplis operum, signorumque prodigijs confirmare: pro ouibus suis, pro sacrorum canonum obseruantia. pro Dei honore, pro iustitia et veritate, pro animarum salute, pro Ecclesiastico iure animam suam tradere semper paratum fuisse: Deo Deuotum gratumque, Regi fidelem et reuerendum, populis omni genere beneuolentię et beneficentię profi-

cuum,

cuum, & acceptissimum: communi cunctorum opinione, fama, & veneratione virum Sanctum, & magnum Secerdotem; qui præclaros hos fontes in aliorum animos, & mores summo studio fructuque deriuare nunquam destitit.

Sed bonus Deus noster, de cuius munere venit, vt ipsi à fidelibus suis dignè & laudabilitèr seruiatur, illustres huiusmodi viros, quos, tanquàm Ecclesiæ suæ lucernas super candelabrum ponit, varijs porrò dotibus, & singularibus Spiritus Sancti gratiæ charismatis amplius ditare solet: quo, ab ipsorum virtutibus amplior in Ecclesiam emanet vtilitas, personarumque sanctitas magis elucescat, atque ipsius largitoris nomen benedicatur in sanctis, & infinita eius bonitas & potentia in eorum operibus glorificetur. Has dotes in Christo stabiles fore, Isaias propheta vaticinatus est. Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ, & intellectus, Spiritus consilij & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini. Erit fides cingulum lumborum eius, & iustitia cinctorium renum eius. Isaiæ 11.

Et Paulus Apostolus in Christi membra, & Ecclesiæ columnas, pro eiusdem Ecclesiæ vtilitate, dispertita recensit: Alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ: alij autem sermo scientiæ secundum eundem Spiritum: alteri fides in eodem Spiritu: alij gratia sanitatum in vno spiritu: alij operatio virtutum: alij prophetia: alij discretio Spiri- 1. Cor. 13.

tuum: alij genera linguarum: Alij interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem Spiritus, diuidens singulis prout vult. Modo hæc omnia in singulos diuisim collata dona, si in vno B. Thuribio Mogrouejo simul collecta reperiuntur; eum sanè per Spiritum Domini, prærogatiua quadam, integrè ditatum possessumque oportet agnoscamus.

Ea verò dona fusiùs explicare, inter se, vel à virtutibus discernere, aut proprijs terminis definire, ego Sanctorum Patrum simili sapientiæ, sacræ scripturæ interpretum labori, & scholasticorum Doctorum seueræ subtilitati relinquo, qui omnes in ea re solerter desudarunt. At historiæ, quam hic profiteor, filo insistens, ea omnia in sancto nostro præsule Thuribio eminenti gradu consedisse, monstrare conabor: vel eos huiusmodi charismatum fructus, quos in eius actionibus ante exposui, breuiter perstringendo; vel quos huc reseruaui, ampliùs enarrando.

Itaque donum sapientiæ in Thuribio fuit, iugis illa, & alta diuinarum, æternarumque rerum contemplatio; adeò attenta, & affectuosa, vt eam neque grauium negotiorum pondus deprimere, nec Ecclesiarum solicitudo distrahere, nec itinerum perpetuæ molestiæ interrumpere, nec ingentes labores fatigare, nec præsentia vitæ pericula perturbare, nec rerum difficultas deterrere, nec aduersitas vlla deijcere, nec prosperitas extollere, nec Dœmonum

ten-

tentamenta deludere, nec astuta hominum consilia decipere vnquàm potuerunt: quin, quod altera sapientiæ pars est, omnem affectum, actionemque suam, & agendarum rerum dispositionem, ad diuinarum perfectionum amussim dirigeret, secundùm supernam sapientiam de rebus omnibus iudicando.

Donum intellectus in Thuribio prodidit, quòd abstrusos scripturarum sensus facilè penetraret, eosque pro re nata tam appositè & clarè produceret, vt arcana mysteria, diuinæque voluntatis decreta, ex illis non declararet solùm, sed persuaderet: quo factum, vt præter emendatos christianorum mores, tot Ethnicorum fœrociumque hominum millia, auitis & innatis quodammodò erroribus exutos, altissima diuinitatis, & obscura fidei nostræ mysteria, non modo percipere, sed lubenti etiam animo complecti fecisset.

Donum scientiæ demonstrabat Theologicarum rationum, & exemplorum copia, quæ, etsi academicarum disputationum vsu nunquàm didicisset, sacris canonibus plerumque assuetus; in schola tamèn orationis diuinitùs eruditus, de rebus cœlestibus sensus mirificos proferebat; vt, quod priùs diximus, viri in scholis doctissimi, ad earum rerum consultationes à Thuribio vocati, postmodùm inter se faterentur, non tàm necessarium Archiepiscopo fore, vt ab ipsis doceretur;

 quàm

quàm ipsis proficuum, vt ab eo discerent, quæ priùs non penetrabant.

Donum pietatis non prosequor, quæ, cùm ad omnia vtilis sit, ita in omni actione Mogrouejii adeò resplenduit, vt nihil eo manifestius sit, seu diuinum cultum, seu hominum propter Deum charitatem, respiciamus.

Donum consilij, & fortitudinis in eo fuisse docet, quòd nihil vnquàm temerè suscepisse reperiatur; absque, vel hominum meliora suadentium deliberatione, vel impellente Spiritus Sancti gratia: & quæcumque facere semel decreuisset, absque metu, & mora fortitèr, constantèrque aggrederetur, & præstituto semper optimo fine, vel decoris, vel conscientiæ, vel religionis, aptissima media seligere, & applicare sciret: quæ tantam exitus prosperitatem ipsius propositis pepererunt.

Timor Domini totum Thuribium ita possidebat, vt à puero cùm ipso adolesceret, & semper cresceret cura conscientiæ; Cui perpetuum constansque propositum fuit, Martyrio vitam finire malle, quàm vno veniali peccato diuinam Maiestatem offendere, seu propriæ honestatis, diuini honoris, aut alienæ iustitiæ, vel charitatis terminos transilire; atque hæc ita obseruasse, vt nullum mortalis culpæ indicium edidisse perhibeatur.

Genera linguarum Thuribio per Spiritum Sanctum donata fuisse, alibi satis ostendimus.

In-

Interpretatio ſermonum ad intellectum, & doctrinam refertur, in quibus B. Thuribium excelluiſſe paulò antè docuimus.

Diſcretio Spirituum, alienorum cordium arcana, & conſcientiarum receſſus detegit, donum animarum Rectoribus neceſſarium; quod quantum in Beato hoc Archiepiſcopo enituerit, non obſcurè monſtrat, quòd cuiuſdam impij hominis hæreticum Spiritum detexiſſet, & grauiorem lapſum, ſuppliciumque prædixiſſet: alterius, quod antè narrauimus, fictam contemptæ excomunicationis pœnitentiam diſcreuiſſe. Indos iam dudùm baptizatos, vel confirmatos, cùm iterùm Sacramentis initiandi offerrentur; quaſi characterem animabus inhærentem intueretur, iam initiatos fuiſſe, pronuntiaſſet: alios baptizatos non fuiſſe diuinitùs cognouiſſet: in Eccleſiarum, ſuæque Domus, aut curiæ Miniſtris eligendis, bonos à malis facile ſecreuiſſet; & alia his ſimilia quæ in eius actis paſſim referuntur, et nos infra fuſiùs exponemus.

His addere mihi liceat alia Thuribij peculiaria dona, quę, etſi nec Propheta, nec Apoſtolus locis ſupra notatis exprimant, inhabitantis tamèn Spiritus Sancti dona fuiſſe, nemo prudenter negabit: qualia fuerunt ſtella lucida in Thuribij pręndicantis, ſacrificantis, orantis, et pauperum pedes lauantis fronte, ſępiùs in diuerſis locis conſpecta, et flamma diuini amoris, quę cor eius accendens, et mortalium oculis viſibilis, non ſemel, in tunc iuuenilem

lem plusquam sexagenarij hominis vultum, igneo, & sintillante, sed suauissimo splendore emicans deriuata fuit. Tùm illa perpetua pax cordis, & in summis, præsentissimisque periculis, animi tàm secura tranquillitas, vt nunquàm aliàs iucundior, lætiorque videretur, ac si præsentem Christum dextras, vt *Petro* inter vndas, procellasque, sibi porrigentem conspiceret; quod in omni aduerso ipsius casu, perpetui eius comites obseruarunt; tanquàm eo maximè lætaretur, quòd similia pro Dei obsequio, & Ecclesiæ sibi commissæ bono pati dignus haberetur; vt ibant Apostoli gaudentes a conspectu consilij, quoniam digni habiti sunt, pro nomine *Iesu* contumeliam pati. Familiare commercium cùm angelis, qui ipsum in humana specie à periculis liberabant, & officium diuinum alternatim cùm ipso recitare auditi sunt: eiusque aduentum barbaris annuncibant, vel inuisibili ministerio tuebantur. Frequentes ecstases, in quibus nonnunquàm, pluribus cubitis è terra in aërem suspensus visus est. Cùm alia huiusmodi plura prętermitto, quę passim in historia Beati Thuribij notari possunt. Ad ea nunc venio, quę huc vsque non tetigimus, & ampliorem narrationem requirunt.

Act. 5.

CA-

CAPVT XLIII.

Beati Thuribij Donum Prophetiæ.

SPiritum Prophetię hic intelligo, per quem, & præsentia, sed occulta; Et prętcrita, sed alioquin incognita; & futura, sed soli Deo nota, per Spiritus Sancti speciale lumen manifestantur. Quod donum B. Thuribio collatum fuisse, quę sequunrur exempla docent. Quorum aliqua, cùm paulò priùs cursim perstrinxissem, inter alia clariùs hic explicanda sunt.

Archiepiscopum aliquando Limę conuenit homo alioquìn ignotus, aliorum mores, & aliquos Ecclesię ritus, libero sermone petulantèr incusans, Vidit Thuribius discretione spirituum, quantam trabem in proprio oculo gereret, qui aliorum festucas tam cryticè magnificabat: & Spiritu prophetiæ prædixit, quid non recipiscenti futurum erat. Monuit, vt seipsum potiùs emendaret, alioquin factum iri, vt grauiorem Sacræ Inquisitionis censuram subiret; non multò pòst detectus, captusque, & hæresis, Iudaicæque prauitatis condemnatus, publica pyra combustus fuit.

Dùm Thuribius aliquando confirmationis sacramentum in templo conferret, inter alios erat paruulus, qui continuo ploratu inquietum ipsum reddebat. Tùm absoluto officio, videte, inquit, in-

infantem ideò nobis molestum fuisse, quòd nondum baptizatus sit; idque, inspectis baptizatorum libris, ita fuisse repertum est, ac eum baptizari iussit; & paruulus baptizatus quieuit.

Alio tempore B. Antistes idipsum sacri chrismatis Sacramentum administrabat in Parochiali Chaucana, curæ Patrum Ordinis Prædicatorum, in Prouincia Gralarum: vbi alius puer discurrebat per templum, ploratu, strepituque omnia perturbans; qui à B. Viro auditus, ab Ecclesia eijci iussus est; Ipse verò Thuribius, post actionem è templo egressus, vocauit pueri, tùm septennis, Parentes, interrogauit, cur eùm tempestiuè baptizari non fecissent, qui cùm fassi essent, se à curia profugos, adeòque ab infantis baptismate curando impeditos eam rem nemini pandere ausos fuisse. Hac eorum confessione non contentus Thuribius, Ecclesiæ libros inspici fecit, cùmque nullum baptismatis pueri indicium inueniretur, eùm illicò baptizari fecit. Eodemque loco id ipsum in quatuor, vel quinque annorum puella contigit, quam proinde B. ipse Antistes tunc baptizauit imposito nomine Maria, quo ante baptismum à Parentibus vocari consueuit.

In alia maiori, quàm ducentorum, & quinquaginta, confirmandorum multitudine, oblata est Inda, quæ ex aspectu censebatur habere quadraginta quinque circiter annos ætatis: hanc cùm B. Præsul aspiceret; tu, inquit, iam alias confirmata fuisti:

fuisti: & negantibus femina, & qui illam comitabantur, asseuerauit Archiepiscopus, se illam in alia plebe ante annos duodecim confirmasse, iussitq; inquiri libros, & sub id tempus rectè inuenta sunt mulieris & parentum, & patrinorum nomina, in eorum notis, qui tunc confirmati fuerunt. Atque peculiari hoc dono Deus B. Antistitem illustrabat, nè necessarium baptismi sacramentum cuiquàm deesset, vel non iteranda salutaria Sacramenta, per ipsum pluries eidem conferrentur.

Sic etiam absentium animarum præsentia salutis pericula sæpè ipsi reuelata fuerunt, nè illæ perirent. Cùm in cursu visitationis venisset, ad locum, qui portus pisci vocatur, ex domo Parochi vidit iugum montis, tribus, vel quatuor leucis dissitum, in quo dicebant Indos esse, qui ab Hispanis illùc aufugerunt. Iussit loci vicarius, Licentiatus Martinus Rossillo, vt suorum aliquis illuc pergeret, visum, an adhùc ibi morarentur: sed responsum fuit, cliuum ob altitudinem & asperitatem adeò inuium & inaccessabilem esse, vt nemo illùc pergere ausit. Tùm Thuribius diuino Spiritu, animarum necessitatem cognoscens: Meum, inquit, pastoris est, oues pereuntes quærere, ibo, & inueniam. Quo dicto Mulum conscendit, & montem, eo labore & molestijs, quas meditari magis, quàm explicare faciliùs, accedens, inuenit vetulam non baptizatam, cum morte luctantem, quam à se catechizatam sacris vndis intinxit, illaque statim

expirauit. Aliam insuper in partu laborantem inuenit, ex qua tunc natus infans, & à S. Præsule baptizatus, vetulam illicò in cœlũ secutus est, quæ duæ animæ insuperabili zelo Thuribij, & animo ipsius per Spiritus Sancti dona huiusmodi periculorum præsago, æternam mortem euaserunt: cuius rei plura exempla hìc non refero, quæ priùs copiosè protuli, cùm S. Archiepiscopi pastoralis officij labores exponerem.

In deserto Salinarum, omnes octo mulæ serui Dei, quæ equitatui, & vecturæ seruiebant, per quindecim dies deperditæ, nulla diligentia reperiri poterant: Intereà Ioannes Franciscus Trebexo suam quoque perdidit, & ad Thuribium accedens, ipsius apud Deum intercessionem rogauit. Tùm Thuribius diuino Spiritu illustratus, litteras suo nomine scribi, & ad Bernardinum Ramirez, in oppidum Guachæ ferri iussit, affimans mulas ibi inueniendas esse: tulit litteras Ioannes de Arebalo, & Bernardinum quidem Guachæ reperit, de mulis nondum comparentibus solicitum, & desperabundum: at sequenti manè comparuit Indus quispiam, qui mulas omnes adduxit, & cùm eis etiam illam Francisci Trebexi. Quam rem cuncti, serui Dei Sanctitatis merito, & prophetico Spiritui prouidenti miraculo, attribuerunt.

Iam verò futurorum propheticas prædictiones testantur ista; Cùm in plebe *Pallasca*, visitationis munus sub vesperum absoluisset, ad alia loca pergere

gere propterauit; quanquàm copiosa tunc pluuia malam noctem, & periculis infelix iter minaretur. Sed Thuribius, etsi rogantibus famulis, & Ioanne de Clanos Sacerdote hospite, nè euidenti vitæ discrimini se obijceret: abire tamen voluit, affirmans, cessaturam tempestatem, noctemque serenam, & bonum iter fore, nec se vel socios à pluuia tangendos: & ita factum est. Nàm non citiùs iter arripuit, quàm illicò, cessantibus aquis, cœlum serenum apparuit, & ipse cum toto comitatu satis commoda via peruenit, quo ire voluit.

Sacrum alibi celebraturo defuit hostia consecranda. Visitator, Archiepiscopi comes, hora septima matutina misit puerum, vt hostias ex alio loco, quatuor ampliùs leucis diisito adferret. Res reliquis desperata visa fuit: sed Thuribius, non dubitate, inquit, hostias satis tempestiuè accipiemus, nec falsus fuit; puer enim cum hostijs redijt hora nona & media: longas octo molesti itineris leucas, sesquitertia hora, suis pedibus eundo redeundoque dimensus. In quo facto omnes accelerati cursus miraculum, & propheticum Archiepiscopi Spiritum collaudarunt.

Marcus Garcias, zequetepequæ, in Truxillano districtu natus, in hac sua patria adhuc puer, interpretis officium Archiepiscopo præstabat, & Archiepiscopus ipsi prædixit, cum aliquando illius plebis Curionem fore. Puer id tunc parum curauit; vt potè miltari sago magis, quàm sacerdotali togę

addictus: quapropter ad insulas philippinas posteà nauigans, per annos viginti militiam ibi professus est; sed in patriam demum reuersus, Ordinis S. Augustini habitum suscepit: & sacerdotio initiatus, per suos superiores, Zequetepequanæ plebis parochus factus est. Ac tunc primùm, tùm ipse Marcus, tùm qui Archiepiscopum loquentem audierunt; ipsius propheticæ prædictionis recordati sunt.

Alibi narrauimus, Beatum Thuribium conuersionem Motillonum Indorum Ethnicorum, gentis ferocissimæ, & ob loci qualitatem inaccessabilis, propè desperatam, per se perficiendam, ac posteà peractam, claris verbis multo antè prænunciasse. Et posteà dicturi sumus, mortem suam, certasque eius circumstantias, annis mensibus, septimanis, & horis priùs præuidisse, & prædixisse.

CAPVT XLIV.

Fides. Gratia Sanitatum.

GRatiam Sanitatum, aliaque Sanctorum miracula præcedit fides; non theologica virtus illa sola, qua Christiani omnes donati sunt in baptismo, & quam deinceps, nisi hærtieca prauitate corrupti, semper retinent ad assentiendum omnibus quæ Sancta mater Ecclesia, tanquàm à Deo reuelata, nobis credenda proponit: sed peculiare donum,

num quod est firma fiducia, per quam serui Dei sibi certò persuadent, Deum infallibiliter facturum, quæ ipsi in certis occasionibus ad fidei confirmationem, Dei gloriam, & hominum vtilitatem, supra naturæ vires, fieri cupiunt; quam postea, iuxta Christi promissum, sequuntur ipsa miracula: Amen dico vobis, si habueritis, fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic; transi hinc illuc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis. Quam fidem, quæ ab aliquibus non ineptè mater miraculorum dicitur, in Beato Thuribio fuisse, duæ eius filiæ gratia sanitatum, & operatio virtutum demonstrant: qua vtraque claruit, quando imprimis, & se ipsum, & alios multis grauibus morbis miraculosè liberauit. Matth. 17.

Seipsum quidem omnium primum ab enormi tubere manus, quod ante plenè narraui: deinde à febre; nã ea aliquando ardens, ardentiori, quo semper flagrabat, zelo, animas instruendi impulsus, & fidenter sibi persuasus febrem pastoralis officij impedimento non fore; Eadem afflictus populo prædicare voluit: Dùm inter concionem ferueret; febris ipsum reliquit: nec amplius ad extremos vsque vitæ dies reuersa est.

Licentiatus Ioannes Robles, cum renum dolore, sanguinis fluxum, per sexdecim annos passus est. Sic eum iacentem Truxilli inuenit B. Thuribius, & compassus ipsius calamitati, & magnis expensis, quas in Hispania & Indijs in Medicos & medicinas

fru-

frustrà insumebat, eumque bono animo esse iussit, seque sacrificium pro ipsius valetudine obtulisse, nec eum eo morbo moriturum, sed citò sanandum: atque deinceps melius habere cœpit, & paulò pòst, absque vllo alio remedio, vel cura, integrè conualuit, nec eo morbo tota deinceps vita molestatus est.

Mulier Inda filium suum ardenti febre vexatum ad Sanctum Archiepiscopum attulit, persuasa sibi, puerum solo eius aspectu sanandum. Thuribius manum suam pueri capiti imposuit, eique benedixit, & illicò sanus factus est, quod omnes miraculo factum censuerunt.

Archiepiscopus, Limæ, pro more suo, Indis prædicaturus interrogauit an quisquam ex illis abesset, doctusque vnum domi iacere, ex nimio fluxu sanguinis, quem è naribus emittebat, nec posse absque periculo se loco mouere; finito sermone Thuribius ad infirmum accessit, eumque manu prensum in hortulum eduxit, iussitque, vt herbam quandam (quam constabat nullam talem à natura virtutem accepisse) fronti affricaret. Fecit infirmus, & repentè conualuit. Notarunt omnes miraculum, & artem, qua Thuribius seruus Dei id occultare voluit. Frondem deinde S. Archiepiscopi herbam vocant, eamque cum Beati viri inuocatione piè sibi applicantes varijs morbis liberantur.

Postquàm Beatus Thuribius Missæ Sacrificium ob-

obtulisset, oblatus est illi homo, varijs doloribus cruciatus, & ita contractus, vt se vix mouere posset. Iussit, vir Dei, vt homo infirmus surgeret sanus, & ita repentè factum est, omni dolore discusso, & viribus integrè restitutis.

In pago Caruumayo S. Iacobi, præfecturæ Chinchachocæ, cùm Thuribius sacrum chrisma collaturus, in domus parochialis porticu, dùm populus conueniret, frigido cœlo ad solem oraret, vidit pertransuersum forum venientem hominem, viginti circiter ætatis annorum; qui vt populus dicebat, ab vmbillico deorsum à natiuitate contractus, alligato ad poplites tergore bouino, & duas tabellas, quibus sustentabatur, manibus tenens, instar quadrupedis incedebat; nec nisi ab alio Indo adiutus, templi gradus ascendere potuit, vel se, vt fecit, extra Templi fores collocare, vt Eleemosinam ab intrantibus peteret. Tùm B. Antistes, ouis suæ calamitati compassus, domus porticum exiuit, & stans ex aduerso infirmi, oculis & manibus in cœlum elatis orauit, sacraque manu signum crucis formauit in aëre versus contractum, eoque facto statim intra porticum redijt. Vidit ipsum infirmus, & concepta spe recuperandæ sanitatis, femora, genua, pedes, proprijs manibus contrectare, tùm se mouere, gressum tentare, passum aliquem pergere, tùm Templi portam apprehendere, iterùm ire: Denique post quadrantem circiter horæ huiusmodi colluctationis, per gradus Templi, quos antè

nun-

nunquàm ſcandere potuit, proprijs pedibus deſcendere, tranſuerſum forum conſtanti greſſu ad Archiepiſcopum accedens, ſe ipſius pedibus reuerenter proſternere, & gratias pro beneficio reddere: ſed humilis antiſtes, Deus, inquit, te ſanauit, redi in Templum, & gratias illi redde. Redijt rectus, egit gratias, & manuum poplitumque fulcra, quibus vtebatur infirmus, reſtitutæ valetudinis anathema ſanus ad aram appendit.

In parochia Chachopenſi, Truxillani diſtrictus, alius ita attractus, vt ſe regere non poſſet, ad Archiepiſcopum ductus eſt, ab eoque iuſſum, vt in Eccleſiam portaretur; quo etiam appulſus ipſe beatus Antiſtes infirmi manus, & pedes attrectans, & ſuam illi benedictionem impertiens repentè ſanum reddidit; & æger relictis ibi fulcris priùs inualidi corporis, integer & exiliens abiuit.

In pago S. Hyeronymi, agri Yaulenſis graſſabatur peſſimus morbus, quem accolæ *Barrugas* vocant, & qui totum corpus intenſiſſimo cruciatu affligit, & cum acuta febri neruos omnes occupat, & non raro contractos relinquit; nec hominibus proprius; ſed cùm beſtijs etiam comunis eſt: Thuribius ibi abſoluta viſitatione, aliò pergere volens, inuenit totam familiam, & comitatum eo mordo grauiſſimè vexatos, lectis alligatos eſſe. Acceſſit ſingulos, & capitibus manu ſua leuitèr attactis, paululùm receſſit. Mox inclamauit, vt ſurgant omnes, abeundi enim tempus eſſe; & ſurrexerunt, omnes

Sa-

Saniſſimi , omnemque ſtatim itineris apparatum priſtina valetudine, & viribus reſtitutis expedierunt, & profecti ſunt,

Didacus de Azeuedo, Dux cohortis, ſermonem cum Archiepiſcopo longiuſculum habuit, in parochia S. Mariæ de Guadalupe: quod videns alius quiſpiam, ſuſpicatus eſt, omnia contra ſe dicta fuiſſe, quapropter recedentem ab Antiſtite Didacum inopinatum furibundus inuaſit, ac totum ipſius corpus acuto telo punctim ſic transverberauit, vt ferrum etiam aduerſum murum penetrauerit, in quo teli veſtigium adhuc durat, in tanti ſceleris deteſtationem relictum. Thuribius audito ſtrepitu, vulneratum acceſſit, & conſolatus eſt, affirmans nihil indè mali futurum. Tùm vulneris vtramque partem ſua manu contrectauit, & infirmus momento ſanus fuit, abſque vllo vulneris veſtigio, vel dolore.

Alfonſus Garcias Manrruecos vulnus in pectore habuit, ex quo per os magnam ſanguinis copiam expuebat: Chirurgorum arte, manibuſque fruſtra fatigatis, ad B. Thuribium ſe contulit, cuius ſacra manu vulnus ſupra veſtem attactum, ſecedente Thuribio, illico ſolidatum fuit, & Alfonſus perfectè ſanus remanſit.

In pago, Minachaca, prouinciæ Chincachocæ, B. Thuribius, poſt habitam concionem ad populum, è templo exiens, & audiens tumultum, & voces lamentationum & fletus, intrauit domum in

qua hæc fiebant: inuenit mulierem, transuersa prole, cum partus doloribus, & morte, toto triduo luctantem. Accessit, manum suam moribundæ, vt credebatur, fœminæ capiti imposuit, benedictionem impertijt, & illa statim enixa est. Tùm paruulum peritorum iudicio nimis debilem, nec propinquæ mortis periculo liberum, S. Antistes ipse statim baptizauit imposito ei nomine Thuribio, qui per multos inde annos superuixit.

Alium Puerum, clausis oculis, illicò, vt apparebat, moriturum afflicti parentes ad Ecclesiam cathedralem Limensem portantes, constituerunt ante oculos S. Præsulis; qui, vt eum vidit, parentes consolatus est, nè timerent, promittens puerum eo morbo non moriturum, & puer Thuribij manu tactus, confestim oculos aperuit, & suis viribus erectus, & sanus coram omnibus sedit. Eodem modo filium Capitanei Suissini grauiter infirmum, iamque declamatum, sola sua benedictione repente sanum reddidit.

In oppido seu pago Pallasca, multos indos confirmabat Archiepiscopus, inter quos vnus mutus fuit, qui à B. Antistite, vt vocetur, interrogatus, clarè & distinctè nomen suum protulit, cæterùm, vt priùs, deinceps obmutit. Idemque alibi in fœmina muta contigit, quæ an confirmata fuerit, vel quo nomine vocaretur, nemo fuit qui sciret; quapropter à S. Pastore repetitis vicibus feruenter interogata, tandem respondit, & nomen in baptis-

mo

mo sibi impositum clarè prodidit, reliquùm elinguis, statimque confirmata fuit.

Laurentius Indus, aduersis casibus, & graui senecta cæcus, Thuribij opem implorabat, eumque interpellando per tres itineris leucas constanter secutus est: compassus ei B. Præsul, post celebratum sacrum, manipulum sacerdotale, & manum suam capiti eius imponens, sic visum restituit: vt omnia oculis obiecta distincte videret ac discerneret.

Inda quædam oculorum nubeculis, & callis adeò affecta, vt nihil omninò videre posset, Archiepræsulis Thuribij sanctitatis, & miraculorum fama concitata, ipsius opem instanter orabat. Ille, vt celaret miraculum, herbam aliquam proximè obuiam illi porrexit, quam dùm oculis apponeret, impertita benedictione, visum integrè restituit, maculis repentè dissipatis.

Limæ in templo monasterij SS. Incarnationis, Thuribius, Archiepiscopus loci, consecrabat Archiepiscopum Mexicanum, Alfonsum Fernandez de Bonilla, tanta populi pressura, vt vna Puella suffocata, conculcata, & extincta demùm fuerit. Mortuam extraxit mater, & ad summum altare, vbi Thuribius erat, elatum corpusculum ante pedes eius, pro materno affectu plorans, & B. Præsulis opem implorans, constituit. Ille pietate sua, genua flexit, oculos ad aram eleuauit, manum defunctæ capiti imposuit, & illa statim in se rediens reuixit. At toto populo euidenti, vt censebant,

miraculo acclamante, cœnobij Moniales in choro hymnum, Te Deum Laudamus, in gratiarum actionem ſolemniter decantarunt.

Thuribio Prouinciam luſtranti, in Regione Gauras, & loco dicto, Tombo de marcara; obuiam venit mulier Inda, mortuum filium vlnis geſtans, & flexis genibus conſtanter orans: vt eum ſibi deſolatæ viuum reſtituere velit. Tùm B. Antiſtes, qua charitate ſolebat omnium calamitatibus compati, paruulo benedixit, & animam diuina virtute extincto corpori reſtituit; & puer quaſi gratias agere vellet, balbutire cœpit, & matris mamillas ſugere: tanta præſentium admiratione, vt B. Viri veſtimenti fimbriam retrò clàm abſciderint, & tanquàm ſacram reliquiam, domum ſecum abſtulerint, reſtituti filij tropheum. Tantam fidem Barbarorum cordibus indebat pietas, & ſollicita doctrina Mogroueji, Domino cooperante & ſermonem, ſeruique ſui ſanctitatem confirmante ſequentibus ſignis.

Alioſque multos B. Thuribij benedictione, a morbis & mortis periculis liberatos vulgata fama refert, quamuis per longi temporis interuallum, cùm actorum ipſius proceſſus inſtruerentur, nō ſint reperti, qui peculiares omnium circumſtantias teſtari, vel exactè narrare poſſent.

CA-

CAPVT XLV.

Operatio Virtutum.

HAs virtutes docti interpretantur, cætera miracula, quæ ad morborum curam, vel corporum sanitatem non pertinent. Cuiusmodi tùm in alijs, tùm in se ipso B. Thuribius frequenter operatus est.

Sacerdos quidam B. Archiepiscopum, inuisere cupiens, iter Limam aggressus est: cùmque quatuor leucis ab vrbe distans, fere iam occidente luna, per arenaria incederet, viam perdidit: præsens periculum aduertens, flexis genibus Deum, interpositis Archiepiscopi meritis, orauit, vt viam, & lumen illi concederet, quibus ad eum tutò peruenire posset: nec id citiùs, quàm semitam in inuio detexit, per quam præter intentum incedens, luna naturalem cursum tardante, tuta via, & pleno lumine, ciuitatem breui tempore ingressus est.

Ciuitas Mayobamba, cœli intemperie, & montium vicinio, quotidianis ferè tempestatibus fulgetris, tonitruis, & fulminibus, obnoxia fuit, quæ & homines & iumenta frequenter occidebant. Thuribius inter visitandam Prouinciam illàc transiens, populi lamentis, & calamitati compassus, remedium adhibere volens, duas campanas Ecclesiastico ritu consecrauit, & Episcopalem benedictio-

nem

nem illis impertiuit, easque solemniter pulsari iussit, quoties tempestas ingrueret: quas incolæ propterea S. Archiepiscopi campanas vocant: ipsius iussa seruant: & contestantur, se sic faciendo nullum deinceps damnum ex eiusmodi tempestate tulisse. Auget admirationem, quòd cùm tempestas ipsis maximè minatur, eam ad illarum campanarum sonitum, diuina quadam vi, ab ipsis illæsis, aliò montium patenter transferri, ad loca Ethnicis Indis infesta. Sed & quo, lato terræ tractu, earundem campanarum sonitus auditur, muscæ illæ molestissimæ, de quibus alibi diximus, neminem mordere perhibentur, quamuis magna multitudine grassari ibidem soleant.

Simile se, pari campanarum benedictione à B. Thuribio data, etiamnum hodieque, infallibili, perpetuoque miraculo experiri testantur populi S. Marci Truxillanæ diœcesis, S. Martini de Chagas Prouinciæ Gauranæ; Itemque Sanctissimæ Trinitatis Caxamarchæ, Cusinianæ, Contumazæ, Gusmangi; Biscombambæ Prouinciæ Conchucorum; suasque campanas vt Archiepiscopi reliquias venerantur: nam quoties trahuntur, confestim dissipatur tempestas: nec fulmina ex eo tempore cadunt, quibus priùs, tàm segetes quàm homines, & bruta plurimùn lædebantur.

Eiusmodi, hominibus, bestijsque perniciosas tempestates exhalabat etiam lacus montanus Aquæ nigræ, quadranti circiter leucæ supra parochiam

chiam coxabambæ, Prouinciæ Guamacucanæ, & plebem illam sæpè, & vehementer affligebant; rogarunt incolæ, tàm Hispani, quàm Indi, vt Archiepiscopus benediceret aquis: fecit ille pro sua charitate, nec fulmina deinceps, quemquam hominum tetigerunt: aut bestijs nocere cognita sunt: cùm vtrosque priùs frequenter, ad mortem ferirent.

Cùm Prouinciam pro suo munere lustraret Mogrouejus, transeundum erat desertum amplitudinis septem leucarum, dictum Condepucora, versus Zamoram, per quod lacus in medio positus tàm frigidam auram emittebat, vt viatores congelatos necare soleret: nec aliud fræquentius occurrebat spectaculum, quàm defunctorū ossa nuda, vel congelata cadauera. Eius rei monitus Archiepiscopus, vbi primùm in conspectum venit, lacui, totique deserto benedixit, quo facto desijt auræ rigor; nec vllus ibi deinceps hucusque perijsse noscitur.

In Parochia Sanctissimæ Trinitatis, Truxillani districtus, intrà terminos cœnobij Religiosorum, rupes erat altitudinis septem vel octo cubitorum, & circiter æquæ latitudinis; adeò pestifera, vt eius attactu, vel solo vicino transitu, inscij vel incauti homines fœda lepra replerentur, eoque morbo mori solerent. S. Archiepiscopus populi rogatu saxum sacra benedictione lustrauit, & hac sua benedictione ita innocuum reddidit, vt homines semper deinceps,

ceps, non solùm absque vllo detrimento, vel periculi suspicione, aut metu solito, fidenter proximè transeant, sed etiam tangant, & in eo securè tutòque sedeant.

Beatus Thuribius, feria quinta cænæ Domini, Chrisma & alea in oppido Cañete, extra Limam consecraturus; iusso etiam, vt cathedralis Ecclesiæ Limensis præbendarij illùc ad sacram actionem conuenirent, transuadandus erat rapidissimus, ac tùm tumidus fluuius Cañetensis, cùmque ad ripam ventum esset, in montibus horrendùm pluebat, & fluuius magis magisque intumescebat, vt omnium supra quinquaginta personarum, quæ aderant, iudicio, transitus impossibilis videretur absque manifesto vitæ periculo. Pons talis, qualis, sex inde leucis distabat, néc vt Limam irent, suppetebat tempus. In his angustijs suspensus Archiepiscopus: ait, O quantum indignatur hic nequam fluuius: transitum tamen dabit, & eleuata manu, quasi vadum ostensurus, benedixit aquis. Tùm equum conscendit, cum suscepto post tergum agazone; cùmque tentaret aquam, fluuius retrogrado cursu celeriter sursùm rediuit, vallum se contra currentem erigens, & tantum aquæ in vado relinquens, quantum equi poplites attingendo sufficiebat: transijt ipse, & post eum securus totus comitatus cùmque in altera ripa iam salui, tutique essent; Archiepiscopus ad fluuium respiciens interogauit, num transierint omnes? & iterùm, an

quis-

quisquam reliquus esset? & responso, quòd omnes transierint, & nemo superesset, iterùm flumini benedixit dicens, vadat & cursum sequatur: quibus dictis fluuius iterùm repentè, quasi remoram indignatus, naturalem cursum repetens, tanta copia ferebatur, vt extra sinum exundans vtramque ripam illuerit, ac tam vehementi impetu, vt arbores eradicauerit, & cùm possessionũ sepibus abripuerit.

Mayobamba ad Chillaos, æstiuo tempore, & ardentissimo sole transiens Archiepiscopus per viam montis Carrasmal, quæ etsi hyeme cænosa sit, in æstate tamèn tàm arida, vt nullum in ea humoris vestigium appareat. In ascensu montis anheli vehementer æstuabant, & siti pæne peribant: nec aquæ spes vlla fuit, quæ tali tempore anni, & tanto solis ardore nunquàm ibi visa est. Tùm hìc vir Beatus considerans tunc suum, & suorum præsens periculum, rem Deo commendauit, & circumspiciens, ad pedem viuæ Rupis vidit glebæ particulam, ipsius, vt piè creditur, meritis parumper vdam: iussit ibi fodi, & inueniendam aquam. Ita factum & ad paucos ictus repentè scaturiuit copiosus, & limpidissimus fons aquæ viuæ, qua tunc Deus prouidit ipsius & sequatium extremæ necessitati: nec vllo deinceps anni tempore, vel æstatis calore exaruit: sed vsque in hodiernum diem perenniter, clarissimè, & abundanter effluit, sub nomine fontis S. Archiepiscopi, & aquæ Sanctæ: cùm magna cruce lignea ibidem in rei memoriam

erecta, ad summam viatorum consolationem; Et vt fertur, etiam varijs morbis curandis salubris: quod accolæ magna fide ac deuotione, Beati Thuribij meritis acceptum ferunt.

Est in Prouincia Guaylarum locus dictus Macate, Parochiæ Sancti Ludouici, quam in spiritualibus regunt Religiosi Ordinis Prædicatorum. Ibi olim ex alto monte, quadranti vnius leucæ, supra oppidum, scaturiebat fons aquæ viuæ, quæ incolarum domesticis vsibus, & agris irrigandis vtcumque sufficiebat: sed siccata vena, sic defuit aqua, vt ne sustentandæ vitæ suppeteret. Populus penuria languebat, & terra non dabat fructum suum, vt Primores locum iam deserere cogitarent, & migrare ad alium insalubris auræ locum S. Blasij vna leuca circiter inde distantem. Thuribius pro visitationis munere superuenit, Parochus, & populus necessitatem suam, & migrandi consilium exposuerunt. Ille dissuasit abitum, iussitque aram ad aridi fontis locum erigi, vbi ipse sacrificium offerret, sperareque se, Deum necessitati prouisurum. Cunctis paratis, iuit cùm populo, & proprijs comitibus, Missam ibi celebrauit: cùmque populum, & fontem in fine benediceret, magno fragore erupit subito tanta copia salubris, & limpidissimæ aquæ, vt semper deinceps, vsque in hodiernũ diem, non solùm domibus, agrisque abundanter suppetat; sed etiam argentarias, frumentariasq; machinas, ob aquæ copiam ibi postea excitatas agat: & opi-

pi-

pidum inundare timeretur, si populus industria & labore effossa terra superfluam aliò non diuertisset. Populus miraculum agnouit, & acclamauit lætus; & exultans, in terra prostratus gratias Thuribio benefactori reddens: quas ipse Deo authori reddendas suadebat: illique in miraculi memoriam, crucem adhuc extantem ad fontem erexerunt. Addunt se experiri, aquam illam morbis pellendis salubrem esse, quod prior non præstabat: & posteris Limanis Presulibus consuetum esse, illùc, deuotionis causa, peregrinari, & miraculi famam perpetua traditione conseruare. In priori fonte, ob B. Viri merita, gratia præuenit naturam nondùm tunc satis dispositam; ex hoc posteriori ablatam priùs humoris animam, emortuo siccatoque cadaueri restituit.

In oppido Tauca, ferocissimi tauri, in aliqua solemnitate, ad certamen ducebantur, & vnus, solutis vinculis elapsus, impetum parabat in Ioannem Gutierrez à Villa Padierna, Thuribij famulum tùm domo egressum: B. Antistes ad populi clamores aliquid simile suspicatus, ad fenestram accedens vidit periculum; famuloque benedixit dicens: Deus te seruet, & statim reclusit fenestram: nec mora, taurus priùs furibundus, repentè mansuetus, ad gregem suum redijt, & Ioannes ad B. Viri votum illæsus euasit, quod omnes miraculo tribuerunt.

CAPVT XLVI.

Virtutes, quas Deus in ipsius Beati Thuribij persona operatus est.

ISta sunt miracula, quibus Deus B. Thurbij personam à pręsentibus, & euidentibus vitæ periculis, in Dei opere aditis, vel occulta diuina manu sua, vel partim patente, partim latente Angelorum ministerio frequenter liberauit. Quæ, quia nos sparsìm anteà perstrinximus, hic explicaciùs, & simùl repetanda censuimus.

Inter ea magnum, & mirandum fuit, quod perpetui ipsius, & intimi familiares perpetuo miraculo tribuere solebant: potuisse dominem tàm modico, & vili corporis alimento, tàm parco somno; cum tàm varijs, & asperis afflictionibus carnis, per sexaginta octo annos vitæ, semper sanum & validum in graui senectute vegetum, integræ ætatis tantis laboribus parem, absque lassitudine & languore: sed animo et corpore liberum, semperque lætum viuere. Quod supra naturæ vires, et non sine peculiari prouidentiæ Dei miraculo, contigisse, sibi persuadebant: et non parùm comprobat status mortui corporis ipsius: quòd cùm ad id condiendum aperuissent Chirurgi, testati sunt, ipsius lactes, minora intestina, tàm tenuia, inania, et omni ciborum, excrementorumque vestigio vacua, et mun-

munda reperisse, vt nunquàm comedisse videretur: ipsumque inedia magis, quàm alio morbo extinctum fuisse iudicauerint. Ita vt, quod S. Bernardus de S. Malachia Hiberniæ *Primate* pronuntiauit, nos hic vsurpare possimus; B. Thuribij Mogrouejo, Peruuiæ *Primatis* miraculorum maximum Thuribium ipsum fuisse: nec in eo solum quod diximus, sed in omni opere et cursu totius vitæ ipsius, cuius omnis actio stupenda, et hæroica, propemodum singularis fuit: Nùnc ad Reliqua.

Atque imprimis, breui recurdatione prætereo; quæ copiosiùs antè narraui periculum fluminis chagrij, in quo a crocodilis vorandus erat, si Deus eum per miraculum non eripuisset, bestiarum impetum conuertendo in repentinum stuporem: & Limæ pecuniam in cistula, ex trigesimo vel vigesimo, ad charitatis opus, in tercentesimum diuinitùs multiplicatam Alia miracula quæ Mogrouejus in vita sua, ad fidei & doctrinæ comprobationem, vel ad proximorum vtilitatem perpetrabat, eiusdem doctrinæ veritatem, Dei in cæteros clementiam, & serui sui efficacem intercessionem demonstrabant. Ea verò quæ in eius persona à periculis conseruanda Deus operatus est, nos clarè docent, quàm grati suæ diuinæ Maiestati essent labores & itinera, in quibus eiusmodi pericula incurrebat, tanquàm qui in Dei opere præ pluribus vtilis, & singulariter necessarius fuerit, pro summo zelo, præstantissima virtute, & ardenti charitate,

qui-

quibus Deus eum ad ministerium suum implendum, præ cæteris, quos Lima vidit, Præsulibus adornauit.

Non procul ab oppido Guauea postquam Thuribius familiam cum suppellectili præmisisset ad locum dictum Cape, ipse in machina Sacchararia (Hispanis ingenio) in stora cannacea reclinatus, occasum solis expectans requieuit: tùm ex familiaribus ingressus Bernardus de Alcozer, interrogat Antistitem an tempus esset abeundi, & illo respondente, tempus esse, sed vesperas priùs recitare oportere, famulus breuiarium & Mulæ phaleras accepit, Thuribius libellum officij diurni, & vterque egressus est, ac tùm statìm domus, quæ nullum ruinæ signum priùs dederat: tota simul repentè corruit, nemine læso, vt omnes admirati, Thuribium Dei munere seruatum sibi persuaderent. Sed euidentiora sunt quæ sequuntur.

Cùm Regionem Moyobambanam lustraret, solus præcessit comitatum, quo quietiùs orationi vacaret. Sic solum mulo insidentem insecuti sunt duo ferocissimi tauri; & ille periculum aduertens, è iumento descendens, conscendit rupem, parùm à Bestiarum furore tutam; ac diuinæ protectioni se commendantem illicò mansuescentes tauri, & ipsum, & mulum innocui proximè transierunt. Miraculum confirmauit surculus ex rupe tùnc primùm egressus anno 1595 qui in magnam arborem deinde succressens, adhùc frondosus viret, & à via-

viatoribus, & accolis S. Archiepiscopi arbor vocatur; qui eius aspectu & mentione miraculum perpetua traditione celebrant, ac Thuribij sanctitatem venerantur.

Alia vice appulsus ad locum nomine Totopon, in campo genuflexus arabat; cùm ecce furibundus taurus accurrit, & propè positus insultum parans terram vnguibus excauabat, tanquam sepulchrum prædæ aperiens, dùm vir sanctus periculum absq; miraculo euadi non posse perspiciens, eleuatis in cœlum oculis, diuinum auxilium implorauit. Accedens famulus, obuium lapidem, aliquantum aberrans, in taurum retorquet: sed Deus eum in bestiæ frontem ita direxit, vt eo ictus illicò mortuus concidisset, ac Thuribio victori campum liberum, securumque reliquit. Persequebatur B. Archiepiscopus taurorum insana certamina, vt in quibus frequentia homicidia succedunt: Et Sathan humani sanguinis auidus, B. Thuribium per tauros insectabat: sed ope diuina semper succubuit.

Per altum asperumque montem scandens, vbi ad alterum latus horrendum præcepicium fuit in subiectam vallem vergens. In voraginis crepidine constitutum Antistitem decussit bestia, tanquàm eum saluum volens, cùm se ipsam saluare non poterat, ipsa enim deorsùm volutata, in partes discerpta fuit, nec vnquàm amplius visa, & seruus Dei in margine iacens, saluus, & sanus, Deo conseruante, remansit.

In

In alia simili crepidine, cui in profundo subiectus erat fluuius, cecidit mula, sed hæsit in stipite adeò tenui, vt eius pondus naturaliter sustinere non posse videretur: presso subtùs Archiepiscopi crure; vt crederetur, casurum iumentum eum post se trahere debere. Non poterat aliter prouideri periculo, quàm Præsulis pedem extrahendo, quod cùm famuli fecissent, stipes, quem ad serui sui salutem Deus supra naturæ vim eatenùs fortificauit, illico fractus est, & mula in fluuium vsque contorta fuit, nec amplius visa: ita vt ramusculus, qui & hominem & bestiam simul sustinebat, saluato homine bestiam solam sustinere non valeret, natura, per se debilis nè solam quidem bestiam saluare potuit, sed Dei sola potentissima virtus saluauit Thuribium.

In Valle Chicama transeunda fuit fossa profunda, ponte ex transuersis lubricisque fustibus strata, iuxta pagum Chocopè. Mula pedes anteriores inter duos fustes fixit, cecidit in aquam Archiepiscopus, pendens è pedibus, tenui palo detentis, mula supra ipsum, certo ipsius interitu casura fuit, si Dei vel Angeli inuisibili manu pondus eius sustentatum non fuisset, dùm vir Dei comitum studio è fossa extractus fuit, eorumque lacertis mula ipsa demùm erecta est.

Guancabambam Prouinciam peragrans Archiepiscopus, in mula illa saltatoria, cuius alibi meminimus, quæque cùm alium neminem sustineret,

sub

ſub illo tamèn manſuetiſſima ſemper fuit, titubante per offendiculum beſtia, decidit ipſe ſub pedes eius, & illa alioquin reſultoria, & ferox, quieta firmaque ſtitit, donèc famulorum auxilio extractus vir Dei, iterùm abſque vllo mulæ motu conſcendit ſecurus.

Dùm Xauxanam *P*rouinciam viſitaret, accedens ad pagum Charcagaram, intellexit duos vel tres Indos in Paccarbamba, ſeptem indè leucis, abditos latere: & quanquàm rei nuncij ſe illos adducturos obtuliſſent, ille tamèn ipſe pro ſolito charitatis ardore accedere voluit: cecidit præceps mula, & per rupes raptata, diſcerptaque perijt: At Sanctus Paſtor hæſit in ſpina, dùm accedens famulus extraxit illum incolumem, & lætum, ac ſi nihil mali vel periculi paſſus fuiſſet.

In Chachapayarum *P*arochia Lamebamba, & machina ſacchararia Michaelis de Gueuara, autiſtes conſcenſa mula ſolus preceſſit comites, orationi vacaturus; ac dùm precibus magis, quàm dirigendo iumento intentus eſſet, mula viam perdens, in altiſſimum præcipitium venit, & anteriores pedes, præceps iam ruitura, in aëre ſuſpendit, nec præ anguſtia loci ſe vertere potuit. Senſit Thuribius Indum virum poſt ſe valido clamore monentem vt caueat, ibi non eſſe viam; nec citiùs dixit, quàm ipſe ſtrinxit frenum, & mulam vertit. Tùm vir ſanctus periculum aduertit, hominemque rogauit, vt in viam eum reducere vellet, ibi accepturus bene-

ficij mercedem. Fecit ille, & vbi Antistitem in publica via constituit, illicò disparuit, neque, quanquàm à famulis, qui tunc ibi aderant, solertèr quæsitus, ampliùs inueniri potuit: vt omnes iudicauerint, Angelum Dei fuisse, in Indi hominis forma destinatum, vt Dei seruum à præcipiti morte liberaret.

Simile huic erat, quando ex Pago *Pallasca*, repugnante familia, nigra nocte, cum vno solo seruo, vt morientem in spelunca Indum iuuaret, per pessimam viam in mula sedens profectus est, & in quodam cliuo, iam ferè præceps, ab ignoto Indo liberatus est, & opus Dei fœliciter perfecit. At Indus ille sequenti mane diligentissimè perquisitus, nulli ex indicijs notus, nulli inuentus fuit; quem proinde Angelum Dei fuisse nemo dubitauit.

In cliuo Corongano iam re ipsa ruit, sed in præcipitio detentus solis arbusculorum radicibus, vt absque miraculo liberari posse non crederetur: ex crepidine demissus est Indus fune ligatus, qui alium tulit, quo Archiepiscopum in arbusto pendentem pariter ligauit; & sic vterque sursum retractus est: ac Thuribius quidem tàm hilaris & animo quietus, ac si è suauissimo somno suscitatus fuisset.

Flumen rapidissimum transuadare volenti, vnus comitum optimum suum equum obtulit, quo securiùs perueniret ad alteram ripam: at alius consuluit, vt potiùs mula sua, vt meliùs cognita vteretur.

retur. Ille equum suum & beneuolentiam contempta indignatus, rem periculo probare volens, iussit cuidam Indo, vt equum conscendens traijceret. At cùm tentaret, torrens corripuit vtrumque, Indus equo decidens, ad vnam fluminis ripam natatu vix euasit, & equus ad alteram iam semisuffocatus. Tùm omnes laudabant Deum, quòd peculiari sua protectione Thuribium ab eo periculo præseruasset: Ipse verò conscensa sua mula, benedixit fluuio, & cùm reliquo toto comitatu adeò securè, & indemnis transijt, ac si vnicus aquæ palmus fluuij lectum occupasset. Hi in curribus, & hi in equis; Thuribius autem in nomine Domini Dei sui incedebat, & exaudiebat eum Dominus in die tribulationionis, & omne consilium eius confirmabat.

Alia huiusmodi plura in Prouincia lustranda passus est magnus hic Antistes, & sincerus seruus Dei, tanquàm Iob Sathanæ tentationibus traditus, verùm tamen vt seruaretur anima eius, & victorijs illustrior appareret; vel certè Deum eius labores, & egregiam in lucrandis commissi sibi Gregis animabus operam tanti fecisse, quantum Diabolus illis inuidebat, vt tot prælia pro ipsius vita ab eius insidijs præseruanda iniret: quemadmodum Michael Archangelus cùm Diabolo altercatus est de corpore Moysi: Thuribius autem in omnibus istis non peccauit labijs suis, nec quidquam contra Deum stultè loquutus est, quin potiùs, vt sugeret mel

 de

de petra, oleumque de saxo durissimo: seu vt de sancta Clara cantat Ecclesia: de petra sugens oleum, de spina legens florem, vt animi admiranda tranquillitate inter tentationum spinas, & præsentiũ vitæ periculorum scopulos semper sibi præsens; per heroicos gratitudinis, fidei, spei, charitatis, patientiæ, Zeli sancti, aliarumque virtutum actus, confertissimum meritorum cumulum, & floridam gloriæ coronam sibi ex omnibus contexeret, vt diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.

CAPVT XLVII.

Beati Thuribij pretiosa mors per ipsum præuisa, & prophetice prænuntiata.

TAntis Virtutibus clarus, tot pro Deo & Ecclesia perfunctus laboribus, donis cælestibus diues, dierum & meritorum plenus, mortali tandem vita defunctus est Thuribius Alfonsus Mogro-
Hebræor. 9. uejus Archiepiscopus Limanus, quia statutum est hominibus semel mori: sicut & christus semel oblatus est, ad multorum exhaurienda peccata. Hanc etenim legem ipse Dei filius homo Christus Iesus per se ipsum, & immaculatam suam Matrem, quamuis peccato generis immunes obseruari voluit, vt exemplum patientiæ cæteris exhiberet: nec malam mortem putandam esse crederent,
Apoc. 14. quam bona vita præcessit. Beati enim mortui qui

in

in domino moriuntur : & pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius . Ps. 115.

Talem autem fuisse mortem Thuribij, præter vitam virtutibus & signis probatissimam, ipsiusq; mortis modum, dominus mortis & vitæ, præuijs prædictionibus, comitantibus prodigijs, & secutis miraculis manifestum voluit; vt quem in cœlis ipse glorificauit, eum in terris quoque gloriosum efficeret; & posteris desiderio æternitatis ardentibus, arduæ virtutum & laborum viæ tolerandæ tædium tolleret. Regnum enim cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Nec mortalium quisquam, Matth. 11. nisi mortali corpore exutus illud ingreditur, vt corruptiblile nostrum induat incorruptionem, & mortale induat immortalitatem. 1. Cor. 15.

Anno Christi millesimo sexcentesimo quarto, trigesimo primo die mensis Iulij, synodum diœcesanam in Cathedrali Ecclesia Limensi absoluit, quam nos in Lima limata extantium synodorum eius decimam numerauimus: tametsi, adiunctis deperditis, tertiam vel quartam supra decimam esse censeremus. Mense forsitàn septembris, vt quo tempus in Peruuia vernare incipit, tertiam generalem totius diœcesis visitationem, in qua obijt, inchoaturus, è ciuitate Regum egressus est: ac tunc abiens, Grimanesæ Mrogrouejæ sorori suæ, vt Paulus Apostolus Milentensibus valedidens, dixit, Deus tecum sit, chara soror, quia faciem meam amplius visura non es; quibus verbis

mor-

mortem ſuam, quam decimo octauo inde menſe obijt, prophetaſſe intellectus eſt. Vnde audientium lachrimis, luctuque obortis, ille teneritudinem animi ſui, & prophetiæ æſtimationem ſilentio premens, mulam conſcendit & abijt.

Addunt, ex vrbe egreſſum, eo loco ex quo eam vltimò proſpicere poſſet, faciem ſuam versùs eam conuertiſſe, & multis impenſis benedictionibus, (vt S. Franciſcus Aſſiſio abiens fecit,) hæc verba protuliſſe: Ibi te, o Lima, relinquo: ibi remane Franciſce Quiñioni: ibi te quoque Grimaneſa: quaſi chariſſimis pignoribus ſponſæ ciuitati, cognato, & ſorori nunquàm poſteà videndis vltimam benedictionem impertiret, vt viæ comites intelligebant, & monſtrauit euentus.

In hac vltima ſua viſitatione, cunctos quantùmlibet ætate paruulos, confirmationis ſacramento, præter ſuum morem expectandi ſeptennium ætatis, donabat; & monente quoquam, eos ſacro chriſmati maturos non eſſe, reſpondit, ſe illos vngere, quòd ſciret ſe illùc poſteà venturum non eſſe, quòdq; fortaſſis illæ Regiones Epiſcopũ longo pòſt tempore non viderent: Quibus verbis mortem ſuam, quarto poſt menſe ſecutam, & populorum futuram neceſſitatem prædixit: quos nullus Antiſtes ex tùnc vſque modò viſitauit, vt examinati Teſtes affirmarunt.

Archiepiſcopus Thuribius pòſt actam viſitationem, & conſecratum Chriſma in oppido Guauras,

alio

aliò progressurus, Licentiato Alfonso Guerræ, Curioni S. Iacobi Guaimanensis dixit: quòd ipsum deinceps non videret, nec illiusmodi consecrationem amodò facturus esset: sed quòd anno sequenti sacra olea pro ipso consecraret Ludouicus Lopez de Solis, Episcopus Quitensis. Quo & mortem suam annno sequenti futuram, & locum designabat; nempè propè Diœcesim Quitensem, & consecrationis olei functionem non defore prædixit; vt factum infra narratum monstrabimus.

Mense Martio, nono vel octauo circiter supra decimum, postquam Lima discessit, peruenit ad celebre Sanctuarium Beatissimæ Virginis à Guadalupe Cænobij Ordinis S. Augustini, locum vallis Pacasmaij, ad oram maris pacifici, vulgò *del zur*, centum leucis, seu quingentis plus minus milliaribus Italicis, in septentrione, Lima distantem, & à ciuitate Truxillo, in cuius Diœcesi nunc situs est, leucis viginti, seu miliaribus eiusdem mensuræ centum; vbi mortem suam tempore, & loco propinquam, clariùs, quàm antè prænunciauit. Postquàm enim totum terræ tractum Lima illuc porrectum, tot mensibus, non recto itinere emensus, sed vago circuitu, & suo modò oppida, Pagos, & antra deserti solerter inuestigans, in visitationis, & sacramentorum laboribus peragrando lustrauit.

Postquàm toto tempore vitæ suæ nullo morbo decubuit, cui sanguinis emissionem extra votiuas fla-

flagellationes, vel cilicij puncturas; aut aliud corporis medicamentum, præter ſolitos labores, & ciborum, ſomnique ſobrietatem adhibuiſſet, ad illam ſacram ædem interdiù ex itinere diuertens, in quadam cella cœnobij parumper quieuit, ardentiſſimi ſolis declinationem ad progrediendum expectans. Tùm, temporis abeundi per famulum monitus vir Sanctus, adhuc etiam tùnc ſanus, & vegetus, exiuit in clauſtrum cœnobij, & coràm multis Religioſis ibi eùm expectantibus dixit: Eià Patres abeundi iam nobis tempus eſt: & reſpondentibus ita eſſe; ſolem enim in occaſum vergere: non hoc, inquit, dico, ſed ad alteram vitam tranſeundum: iam enim illùc migrandi tempus eſt.

Identidem retulit, in conuentu Toletano eiuſdem ordinis, virum fuiſſe conſummatæ ætatis, & virtutis; qui diem & horam ſuæ mortis diuinitùs edoctus iuſſit ſocio, vt eùm ad lectum duceret, & corpus ad moriendum componeret. Quo facto accenſum cereum manu tenens adiunxit, Beatiſſimam Virginem ſe monere, ambulandi tempus eſſe, iiſque dictis expiraſſe. Quibus intulit Archiepiſcopus: & vos Patres manete cum Domino; nobis enim ambulandi tempus eſt. Haud dubiè ſignificans, ſibi quoque in illo Deiparæ Sacrario, mortem ſuam reuelatam fuiſſe: nam poſtero die, in itinere, febri correptus, decimo ſeptimo pòſt in cælum abijt.

Guadalupe iter direxit ad oppidum S. Iacobi de Mira-

Miraflores, quod vulgò Saña, ſeu Zaña vocant, quò, tanquàm ad locum longè priùs, & ſæpiùs morti ſuæ deſtinatum; quaſi inſtantis tùm ſeptimanæ ſanctæ ſolitis exercitijs illic perfuncturus. Diſſuadebant propoſitum comites itineris, quòd nondum ceſſaſſent vehementes æſtiui calores, qui in Peruuia menſe Aprili primùm declinare, & in oppido Saña multis fatales eſſe ſolent. Inſtabant, eo loci ſacerdotum numerum ad olei conſecrationem idoneum haberi non poſſe: Truxillum potius ciuitatem functionibus aptiorem iret: At ille futurorum præſcius, non vt Ionas Niniuem refugiens, ſed vt Paulus, Hebræorum perſecutionem præuidens, diuinam vocationem ſui, toties iam cælitùs intimatam ſequutus eſt, affirmans, Vicarium S. Iacobi per litteras docere, ſufficientes ſacerdotes fore, cum paucis, quos ipſe Archiepiſcopus Guadalape ſecum conduceret. Ire igitur conſtantèr voluit; etſi cùm comitum tanto timore valetudinis; vt ſacellanorum quiſpiam eo percuſſus, obtenta ſancti viri venia Limam redijſſet. At Thuribius cum cæteris, vt diximus, febri laborans iter ſuũ Sañam proſecutus eſt, & in obuijs paræcijs, Cherrappe, & Reque, actu viſitationis ea celeritate functus eſt, ad quam infirmitas indiès inualeſcens cogebat.

Plures dies cùm febre, & itineris, viſitandique labore ieiunus luctabatur: ſed ægritudine apud Requeanos ingraneſcente, iuſſit Medicus, vt carnium vſum admitteret, vt vel iuſculo adiutus, vires

conseruaret: At ille illubens & inuitus ieiunij leges, quas tota priùs vita rigidè, etiam in votiuis, obseruauit, non antè soluere voluit, quàm persuasus, obedientiam victima potiorem esse, loci quoque Parochi Francisci Guisadi licentiam obtinuisset: quam B. Archiepiscopi humilitatem, & boni exempli curam antè ponderauimus. Oportuit autem tertiam feriam hebdomadæ sanctæ fuisse, cuius omnes dies Thuribius pane tantum, & aqua vesci solebat; cùm Testes exanimati conueniant, per multos priùs dies laboribus & febre fatiscentem, carnium tamen vsum, non nisi tertio die ante mortem admisisse, quam quinta feria obiuit.

Requæ iacentem Franciscus Pacho, alterius loci Parochus inuisit, & morbi grauitatem aduertens, monuit, nè inde discederet, ne quid in via deteriùs contingeret: at ille se posse ire respondit, quòd eodie moriturus non esset: sed alio quem disignauit: atq; id ipsum dicebat pluribus, qui ipsius pulsum tangentes vicinam mortem præsagiebant. Eodem ergo ipso die, vel sequenti Sañam oppidum ferè moribundus intrauit, & in Ioannis Herreræ Sarmienti, Curionis domo hospitatus, iterùm carnes gustare non voluit, absque eiusdem noui Parochi noua dispensatione ieiunij, eaque in scriptis obtenta. Pluris enim fecit, in oppido, quàm in pago dispensationem solemniùs innotescere; vbi plures Hispani Indique, Ecclesiasticæ, & Parochialis iurisdictionis obseruantiæ exemplo ædificandi erant: & vt quorun-

rundam nimia licentia, in leuibus etiam causis, & quandoque tantummodò prætensis, aut imaginatis, comprimeretur.

Qui tùm assistebant, moribundum eum existimantes, interrogarunt, an symbolum fidei sibi cantari vellet, & respondit, eo die opus non esse: cùm foret autem, tunc se moniturum, quod exactè fecit, & non multo post expirauit, & postea videbimus: ex quibus certum suæ mortis diem præsciuisse constat, imo & locum prædixit: nam cùm Requæ decumberet, Lupercio de Villar ciui Sañensi, qui cùm medico eum visum curatumque venerat, claris verbis dixit: Luperci, Sañæ mihi moriendum est; vt moriamur, Sañam eamus.

Sañam ergo Hispanorum appulsus oppidùm, alijs nonaginta, alijs centum ac decem leucis Lima distans, illicò in cænobia, Xenodochia, aliasque Ecclesias, & loci pauperes, largas eleemosynas erogari fecit: non quo per incolarum suffragia diutiùs viueret, sed quo meliùs in Domino mori posset, quod ijsdem inter alia medijs, quamdiu vixit, ab ineunte ætate sibi comparare studuit. Inter familiares aliquando narrabat Archiepiscopus, virum quendam nobilem, & virtute præstantem dicere consueuisse, se boni nuncij strena donaturum eum, qui instantis mortis suæ primus nuncius foret: Nùnc verò ipsius Thuribij desperatam iam vitam, inter domesticos Medici pronunciarunt. Quod vt suauiùs Archiepiscopo insinuaret Ioannes Roblez,

Fff 2 eidem

eidem à ſacello familiaris, eum priùs reuerenter ſiſcitatus eſt: an illius narratiunculæ ſuæ meminiſſet, illoque affirmante, ſubintulit, id genus præmij ſe nunc ab ipſo poſcere, vt qui ex Medicorum ſententia eum præſenti morbo moriturum primus annuntiabat.

Mirum quàm grato animo, quàm læto vultu vir Sanctus Robleſij ſui, tanquàm euangelizantis Angeli verba excepiſſet, ſtrenam boni nuncij certò promiſit, & lugentem reluctantemque accipere coëgit, eleuatis in cœlum oculis manibusque cantans: Lætatus ſum in his quæ dictà ſunt mihi, in Domum Domini ibimus. Quo Pſalmo S. Thomas à Villinoua ſimilem nuncium excepiſſe, & S. Petrus de Alcantara, eodem integrè decantato, genibus inſiſtens, Spiritum Deo tradidiſſe ſcribuntur. Quippe viri Sancti, Dei bonitati confiſi, per æternorum recordationem, caducorum obliuiſci ſolent, & Regni cœleſtis, propinquæ poſſeſſionis lætitia, terrenum omne, & mortalem ipſam vitam contemnere.

Thuribius res terrenas ita tunc diſpoſuit, vt nummorum inops, omnem ſuam ambulatoriam ſuppellectilem in itineris familiares diſtribui, & quidquid, vel in chartis obligatorijs, vel in ciſtulis, Archiepiſcopalis prouentus apud Cuſtodes, & æconomos depoſitum reperiretur; cum tota ſua Limana ſupellectili domeſtica, Pontificijque apparatus, & priuati ſacelli ornatu, & vtenſilibus

in

in Christi Pauperes erogari iussisset, creditores suos illos appellans, quibus proindè, quod ipsorum proprium erat, tanquàm proprietarijs dominis restitui debere dixit. Hinc, vt corpus defuncti Sanctorum Dominici, Francisci, & Augustini regularibus vestimentis indutum, ad vrbem Limensem efferretur, in Ecclesia sua Metropolitana sepeliendum. Et quoniam, vt id commodius fieret, ipsum exinterandum sciret, statuit denique, vt extractum cor suum in Limensi Monasterio S. Claræ conderetur, vt perenne monumentum opinionis apud ipsum conceptæ de incolarum Christi sponsarum religione, pietate, & morum sanctimonia; ipsarumque inter posteras imitationis incitamentum, quas ipse hac sua vltima voluntate dignas esse testabatur.

Sañam eum secuti sunt multi sacrorum ordinum candidati, credentes se illic subbatho sancto per Archiepiscopum initiandos esse. Sed quoniam eum tam grauiter ægrotantem inuenerunt, per eius licentiam ad Ludouicum Lopezium, Episcopum Quitensem, qui in oppido Xayanca, duorum triumue dierum itinere dissitus tunc erat: ab eo ordinandi, se contulerunt. Priùs autem ad eundem Episcopum misit Thuribius cum vasis Chrismarijs, vnum è suis visitatoribus, vt sacra olea pro Limensi diœcesi, & impedito Archiepiscopo consecraret: quo completa est prophetia, quam anno superiori de hac consecratione eum edidisse diximus.

Per

*P*er hunc modum sancta illa anima terrenarum rerum pondere exonerata, & aliena procurandi sollicitudine expedita, expansis alis, tota in cœlum libera ferebatur, diuinæ contemplationi toto nisu intenta, cùm elucuit iam fœlix illa dies, qua euolandum erat, & feria quinta maioris hebdomadæ, qua Christus Iesus supremā mortalis vitæ cœnam cùm suis Apostolis celebrauit. Thuribius ergo, vt pro vltimo suæ vitæ transitu, cum eo dignè communicaret, summo manè canonicum Officij diuini pensum, & votiuas totius diei preces, etsi semimortuus, cū sacellano persoluit; hoc solatio, Dei munere donatus, vt quas nullo vnquā die, à quo recitare cœperat, intermisit, extremo quoque compleuisse gauderet.

Indignum autem se reputans, ad quem creaturam creator, ad seruum Dominus, ad hominem peccatorem, Deus solus Sanctus inuisendum adduceretur, seipsum ad templum in humili grabato deportari fecit, & in domus Dei angulo collocari; vbi pro tremendo vitæ transitu, Corporis Christi viaticum è sacerdotis manu susciperet, affirmans, peregrinos viatico extra domum suam vti debere. Toto temporis interuallo, quo id expectabat flammeis precum iaculis, diuinæ dignationis, & proriȩ indignitatis contemplationi indulgebat: accedentem autem in manibus Sacerdotis Deum, copiosis lachrimis, & gemitibus excepit, quibus assistentes omnes ad similia religionis officia commouit. *P*ost susceptum autem Sacramentum, eodem

dem

dem loco aliquantum tempus lætis gratiarum actionibus impendit.

Hinc domum reuectus extremæ vnctionis Sacramentum petijt, in quo suscipiendo innumeros ardentissimæ contritionis actus elicuit: & vt ritè ministraretur, iussit Sacerdotibus, vt, inspecto rituali libro, cuncta pernotarent. Ijs verò in libro voluendo titubantibus, eum sibi porrigi fecit, & agenda pronuntiandaque indigitauit. Suscepto hoc Sacramento, publicam catholicæ fidei professionem tertia vice repetijt, & inter alia precum iacula, quibus cœli portam pulsabat, cum Christo suo loquens, Apostoli verba frequenter vsurpauit; cupio dissolui & esse tecum: quæ tanto affectu & intimi amoris feruore pronunciabat, vt assistentes etiam in lachrymas dissolueret. Lugentes autem, & flentes domesticos suos, tàm bono se domino, tàm vigilanti Pastore, amantissimo *Patre*, & potenti Protectore destitui; quoniam vsque in finem dilexit eos, tùm etiam dulciter solabatur, iubebat bono animo esse; nec timerent, quin, ipso sublato, bonus Deus ipsorum diligentiam habiturus sit, modò ipsi vicissim ipsius Diuinitati fideliter pièque seruirent, eumque ex animo diligerent, & cùm proximis iustitiam, charitatem, & pacem seruarent, bonique exempli curam vbique haberent, quæ etiam dùm viueret, frequenter ipsis inculcabat.

Sol iam ad meridiem peruenit, & *S.* Præsul omnes ad corpora reficienda abcedere iussit, nec dubita-

bitarent, ſatis temporis fore, vt ipſi abeunti adeſ-ſe poſſent. Sed quorum viſcera amarus dolor impleuerat, & pane lachrimarum ſaturata fuerunt, de cibo minimè ſoliciti, ad proximam aulam egreſſi ſunt; vbi cùm aliquandiu ſtitiſſent; ſed attenti quid intus fieret, audierunt Thuribium dicentem: iam tibi dixi, te nimis importunum eſſe: an non vides, nihil hic tibi ſperandum reſtare? Reſtitit Diabolo, & fugit abipſo, quod rati etiam famuli cubiculum iterum ingreſſi ſunt; & Thuribius ad ipſos: iam amplius, inquit, non me deſeratis, hora enim propè eſt, vt a vobis tranſeam.

Pręter domeſticos ſacellanos, aſſiſtebant ei *P*aſqualis Paroques, tum illi à munere viſitationis, & ſacra confeſſione Miniſter, & aliqui viri Religioſi, inter quos erat Frater Hieronymus Ramirez, Ordinis S. Auguſtini, in muſicis inſtrumentis peritus: quem proinde rogauit vir Sanctus, vt, accepta Cythara, Pſalmum, Credidi, propter quod locutus ſum, illi concineret. Quod dùm ille faceret, Thuribius affectuoſa meditatione ſenſuum pſalmi, oculis in Crucifixi Ieſu effigiem, ac ſubinde in ſanctorum *P*etri, & Pauli Apoſtolorum Imagines defixis, attente auſcultabat: Finito pſalmo, fidei profeſſionem iam quartùm protulit, & eiuſdem fidei ſymbolum ab aſſiſtentibus recitari ſibi fecit; eoque abſoluto, iuſſit, vt Frater Hieronymus pſalmum, Inte Domine Speraui, cum Cythara caneret, cùmque ad verſum: In manus tuas Domine commendo

do Spiritum meum, ventum esset, tùm seruus Dei re ipsa spiritum placidissimè tradidit Creatori, cùm eousque integris sensibus, & sermone valeret; ex qua rerum omnium voluntaria ipsius dispositione, & verbis, non horam tantum, sed momentum quoque suæ mortis præuidisse, & præsignasse visus est.

CAPVT XLVIII.

Portenta, & miracula in B. Thuribij morte visa.

TAm sancto fine mortalis vitæ suæ, & anno ætatis sexagesimo septimo, mense quarto, die nono: ab inita possessione Pontificatus Limani, anno vigesimo quarto, mense decimo, die decimo octauo: Christi verò anno millesimo sexcentesimo sexto, die vigesimo tertio Martij, feria quinta Cœnæ Domini, hora fermè quarta pomeridiana, quæ Italis eo tempore anni, est circiter vigesima secunda diei naturalis. In oppido Saña tunc Limensis, nunc Truxillanæ diœcesis, in Peruuia, leucis ab vrbe Metropolitana Limensi nonaginta, seu, quorundam calculo, centum & decem, & à Truxillo viginti, in Arcto; B. Archiepiscopus, & magnus Christi Sacerdos Thuribius Alfonsus Mogrouejus, nomen pijs auribus dulce, non tam obijt, quam abijt ab hac valle miseriæ, & laboribus, periculisque terrenæ visitationis, vt eam in

cœlis absolueret, & cum tot millibus animarum suæ curæ Pastoralis, quas illùc præmiserat, æterna requie, & secura felicitate frueretur.

Eius tùm acquisitæ, non leuia nobis in terris argumenta reliquit, præter cœlestia prodigia, & alia miracula, vultum mortui, quàm viui corporis similiorem, pulcherioremque, ac totius corporis fragrantem odorem suauissimum, quæ concurrentium populorum sensus mirificè recreabant, communemque opinionem, & exultantem applausum ipsius probatæ sanctitatis. Ad primum enim sonitum funebris æris Campani, non ex oppido tantum, sed ex vniuersa Regione accurrebant omnes. Lugebant boni, ereptum sibi ductorem viæ vitæ: Pauperes inopiæ remedium: Indi affectuosissimum Patrem: Viduæ, suæ desolationis solatium: Virgines orbitatis sustentaculum: Populi Pastorem optimum: omnis hominum status, omnis virtutis exemplum: Ecclesiæ sui capitis coronam, & splendidum decus.

Solabantur se signis sanctitatis eius, & æstimato tùm in cœlo potentis patrocinio, cui tunc in terra prostrati se commendabant, non sine secutis miraculis, quæ postea referemus. Venerabantur corpus, animæ beatitatis particeps: rosarijs & pannulis contingebant: mirabantur autèm incogniti odoris fragrantiam, & conclamabant omnes Sanctum Archiepiscopum: & felicem se reputabat, qui vultum videre, qui manibus, vel pedibus oscu-

osculum infigere poterat.

Hanc omnium æstimationem de Thuribij in cœlis gloria non defuit Deus prodigijs è cœlo datis comprobando. Multis enim diebus ante mortem eius, in ciuitate Regum Lima, apparebat Cometa, Ciuibus passim visus. Et quoniam aspicientibus videbatur Ecclesiæ Cathedrali, & Archiepiscopali Palatio, eidem Ecclesiæ contiguo, superemineré, indicabant prudentes Archiepiscopi tunc procul absentis mortem portendere; quod & ipsius viri Dei Vrbe abscedentis prophetica prædictio, quàm antè narrauimus, & euentus ipse postmodum notus, confirmarunt. Nam cùm per viginti circiter dies ante mortem eius semper appareret, eadem ipsa nocte, in cuius Vespero viuere desijt, Cometes quoque disparuit, nec ampliùs visus fuit.

Eadem autem ipsa nocte, non Sañæ tantùm, sed in tota Regione, & remotioribus Peruuiæ locis Luna tota defectum passa est, durauitque quatuor amplius horis: & nonnullis visa est, quasi nigras lachrymas funderet: quam Eclypsim non ordinariam, vel naturalem, sed cœleste prodigium; & Vulgus, & Viri graues crediderunt, quo Deus monstrare voluit, meridionalis Indiæ felicem planetam, in serui Dei morte obscuratum fuisse: eò maximè, quòd ipsorum aliqui Eclypsis plenissima magnitudine, & specie territi, planetarum Ephemerides curiosè inspexerint, nec vllam eius-

modi deliquij lunæ ijs horis appariturі mentionem reperire potuerint: quòd eadem nocte Doctor Gaſpar de Herrera Eſcouedo, Tucumenſis populi Curio, leucis tredecim Saña diſtanti ſibi contigiſſe, in actis iuratus teſtatur. Quapropter, quòd Archiepiſcopi ſanctitatem cognouiſſet, eius mortem, eo portento ſignari, ſibi perſuaſit: ſed ſequenti die magis, cùm eiuſdem mortis certus nuncius Tucumam aduenerat, quo ſuam ſententiam firmiùs retinuit Herrera, & cum ipſo alij in multis alijs locis idipſum iudicium de eadem Ecclypſi tunc apud ſe viſa, Deo inſpirante, conceperunt.

Miraculum clariùs confirmauit tertium ſingulare prodigium, globus igneus ſupra Lunam apparens, qui in Crucem rubri coloris eformatus, etiam occidente Luna, & luceſcente diè adhuc omnibus clarè viſibilis in aëre remanſit, & contra vſum naturæ in diuerſis horizontibus, Sañæ in Septentrione, & bis centum ac viginti, vel quadraginta indè leucis, Arequipę in meridie, ac Limæ, alijſque intermedijs locis ſimul viſa fuit: at illuſtris, & ſplendida diſparuit; atque ab aſpicientibus Thuribij mortis, & gloriæ portentum intellecta; in ijs præſertim locis, in quibus præceſſerant prophetię mortis, vel rumor infirmitatis ipſius: quaſi Crux tribulationum, quas Thuribius ſuſtinebat, in glorię retributionem conuerſa fuiſſet, vt aliqui interpretabantnr; vel; vt ego priùs tetigi, charus Deo

labor

labor Visitationum Archiepiscopi prȩeunte lignea Cruce, in Cœlnm prȩmiandus, siderea prȩcedente efferretur Beatus peregrinus, qui per terrena itinera in Cœlestem patriam pertingit.

Tolerato aliquandiù deuoto illo impetu concurrentis populi, de corpore ad publicum funus componendo actum est, & exclusa turba, Chirurgi officio suo functi sunt, & iliorum eius inanimitatem, & munditiem, à nobis ante relatam, attentè obseruauerunt, vehementerque admirati sunt. Tùm exinteratum corpus, triplici illa, quàm diximus, regularium ordinum veste, iuxta piam religiosissimi *P*ræsulis voluntatem, indutum fuit, & *P*ontificio apparatu desuper ornatum: atque sic in Sacerdotis domo, publico accurrentium aspectui, & magnȩ omnium venerationi expositum fuit; sed vigili, & valente Custodia, nè turbæ compressione violaretur, aut vestes, vel membra in particulas discinderentur, cupiente multitudine aliquas ipsius reliquias habere.

Indicarum rerum *S*criptores tradunt, ob calidam, humidamque peruiani cœli constitutionem, in planitie præsertim, defunctorum corpora intra paucas à morte horas corruptionis inditia præferre, & macelli carnes in integrum diem seruari non posse, quin vermibus scateant. At S. Archiepiscopi corpus tot indumentis onustum, in summo Regionis caumate, intrà priuatos angustosque parietes, turbarum compressæ multitudinis halitui, & cir-

circumardentium tædarum calori expositum, per quinquaginta circiter horas; flexilibus membris, naturalem vultus colorem, & iucundissimum aspe-ctum, cum cælestis illius odoris fragrantia, quæ totam domum repleuerat, & accedentium sensus, animosque recreabat, perpetuò retinuit, absque vllo signo corruptionis.

Sabbatho Sancto in quo Festum Annunciationis Deiparæ Virginis, cum læto sacri Paschatis Alleluia concurrebat, ea pompa, quam totius Regionis Clerus populusque componebat, ad Ecclesiam Oppidi matricem occidente iam Sole elatum, & in humili loculo reuerenter depositum fuit: Cuncti eius animi in aduersis patientiam, inuictam, in persecutione constantiam, pœnitentiæ austeritatem, indefessos labores, pastoralis curæ vigilantiam, solicitudinem salutis animarum, Pauperũ paternam diligentiam, charitatem in proximos omnes ardentissimam, orationis assiduitatem, & Religionem erga Deum, cæterasque eius virtutes, dotes, & catenùs cognita miracula, certatìm commemorantibus, eiusque apud Deum patrocinium inuocantibus.

Nunc verò si quisquam omnes hæroicas actiones, gratias sanitatum, & operationes virtutum, aliorumpue Spiritus Sancti Charismatum effectus, quæ omnipotentia diuina per Thuribium Mogrouejum dùm viueret; & clara miracula per ipsius inuocationem ad manifestandam serui sui sanctita-

tem,

tem, & cœleſtem gloriam, in morte ipſius, & poſt mortem perpetrauit, integrè ſe collegiſſe diceret, is profectò longè deceptus meritò dici poſſet. Si etenim aliquot Synodorum Diœceſanarum acta, quæ publico congreſſu Sacerdotum, & Canonicis ſolemnitatibus celebrata fuerunt, etiam cum obligatione in eiſdem decreta, vt per omnes Eccleſias *Prouinciæ*, tanquàm viuendi regulæ perpetuò ſeruarentur, & in publicis Cleri populique conuentibus ſæpè legerentur; perierunt tamèn: ſi ſolemnia inſtrumenta per Archiepiſcopum, & aliqua de ipſo edita; ſi mutuæ inter ipſum, & Romanos Pontifices, ſacraſque Vrbis Congregationes, Regem item Catholicum, & Regios Senatus litteræ, quæ ſtudioſè ſeruari conſueuerunt; vel iniuria temporis, vel terræ mariſque caſibus abrepta, non omnia reperiantur, quantò minùs virtutum actiones, & miracula, quæ S. Præſul pro inſigni ſua humilitate, comprimere, & occultare ſtudebat, in lucem omnia venire poſſunt, poſt mortem tot millium perſonarum, quæ oculati alioquin Teſtes, & experti, ea, ſi interrogarentur proferre poſſent, cum legitimum eorum examen ad certam notitiam comparandam inſtitui cœpit.

Ego, quæ in legitimis tabulis, et bonis libris reperi, in hoc breuiarium contrahere niſus ſum, & ſtudio, quo teneor, hiſtoricæ veritatis, & intimæ deuotionis affectu, quo magni huius Sacerdotis Chriſti eximiæ ſanctitatis æſtimatio me traxit: præter

ter acta vitæ, mortis etiam casus, & prodigia, in ea visa retuli; Nunc alia miracula, quæ mortem subsecuta sunt, & posthumam S. Viri famam, delatumque per Apostolicam Sedem publicum beatificationis honorem, & cultum prosequemur. Etenim à morte B. Thuribij, ante & post humatum eius Venerabile corpus in Ecclesia Parochiali Sañensi, multi varijs doloribus, morbisque grauati, vel corpus insepultum piè venerati, vel sepulchrum ipsum posteà visitantes, qui se ipsius incercessioni commendabant, repentè sanabantur, quamuis in eo tumultu singulares eorum circumstantiæ obseruari non poterant, sed speciatìm notata sunt ista.

Mulier, quæ diuturno sanguinis fluxu debilitata, cùm humana remedia succurrere non poterant, concepta fide sanctitatis Serui Dei, instanter petijt aliquam eius reliquiam sibi exhiberi, & acceptum ceruical, in quo ille inclinatus obijt, certa fiducia recuperandæ sanitatis, capiti suo supposuit, orans Deum, vt S. Archiepiscopi meritis eam liberare vellet; & exaudita est, atque statim sana surrexit.

Indus quidam manibus, pedibusque ita contractus, vt nec per se incedere, nec cibum ori porrigere posset, ad sacri cadaueris pedes inter turbam aduectus, illicò liber, & sanus euasit, & gratijs Deo, & Thuribio liberatoribus actis, suis pedibus domum suam firmo gressu reuersus est.

Sa-

Sacri corporis Limam transferendi actores Saňam appulsi, cùm ad eius identitatem, statumque cognoscenda loculum aperuissent, inuenerunt integrum, ac tot miraculis illustre. quot erant corporis ipsius & vestimentorum partes, & quot in mortuo erant signa vitæ. Cadauer, quindecim tunc mensibus in terra suppultum, suauissimũ illũ exhalans odorem, cuius speciem nemo discernere poterat; sed omnes eo summoperè delectari; vultum recentem, & nitidum, frontem serenam, labra purpurea, comptum capitis capilamentum, barbam in sepulchro factam promissiorem, quàm cùm conderetur; carnem recentem, mobilem, & mollem, iuncturas omnes flexibiles; vt vel recentissimè mortuus, vel dormire potiùs, quàm vita decessisse iudicari posset: vestes omnes, etiam calceos, & corrigiam S. Augustini, & chordam Sancti Francisci, quæ in sepulchro facile corrumpuntur, tam integra & munda, vt omnia apparerent tùm statim imposita, & noua: laneas vestes, integras, siccas, & mundas, omnia denique absque vllo vel minimo signo corruptionis. Sola exterior vestis Pontificalis, leui situ viridi à loci humiditate insperfa fuit, sed quo per solam excussionem decusso, vestis ipsa tam sana, fortis, integra, & pulchra remansit, ac si tùm ex institoris taberna producta fuisset.

Et nè ordo actionis nos iterùm hæc repetere cogat, corpus ità, vt erat, absque vlla mutatione, vel noua cura cistæ impositum, & Limam asportatum

tatum, nec mutatio aëris, nec motus prolixi itineris in vllo mutauit, quin eodem statu, forma, colore, & odore Limę persisteret; non tantùm vsquè ad secundam ipsam depositionem, in Ecclesia Cathedrali Limensi, sed vsquè ad tertiam per secundam translationem, in nouo sepulchro eiusdem sub ara maxima; quò post multos annos translatum fuit; vbi adhuc remanet, vt Viri graues, qui oculis viderunt, manibus contrectarunt, & adhibito studio experti sunt, Religiosi, Ecclesiastici, & Seculares; certò & securè, iure iurando contestantur.

CAPVT XLIX.

Corporis translatio, & miracula in ea facta.

INtereà dùm Ciuitas Lima ex relatis indicijs, visisque portentis, non tàm timida solicitudine, quàm firma opinione sibi persuaderet, se Patre orbam, & Pastore viduatam esse, post plures dies, funestùs nuncius infaustam S. Præsulis, sed certam mortis notitiam attulit. Tùm præsonantibus Cathedralis Ecclesiæ campanis, per cæteras totius vrbis concrepitum est, & ingenti Ciuium luctu, & lamentatione per nouem continuos dies parentatum est, ea pompa funebri, quæ & tanti Viri personam, & vrbis Regum splendorem decebat, cu-

cuiùs pompæ, actionum, id solum didicimus, funebrem orationem ad populum habuisse F. Ioannem Perezium à Spinosa exOrdine S.Francisci,Chilensem Episcopum; in qua Thuribium sæpè Sancti Archiepiscopi titulo compellauit, sumpto Themate: Hic est Sacerdos magnus, quem constituit Dominus super familiam suam. Talemque eum fuisse, in orationis decursu demonstrauit.

Transacto hìnc anno, capitulum Ecclesiæ Metropolitanæ Limensis decreuit, venerabile corpus, iuxtà extremam S. Viri voluntatem ad se Limam transferre, eiusque rei executorem constituerunt Doctorem Matthæum Gonzales de paz, eiusdem Ecclesiæ Canonicum Magistralem, assignatis ei duodecim Sacerdotibus, qui ipsum comitarentur, eique in toto negotio assisterent, & alijs personis officio conuenientibus. Sañam appulsi, & corpore ex iuris ordine recognito, cæterisque ritè peractis, sacrum pignus integrum, & adhùc tunc incorruptum, in prætiosi ligni noua sandapila concluserunt, & in lectica ad id præparata, inter duos mulos vectorios, cùm debita venerotione, & quo decuit honore, & cura collocarunt, eoquè modo hìnc atquè indè equitantibus duodecim illis Sacerdotibus, multisquè alijs hominibus, qui, vel missi fuerunt, vel vltronea deuotione se illis associarunt, iter Limam direxerunt.

Vbi ad secundam ab Vrbe Lima leucam peruenissent, ibi Ciues, ac semper deinceps magis, ma-

gisque confluentes obuios habuerunt, qui cum tædis, & cereis, sacrum corpus veneratum, deuotoque honore susceptum exibant; ita vt vrbem vacuam se reperturos putarent: sed ingressi, omnes fenestras, solaria, & plateas plena reperiunt, vt vix liber transitus ipsis relinqueretur. Ingens erat concursus, sed maior omnium lamentatio desolationis suæ; & quo se solabantur, clamor laudum, & applausus sanctitatis Archiepiscopi, quem absq; Sancti epitheto nemo nominabat. Miserandus erat eiulatus Indorum, qui omne bonum suum in Thuribij morte perditum, querulo clamore deflebant. Inter hæc tandem appulsi portitores ad templum S.Dominici, vbi in Sacello aræ maximæ elatum pegma, præparatum fuit, sandapilam cum sacro corpore in eo collocarunt: nam si ad manus populo fuisset, & vestes, & membra in frusta discerperentur.

Tanta erat omnium pia cupiditas, aliquam ipsius reliquiam priùs quàm sepeliretur abripiendi, Et,ne sic fieret, fida, validaque custodia adhibita fuit. Postquàm sacrum pignus ibi per duos dies populi concurrentis pietati expositum fuisset, conuocatis clero vniuerso, & religiosarum ædium conuentibus, Regio Senatu, qui demortuo Pro-Rege, Comite Montis Regij, Prouinciam administrabat, cæterorumque Tribunalium ministris, & accurrente infinita multitudine populi, illis per ordinem congrua pompa, procedentibus, venerabile

bile corpus, ad Ecclesiam Metropolitanam elatum est, vbi celebratis tanquàm præsente corpore, diuinis mysterijs, & oratione, per Doctorem Petrum Muñiz, eiusdem Ecclesiæ Decanum, de Thuribij laudibus ad multitudinem habita, in peculiari Sacello depositum fuit, dum absolutum foret sepulchrum commune *Præsulum*, & capitularium, quod ex ipsius Mogroueji instituto, sed successoris cura tunc sub ara maiori construebatur: atque hæc prima corporis B. Thuribij, & solemnis translatio fuit.

Absoluta verò post multos annos ea crypta, illùc iterùm integrum, & primam semper cælestem illum odorem spirans translatum est, præsente Illustrissimo Viro Bartholomæo Lobo Guerrero, eiusdem Sedis Archiepiscopo, & immediato Successore Thuribij (qui obijt anno 1622. die 12. Ianuarij) & multis alijs, qui ad functionis rumorem conuenerant. Nùnc vrna, & arca, quæ ditem thesaurum corporis B. Viri continet (ait Didacus à Cordaua, anno 1651. scribens) in Sacello sepulchrali Venerabilis capituli, in vno sinu sub ara maxima seruantur: cor autèm, vt antè scripsimus, in Diuæ Claræ Templo, pro ipsius vltima voluntate, reuerenter asseruatur.

Elatum Safia sacrum funus, plurima per viam patrauit miracula. Nam ad transeuntis famam commoti Populi, ex Oppidis, & *Pagis* confluentes, infirmos suos vndequàque afferebant, quorum

rum

rum nemo vel feretrum tetigit, vel interpositis B. Archiepiscopi suffragijs, Deo commendatus est. qui, quamuis moribundus, non illicò, restituta sanitate, integer, & lætus Domum redierit. Et quamuis magna eorum pars cum defunctis posteà testibus consepulta, nos lateat; tot attamèn, ac tanta supersunt, vt magna defuncti Thuribij apud Deum potentia, ex eis satis innotescat. In actis autem aliqua, designatis locis, alia tacitis, referuntur, & nos priora primùm, posteriora posteà narrabimus. In totius autem locorum itineris ordine. ac distantiâ Ioannem Laëtum sequemur, scriptorem in hoc genere accuratum.

Itaquè vt itineraria hæc defuncti Archiepiscopi miracula, quæ post illa, quæ Sañæ contigerunt, incipiamus à ciuitate Truxillo, viginti leucis à Sa a in austrum dissita: ad hanc nùnc ciuitatem, tùnc oppidum appropinquanti corpori obuiam iuerunt ambo coniuges Indi, puellulum filium molestissimis febribus æstuàntem in brachijs suis afferentes; quem cum B. Archiepiscopi misericordiam deuotè implorantes, ad arcam applicuissent, in qua sacrum corpus claudebatur, actutùm eum incolumem, & morbo liberum domum retulerunt.

Venerabili corpore in ciuitatem inuecto, allata est pauper fœmina, membrorum impos, & manca, quæ multa beneficia, & eleemosynas ab Archiepiscopo, dùm in mundo viueret, accepta commemo-

memorans, importunè rogabat, vt ipſum videre permitteretur, corporis ſanitatem procùl dubio ab ipſo nùnc in cœlis regnante obtenturam, quàm tot in terra beneficijs impertiuit. Miſeræ compaſſus Matthæus Gonzalez arcam aperiri iuſſit, ſacras exuuias videri, & linteum quo inuolutæ fuerunt, per ipſam tangi permiſit; quo facto, illa ſtatìm viribus, & naturali membrorum vſui, ſupra naturæ virtutem reſtituta fuit, integraque & incolumis dimiſſa eſt.

Non rectè reperio ex qua parte Truxilli ſit locus Guaco, vel Guaio; quò tranſeunte funere, iuſſum eſt æditŭo templi, vt ſimplici tactu, lentoque, & luctiſono ductu pulſaret campanas; quòd cùm ille faceret, ſonus diuina virtute multiplicatus, lætus, ac feſtiuus ad omnium aures ferebatur, reprehenſus ædituus reſpondit, ſe quidem ſimplici ductu cordas trahere, neſcire verò cur aliter audiretur, ac tertiò quartòque monitus, ne lætum, ſed lugubrem ſonum ederet, quo ſæpiùs, & ſtudioſiùs parere nitebatur, eò lætior, ſolemniorque ſonus euadebat; quod omnes admirati, miraculo factum intelligebant: atque Deum hoc facto innuere, Thuribij funus non lugubre, ſed lætum feſtiuumque mortalibus futurum eſſe.

Non procùl Truxillo abitum eſt, cum occurriſſet mulier vlceribus toto corpore plena, inclamans, vt ſacræ Sarcinæ vultum aſpicere poſſit, indè ſibi certò promittens integram ſoſpitatem, Id conceſſum

ſum, & ſublatum deſiderato vultui velum tangendum illi porrectum fuit; quod cùm venerabundè, & cum certa ſpe recuperandæ per B. Viri merita priſtinæ valetudinis, ori ſuo ammouiſſet, repentè ſanata eſt, & exclamauit nullum vlcus in toto corpore ſibi reliquum fuiſſe.

Hinc in campo Chao, auſtralis agri eiuſdem ciuitatis pernoctandum fuit, vbi, in eiusdem nominis prædio ſuo Chao, tunc erant Ioannes de Alpharo, & Anna de Andrada, Hiſpani coniuges, cum filio paterni nominis, ætatis menſium circiter octodecim, aut vltrà; qui totis octo hectica febre, ita conſumebatur, vt oſſiculis vix cutis hæreret, et cohærentibùs palpebris, per octo priùs dies, nullum indicium vitæ; præter exiguam reſpirationem edidiſſet. Feretrum cum B. Thuribij corpore per noctem depoſuerunt, in illius Prædij ſacello, cùm Ioannes, parvuli pater, cognitam olim ſibi Thuribij ſanctimoniam, et miracula iam patrata recolens, ſummas gratias Deo ageret, qui ſe tanti hoſpitis receptione dignatus fuerit: mox conclamatum puerum, in momenta moriturum, indubitata valetudinis, et euolantis vitæ reſtituendæ ſpe, ſequenti mane ſuis vlnis in ſacellum portans, ſuper Præſulis loculum conſtituit, ipſeque cum vxore et familia flexis genibus B. Viri auxilium prolixis precibus implorabant: Miſſam inſuper pro pueri ſalute, Thuribij meritis obtinenda celebrari fecit; & exauditus eſt: Puer enim pòſt duas circiter horas à

tactu

tactu sacri pignoris exultans, & ridens, se ipse erexit, supra cistam sedit, & cibum petijt, tam sanus & sospes, acsi nunquàm ægrotasset. Et quod continuato miraculo tributum est, nullam deinceps vel minimam valetudinis indispositionem sensit, vsque ad annum ætatis vigesimum quintum, quo cum alijs ipse, tunc etiam sospes & validus, legitimum testimonium ex frequenti parentum relatione, & multorum publica voce, & fama huic miraculo in actis deposuit: qui omnes totum intercessioni B. Thuribij, & loculi corporis eius tactui attribuebant.

In oppido *P*arilla, aliàs Santa, à vallis nomine nuncupata, & viginti leucis Truxillo in meridie dissito; cum corpus B.Thuribij illùc allatum fuisset: triennium iam priùs in lecto iacuit puella duodennis dicta *P*etronilla, filia Ludouici de vargas carrion, & Ioannæ Arzæ ciuium Santanensium, graui infirmitate vexata, & post adhibita multa remedia, omni valetudinis recuperandæ spe destituta: sed Anna Vasquezia auia illam attulit ad locum, in quo B. Antistitis corpus depositum fuit, ac suis aliorumque oblatis precibus, & votis, super loculum collocauit, eodemque tempore sanam & saluam domum reduxit.

Ab hoc Municipio Santa non procul distat eiusdem nominis fluuius, cæterorum omnium planæ Peruuiæ maximus, quem Ioannes Laëtus pernicem, & satis latum affirmat, & qui, cùm plusculum

in montanis pluit, plurimùm inflatur, & cum discrimine, atque non rarò cùm exitio tentatur. Immò cùm intumescit, vt ex legitimis actis Beatificationis, & Canonizationis Thuribij constat; nec per homines, nec per Iumenta vado traijci vllo modo potest; & vix adhibitis ratibus, quas ex magnis rotondisque trabibus arte iunctis conficiunt, & rebus hominibusque desuper impositis, octo vel decem robustissimi Barbari in ea arte exercitati, natando, ac trabibus alijs ad pectora suppositis, sustentati, partim trahunt, partim trudunt, Iumentis circumfluitantibus, quæ etiam natatu suo non parùm promouere impulsum necesse est. At nihilominùs tantus est furor currentis, vt omnia, per quartam saltèm partem leucæ deorsùm trahat, priusquam ad alteram ripam perueniatur; immò sæpè ad mare prorsùs abripiat, vel suis voraginibus absorbeat: ita vt viatorum turmas, cognito periculo territas, in vtraque ripa per integros amplius menses sistere cogat, aquarum detumescentiam expectantes; vel Truxillum aliòue redire, non ausos se etiam ratibus committere.

Quandò B. Thuribij corpus pluuio Cœlo adhunc fluuium perlatum fuisset, tantus erat aquaruminundatio, & impetus adeò vehemens, vt viatores multi hìnc atque indè, per plures dies, aquarum decrementum præstolarentur: & Matthæi Gonzalij comites, qui sacri corporis curæ præerat, & Santani ciues fluuij conditionem ex vsu experti, ac præ reli-

reliquis Antonius à Leone loci Dominus, qui ipse ratium procurationi, & traiectui pro munere suo plerumque instabat, & posteà cum alijs huius miraculi iuratus testis fuit; seriò suadebant, & hortabantur, vt & se ipsos omnes, & sacrum pignus euidenti periculo exponere non velit. At inspirante Deo, Thuribij corpus verè pignus Matthæo visum est, non periculi, sed securitatis: &, vt qui plura B. *P*ræsulis miracula suis oculis vidit, sanctitatis eius meritis, & patrocinio fisus, lecticam ad ripam trahi iussit; quandò mula vix primum vnguem aquis intinxit, cùm, acsi vel virgæ Moijsis, vel pallij Eliæ virtutem à sancto pondere accepisset, aquæ diuisæ sunt, & aliquibus retrocedere visæ, vadum aperuerunt, quo non soli comites Gonzalij, sed etiam viatores reliqui omnes, post venerabile, & prodigiosum corpus, ea securitate, & facilitate transierunt, qua solent, cùm fluuius tumore deposito, naturali suo cursu demississimus est. Cunctis autem in tuto positis, totus fluuij sinus, ita repentè denuò repletus est, vt ne ratibus quidem ipsis quisquam traijcere ausus esset; Quod omnes in euidentis miraculi æstimatione confirmauit.

Traiecto flumine santa, per sex inde leucas sacrum funus ad vallem Guambacho ductum est, vbi parochia S. Francisco sacra, cuius populo tùm dominabatur Didacus de Aziuedo, militiæ Dux, cum Vxore Anna Barreria, ex qua genuit filium nomine Ioannem Hyacinthum, qui tunc puer,

ſed per triennij tempus ex hetica febre tam æger, vt medicis, abſque vlla ſpe vitæ fruſtra fatigatis, moribundus omnino viſus eſſet. Tum pueri parentes Thuribij patrocinio confiſi, & præſentem occaſionem arripientes, ægrum filium, animam fermè agentem, in feretrum eius immiſſum, & ſupra ciſtam, in qua ſacrum corpus clauſum erat, collocatum, B. *P*ræſulis inuocata ope, repentè ſanum, & ſoſpitem receperunt, ingenti ſolatio ſuæ alioquin futuræ orbitatis; pro quo beneficio omnipotenti Deo ac Thuribio interceſſori, gratias quas poterant maximas agebant.

Dùm idem funus ſeſquidiei itinere duceretur per vallem Guarmeij, Guambocho proximam, quædam Domina principalis nomine Maria, audito tranſitu ſacri corporis, in occurſum deſcendit, ex bonis, quæ poſſidebat in Prouincia Guailas, & venerato corpore B. Thuribij, Matthęum Gonzalium Pręfectum ſummiſsa rogauit, vt induſium, aut linteum aliquod ſibi concederet, quod B. Archiepiſcopi corpus attigiſſet, vt filiam paraliticam, manibus pedibuſque per biennium attractis, abſque humano remedio domi relictam eo inuoluere poſſet, certa ſpe valetudinis eidem per B. Viri merita reſtituendæ. Accepta parte ſindonis, domum lęta rediuit, & inuocato B. Antiſtitis patrocinio infirmam ſacris exuuijs per noctem induit: ac ſummo manè omni malo liberam, & incolumem, manus integras agileſque oſtentantem, & pedibus ſuis ince-

incedentem vidit, & gauisa est, Deum in serui sui sanctitate laudando.

Petrus de Azaña belli Dux tunc Limæ seruam nigram habuit, nomine Martinam, per plures annos hetica febre exhaustam, ac desperata salute à medicis derelictam. Hæc audiens S. Archiepiscopi corpus, patratis per viam tot miraculis famosum, eodem die vrbi Limæ inferendum esse, erecta per fiduciàm participij gratiarum ipsius, orauit herū, vt ipsius venia sibi liceret, sacro funeri obuiam exire; qua accepta licentia abijt vt poterat, & sacro corpori procul ab vrbe occurrit, ad pontem sublicium, quem proinde de palo vulgò vocant, loculum attigit, & illicò meliùs habens, sacram pompam ad Ecclesiam S. Dominici intra vrbem prosecuta est: ac deinceps renatis vnguibus, & cute, vi morbi deciduis, integram sanitatem absque alia curatione consecuta est. Fertur eodem tempore AEthyopem virum eiusdem Azañæ mancipium diuturnis heticis febribus desperata sanitate laborantem, ad lecticam accessisse, & sacri corporis contactu statim conualuisse: sed ego hoc miraculum à priore diuersum esse affirmare non ausus, suspicor in sexu erratum fuisse: verùm vt Deus masculum & feminam creauit eos; ita Thuribius vtrumque per Deum æquè sanare potuit.

Certissimum autem & celebre est, quod ijsdem diebus intra vrbem accidit, dùm corpus in templo S. Dominici expositum fuit: aliqui enim Religiosi iu-

iuuenes eiusdẽ Cœnobij, corporis custodiæ per noadhibiti, ipsum videre, & venerari capientes conscenderunt pegma, super quod corpus in aperto cophino iacebat; & admoto lumine curiosiùs inspicientes, ea quæ priùs audiuerant, odorem, colorem, carnis mollitiem, membrorum flexibilitatem, totiusque corporis, & vestium integritatem, cæterumque statum, quem ante descripsimus, proprijs sensibus experti, omnes Sanctum acclamarunt, & manibus pedibusque eius, iterata oscula infigentes venerati sunt; et aliquas vestium particulas pro reliquijs acceperunt. Inter eos autem erat Religiosus laicus conuersus, è sacrarij Ministris, dictus Frater Ioannes Michaël, qui pro feruore deuotionis non contentus pannis, simplici quidem, sed ardenti pietate, carnẽ et ossa possidere voluit, et opportunitate vsus, quasi manum osculaturus, arreptum S. Præsulis digitum dentibus demordere tentauit. Quod cùm non successisset, cultrum et malleum adhibuit, sed neque culter marmoreum; nec malleus adamantinum Thuribij digitum, seruante Deo, diuellere, vel mininum scissuræ, aut læsionis vestigium ei inñgere potuerunt: ac tùm Ioannes miraculum agnoscens, ab imprudenti incæpto destitit.., cæterique obstupescentes laudauerunt Deum in Sanctis suis, de quibus scriptum est: custodit Dominus omnia ossa eorum, et vnum ex eis non conteretur: et miraculum sequenti die per totam vrbem diuulgatum fuit.

Nunc

Nunc ea miracula ſummariè recenſebimus, quæ non expreſſis locorũ nominibus per viam patrata referuntur. Tranſeunte funere, per prædium quoddam, mulier diuturno morbo detenta, et grauiſſimo capitis dolore afflicta acceſſit, et calamitatem ſuam Thuribij meritis commendans, caput in feretum extendit, et repentè ſanata fuit. Ad huius autem miraculi famam, multi varijs doloribus ægri idipſum fecerunt, et omnes pariter conualuerunt.

Alia femina paralitica, pedibus cruribuſque attractis, grabato ſemper hærens, ad lecticam portata fuit, ſeque B. Thuribij meritis Deo commendans ſtatim conualuit, et reſtitutis viribus, et vſu membrorum, ſuis pedibus Domum ſana rediuit. Mariana quædam acerrima febre vexata, ad pedes ſacri cadaueris proſtrata, incolumis inde ſurrexit. Alia minus accuratè narrata ad clariorem notitiam differo.

CAPVT L.

Miracula poſt translationem imprimis Limæ patrata.

POſt translationem ac depoſitionem corporis B. Thuribij in Eccleſia Metropolitana Limenſi, creſcebat in dies fama ſanctitatis et miraculorum ipſius, et Reliquię eius ab omnibus experitæ, à mul-

à multis passim cum priuata veneratione seruabantur, multaque miracula in varijs occasionibus & locis, per ea fiebant; & vsque in hodiernum diem percrebescunt: quamuis per tam immensa terrarum, & oceani spacia, quæ recentiora sunt, post processus Apostolica authoritate in Peruuia compactos, ad nos non dum peruenerunt. Quæ verò in illis, vel alijs authoritate ordinarij confectis reperiuntur, nunc prosequor, ac primùm quæ Limæ contigisse constat.

Anna Maria Perezia mulier grauida, conspecto Limæ cadauere Claræ Papillæ defunctæ, & sibi cùm viueret amicissimæ, vel terrore, vel dolore concussa, sensit fœtum in vtero transuersum saltasse; ipsaque tantum deliquium passa est, vt planè mortua videretur: atque ab obstetricibus nullum remedium inuenientibus derelicta, & conclamata fuit; neque ad quantumuis validas acutasque mulierum vociferationes in aures ipsius immissas, vllum motum, aut sensus significationem edidit, vsque ad tertium diem: quo illi assistens pia fæmina Catherina à S. Didaco, & videns malum omni humano remedio immedicabile, ad cœlestia confugiens, extraxit particulam crepidæ purpureæ, serici rasi, qua Thuribius in sacris vtebatur, & quam ipsa pro sacra eius reliquia reuerenter seruabat: tum iussit alijs, quæ assistebant muleribus, vt viua in Deum fide, Archiepiscopi opem implorarent; quod cùm ipsa quoquè faceret, reliquiam super peri-

periclitantis Annæ Mariæ ventrem posuit. Nec longa mora, hæc eo ſpatio temporis, quo ſymbolum Apoſtolorum bis recitari poſſet, notata mole marcidum, & nigreſcentem, cute lacera, fœtidoque odore, fœtum peperit; &, vt iudicabant, iam triduo perimptum. In quo euentu duo miracula obſeruata ſunt: alterum, quo mater ipſa Perezia in tali caſu à morte liberata fuit: alterum quo mortuus fœtus in vtero tranſuerſus, quod natura præſtare non potuit, diuina virtute directus exiuit: Deinde mater, eiectis etiam ſecundinis pariter corruptis, conualuit, atque quindecim annis pòſt, legitimè examinata, cum alijs fœminis, quæ miraculo præſentes fuerunt, mente & corpore ſana teſtimonium illi perhibuit.

D. Anna Iſaſaga, Vxor Petri de Caſtro, Equitis S. Iacobi, per tres aut quatuor menſes à malo partu, perpetuo profluuio ſanguinis, cum malignæ febris acceſſu, &, vt medici iudicabant, etiam cancro intùs nato, exhauſta; & poſt trium præſtantiſſimorum vrbis medicorum induſtriam, ab eiſdem, deſperato profectu, & fluxu ſemper creſcente, derelicta, & ipſorum opinione, eo morbo certò moritura, ad B. Thuribij præſidium confugit, crucem pectoralem ipſius à Petro villagemazio Archiepiſcopo obtentam, & calceum Pontificalem, à Mariana Quiñionia, Beati nepte miſſam, plena recuperandæ ſanitatis fiducia, ſuo ventri applicuit; tùmque per quindecim circiter dies conualeſcere

visa est: quibus transactis, malum iterùm instantaneo impetu adeò vehemens rediјt, vt Anna suis pedibus consistere non potuerit, & sanguine, multò quàm antè copiosiùs, effluente, ad lectum deducta, credidisset eum diem vitæ suæ supremum fore.

Eodem autem ipso die, remissoriales, quas vocant, litteræ, totius ciuitatis exultatione, promulgandæ fuerunt; quibus authoritas Apostolica concessa est, vt venerabilis serui Dei Thuribij vitæ, virtutum & prodigiorum acta, ad normam iuris examinata, ad Sedem Apostolicam, pro serui Dei apotheosis vsu, iudicanda remitterentur. Vtque res pro dignitate fieret, & initium ab auxilio diuino sumeret, instituta est publica supplicantium processio, quæ cùm ante portam domus Isasagæ sic iacentis transiret, ipsa subita lætitia exultans, cruce, & calceamento ventri applicatis, summa fiducia, totoque cordis affectu, & qua voce poterat in hæc verba prorupit: sanctissime serue Dei, me tibi obnixè commendo, vt præsenti malo me liberare velis, quod si feceris, pro me apud Deum intercedendo; ego Deo ac tibi promitto me nouenam ad sepulchrum tùm celebraturam, candelas & missas curaturam. Vix votum emisit, cum cessante sanguine, & viribus repentè restitutis, integrè conualuit, sanaque & sospes deinceps permansit, absque vllo alio remedio, vel medicamento.

Antonia Gregoria de la Cueua, Limæ in culina do-

domus ſuæ ſaccharum in aheno coquebat, roſas infuſura: cùmque liquidum ſaccharum ſuppoſito igne feruenter ebulliret, Mariana Quiñionia ipſius filia, & B. Thuribij proneptis, anno ætatis circiter ſecundo, tota facie in cacabum cecidit, atqne inde citò abſtracta, ſaccharo toti vultui adhærente, inſtar mortuæ, ſine ſenſu immobilis iacuit, omnibus quæ aderant exiſtimantibus, vel mortuam, vel moribundam fuiſſe, vel certè cocta facie, tota vita deformem fœdamque fore. Antoniæ matris, famularumque lamentis commota Mariana Quiñionia ſenior, B. Antiſtitis ex Grimaneſa ſorore neptis, & Amita puellæ, è cubiculo accurrit, inueniensque famulas, infantis faciem abluentes, abreptam ad ſe, Amita genibus flexis, enixiſque precibus S. Archiepiſcopi præſidio commendabat, ipſius corporis reliquiam puellæ vultui appoſuit, & longa vitta obligauit, ſicque ſine ſenſu, vel motu in puluino collocata paruula, Amita interim precibus inſiſtente, poſt horam circiter plangere cæpit, quaſi de ligato vultu conqueſta, ac tùm ſtatim detracto velamine, ſana & integra reperta eſt, abſque vlla macula, cicatrice, vel aduſtionis veſtigio, & Amita illam ad matrem portans, en ſoror, inquit, filia tua tibi ſana & ſalua, B. Archiepiſcopi reliquiarum virtute reſtituta. Quo ſtupefactæ omnes miraculum extulerunt.

Mariana Aluarez per octo dies intenſum capitis dolorem patiebatur, & quanquàm intereà tribus

vicibus ſecta vena, ſanguinem emiſerit, nihil profuit: aduenit Hieronymus Ordoñes calculator, qui libellum habuit B. Thuribij propriæ manus chirographo ſubſcriptum; quod quamprimùm patientis capiti appoſuiſſet, abſcedente dolore ſtatim, multis præſentibus, infirma repentè liberata eſt.

Dominus Ludouicus de Cordoua, Figueroa, & vxor eius Franciſca de Biuero anno 1629. quadrageſimali tempore ſimul inciderunt in febrem continuam, quàm per multos dies paſſi ſunt: ſed Franciſca longè grauiùs; febris enim caput ipſius ita accendit, vt eam rationis vſu priuauerit, vt neque quemquam cognoſceret, & cùm Crucifixum oſculandum præberent, illa caput alio verteret, & à medicis vt moribunda relicta, nec Sacramenta quidem ſuſcipere poterat. Dùm in hoc ſtatu eſſet, & viri Religioſi officia moribundæ circa ipſam exercerent, & habitum S. Franciſci in quo ſepeliretur, ſupra ipſam pro more ſternerent: Licentiatus Fanciſcus de Palma Faxardo, Sacerdos Limanus infirmos coniuges viſitatum venit, deditque, & reliquit Ludouico reliquiam, quam dixit fuiſſe ex oſſe B. Thuribij, exhortans, vt ſe & vxorem ipſius interceſſioni commendaret: Id fecit Ludouicus & valde afflictus, quòd vxor abſque Sacramentis moreretur, voto ſe obſtrinxit Deo, & ſeruo eius Thuribio, ſi per ipſius merita vterque conualeſceret; nouenam ad ipſius ſepulchrum celebraturos. Itaque ea nocte Ludouicus ipſe commodius quieuit,

&

& ante mediam noctem, quæ fuit cænæ Domini, clausis portis, & Religiosis, alijsque circa Franciscam vigilantibus, quæ quatuor tunc diebus rationis vsu destituta, in horas moritura credebatur, ad ostium exteriùs fortiter pulsatum est, & interrogatus quis esset? responsum fuit, Sacerdotem esse, qui Sanctissimi Sacramenti viaticum ad infirmam ferret. Replicantem famulum errorem esse, alioque eundum, cùm illùc vocatus non fuerit, interrogauit Sacerdos nùm aliqua mulier ibi infirma esset, & responso, quòd esset, illùc se directum dixit, & introductus est. In domestico altari, quòd tùm festinanter, cum luminibus paratum fuit, Sacramentum deposuit, & ad infirmam accedens petijt, an confiteri vellet: cùm illa, statim in se reuersa, respondit velle, & quàm christianè fecit: Sacramentum solita pietate sumpsit, atque exinde melius habere cœpit, & post paucos dies simul cum marito integrè conualuit: Nec vnquàm sciri poterat, quamquàm summo studio perquisitum, quis Sacerdotem illuc vel vocasset, vel misisset; ac proinde consideratis omnibus circumstantijs, res Thuribij reliquiarum, & inuocationis miraculo tributa fuit, & vt tale in actis deposita.

Andræas Graue Dux, argento ex Prouincia *Pothesiana* Limam transferendo præfectus, cùm anno 1662. mense Iunio in eo munere cum magno thesauro Limam appulisset, post duos vel tres dies, ob aëris

aëris mutationem, eius generis pestilenti febre percussus est, quam Hispani tauardillo, Itali petecchie vocant, tanto discrimine vitæ, vt per alios tres dies Medici fassi, se non inuenire in arte remedium quo curari posset, monuerint, vt animæ potiùs saluandæ curam ageret. Id pro sua pietate fecit bonus Grauius, & octauo morbi die delirio aggrauatus est, durauitque per nonam, quo die moriturum eùm pronunciarunt Medici.

Assistebat vir amicissimus, vincentius de la Roccha, qui charissimi amici mortem humanis remedijs destituti grauiter ferens, diuina tentanda iudicauit, procurauitque illam crucem pectoralem B. Thuribij, quam ante memorauimus, & patienti imposuit, exhortans eum, vt omnem spem recuperandæ valetudinis in B. Archiepiscopi meritis summa fide collocaret, ipsius auxilium deuotè implorando, & hoc etiam fecit infirmus; & quanquàm cæteroquin in extrema vi morbi, sui impos, crucem tamen solicitè aspiciebat, tangebat, osculabatur, & cordi apponebat: atque hæc agens eodem nono die, quo in horas moriturus credebatur, in se redijt, alios cognoscere cœpit, & perfectè tandem conualuit, absque omni alia cura vel corporis medicina; quod & ipse, & qui aderant, ac tùm, ac semper deinceps B. Thuribij reliquiæ, & inuocatæ intercessionis virtuti acceptum vnicè referebant.

Dominicus de Aroche sacræ Limanæ inquisitio-

tionis tribunali a ſecretis, & regij ærarij præcipuus calculator, anno Chriſti 1661. die 24. Decembris ex laterum dolore, & maligna febre ad vitæ naturalis extrema deductus eſt, poſt ſeptimam venæ ſectionem aliaquè remedia, à Medicis conclamatus iacebat lethargus, clauſis oculis, turgido pectore, pulſu intermittente, ſtupidis cruribus, ſenſibus deſtitutus, ac fœtidum turpiſſimumque liquorem per os egerens, quam cocti lateris liquido pulueri aſſimilibant, Sacramentis, etiam extremæ vnctionis procuratus. Cùm de ſupremis honoribus, & ſepulchro diſponendis ageretur, Baccalaureus Chriſtophorus de Hiſpania Presbiter, & Germanus frater Florentiæ Machæ de Hiſpania, vxoris infirmi, memor miraculorum, quæ per prodigioſam illam crucem pectoralem B. Thuribij facta iam paſſim ferebantur, illam ab Archiepiſcopo Villagomezio obtinuit, & infirmi collo appendit, cum alijs qui aderant recitando ter Salue Regina, vt Beatiſſima Virgo, per ſerui ſui Thuribij merita, ſalutem infirmo à filio ſuo dulci Ieſu obtineret. Eo facto, ſymbolum Apoſtolorum vix iterùm recitari poſſet, cùm Dominicus tam citò, abſque alia diligentia in ſe reuerſus cibum ſumpſit, & redeunte pulſu copiosè ſudauit, ac ſequenti manè meliùs habens, poſt paucos dies ſanus & ſoſpes è lecto ſurrexit; per quos tamen crucem dimittere noluit, affirmans ſalutem ex ea ſibi reſtitutam eſſe, quod B. Archiepiſcopus Mogrouejus illa quondam vteretur:

retur:

retur: Atque ipsi Medici qui ipsum alias mortem euadere non potuisse censuerunt miraculum asserebant.

Generalis variolarum contagio in vrbe Lima multam iuuentutem extinxit, cum Iosephus Antonius de Castro, octodecim annorum, vnica Proles Petri de Castro equitis S Iacobi, & Annæ Isasagæ, quorum antè meminimus, eo morbo toto corpore plenus, & ardenti febre, continuoque vomitu vexatus, totus enormiter intumuit, nec dormire poterat: quæ res Medicos frustra laborantes in vitæ ipsius dubium iuduxit, vt parentes eius euidentis periculi monuerint. In eo statu constitutus Iosephus, & recolens inter alia, miraculum, quod per Beati Thuribij crucem in matre eius patratum diximus, eandem enixè rogauit, vt crucem adferri curaret, sperans inde sanitatem sibi restitutam iri, obtentam ab Archiepiscopo, cum vna scheda, Thuribij Chirographo subscripta, mater vtramque ad filij collum appendit, inuocato per domesticos omnes auxilio Thuribij, tunc statim vomitus, febrisque cessarunt, & paulatim detumescere corpus, & pustulæ siccari, ac infirmus post paucos dies sanus & incolumis surrexit, ac B. Thuribio post Deum conseruatori, vitam suam seruatam referebat.

CA-

CAPVT LI.

Alia miracula Limæ patrata.

Dionysia de Valasco puella Limensis, dùm apud Amitam Annam Tassam in Cœnobio Limano sanctissimæ Incarnationis educaretur; vbi & acu pingere, et hispanicè, latinèque legere, et scribere didicit, in grauem febrem incidit, et ex consilio Medici ad maternam domum extracta, à febre quidem conualuit: sed post duos inde menses, ex oculorum inflammatione callum contraxit, quod pupillis oculorum obductum visiuam virtutem sic impediebat, vt per multos annos, vix molium vmbras videre, nec formas vllo modo discernere, vel capitales etiam librorum litteras legere posset: quamuis initio morbi varijs, multisque remedijs in vanum applicatis, et apertis in vtroque brachio cauterijs: atque sic cæca sine vlteriori cura relicta fuit.

Mater autem, Maria de Ortega, crescente fama miraculorum B. Thuribij, librum grandiusculis caracteribus impressum, qui B. Viri vitam et miracula continebat, viua fide et firma spe opis ipsius, puellæ sic orbæ legendum obtulit, et neganti se legere posse obtrusit. Aperto libro, Dionysia se lineas tanquam nigros radios videre fassa est, sed nullum apicem in eis distinguere: tunc Mater ipsa pri-

ma libri folia vertit, in quibus occurrit impressa Imago B. Thuribij, eamque filiæ porrigens iussit, vt se huic B. Archiepiscopo ex animo, tota deuotione commendet, vt visum illi restituat. Fecit illa, & Imaginem, vt sacrum collyrium, seu cæcitatis amuletum orbatis visu oculis reuerenter admouit, intentiùs aspicere cœpit, & in hunc modum orauit & exaudita est: Thuribij serue Dei, qui multorum calamitati succurris, restitue mihi lumen oculorum, vt hanc vitam, & miracula tua, aliosque bonos libros ad virtutem capescendam legere, & afflictam Matrem operibus manuum mearum iuuare possim, etiamsi debeam ocularium vsu laborare; nec citiùs dixit, quàm Imaginis lineamenta discernere potuit, &, vt dixit, clare videre, defuncti Archiepiscopi Mogrouеji veram effigiem esse. Hinc litteras distinguere, & syllabatim coniungere. Demùm à prandio eodem die librum cursim & expeditè legebat, ac si nunquam impedita fuisset, mox etiam scribere, filum acui inserere, lacinias tenere, acu pingere, & frigium opus prosequi, omnia denique, & minuta obiecta dscernere, summo solatio alioquin egenæ matris, nec minori gloria Thuribij, cuius in cœlis potentiam & Mater & filia lætitiæ lachrimis prosequebantur, & alij in hoc miraculo prædicabant.

Catherina de Valcazar; vidua Stephani Flores, malignis febribus eo deducta fuit, vt ex Medicorum, de vita eius desperantium consilio, extrema

omnia

omnia Sacramenta ſuſceperit, & arteriæ motu deficiente, frigido ſudore conſperſa, & retortis oculis, velut in mortis agore conſtituta, ſine voce, ſine ſenſu, cereum accenſum manu tenebat, & Religioſi S. Franciſci ſtrato ſuper lectum habitu funerali, ſymbolum fidei, tanquam ſupremum eius actum, pro more cantabant: cum allata illa thaumaturga crux B. Thuribij infirmæ collo ſuſpenſa fuit; & monita inclamationibus Catherina, quibus poterat ſignis intimæ pietatis & fiduciæ, ſe Beati patrocinio commendabat, iunctis votis aliorum qui aderant.

Inter hæc illa ſtatim ſomno correpta eſt, ex quo poſt quatur horas euigilans, clara voce dixit: gratias ago Deo, quia bene dormiui, & melius me habere ſentio, reſtitutoque pulſu in ſe redijt, oculos aperuit, & vt à mortuis reuocata, reſtitutis viribus, in lecto ſedit, & quem tot antè diebus nec liquidum ſumere poterat, cibum petijt, acceptum ſumpſit, omnique mortis periculo libera, integræ tandem ſanitati reſtituta eſt, magna ſua aliorumque admiratione, qui Lazari reſuſcitationem, per inuocata Thuribij merita, & ſacram reliquiam in Catherina Valcazaria, ſe vidiſſe dicebant, laudabantque Deum in euidenti miraculo B. Archiepiſcopi. Erant autem plures viri graues, & docti vtriuſque Cleri, Catherinæ conſanguinei, qui tunc mortem eius per momenta expectantes aſſiſtebant, & viſo

euentu; Thologorum doctrinam pro euidentia miraculi inter se allegabant.

Ioannes de Godoy Limensis à domo sua sub ortum aurore in mula ad forum equitabat, cùm à quodam maleuolo & oculto insidiatore, subtili sica in sinistro latere ventriculi punctus, & ab alijs in proximam domum illatus, vocato Chirurgo, & vulnere per specillum explorato, morti proximus inuentus est, & incurabilis declaratus ob sectam arteriam quæ melancholicum sanguinem ex hepate in splenem defert: cuius desperati status ipsius euidentiora signa fuerunt vomitus atri sanguinis, quem per os globatim egerens, quinque vel sex grandiores argenteos catillos impleuerat, febris lipyria, & sudor diaphoreticus, cum pulsu intermittente, ac tanta debilitate, vt testamentum dictare non potuerit; sed Claræ de Ribas vxori tunc præsenti dictandum commiserit, nec monente Medico, sinè præsenti periculo inter manus portantium per viam moriendi, ex loco moueri, vel in domum suam tranferri posset. Quæ cùm aduertisset Petrus de Vtrilla doctus, peritus & amicus chirurgus Ioannem breui moriturum edixit, iussitque vt animæ curam ageret; & quoniam sacram Eucharistiam ob vomitum sumere non potuit, pœnitentiæ saltem & extremæ vnctionis Sacramenta sumere non differret.

Id fecit Ioannes; at chirurgus, quamuis nullam

spem

ſpem vitæ Ioannis ex arte relictam haberet; ne tamen officio ſuo deeſſe videretur, inflammatum vulnus, et nihil ſanguinis reddens terebynthino ſucco linitum faſcia ligauit, & Godoyum moribundum, in ſuppeditanea tabula extenſum relinquens abijt. Inter alios tunc aderat Chriſtophorus de Hiſpania presbiter, qui nulla humana remedia Ioannem à morte liberare poſſe intelligens, et recordatus recentis miraculi, quod per B. Thuribij crucem in Catherina Valcazaria patratum diximus, ad Villagomezium Archiepiſcopum properauit, crucem obtinuit, Ioannis pectori impoſuit, ipſumque et reliquos ſacerdotes, ac vtriuſque ſexus ſeculares tunc præſentes hortatus, vt B. Archiepiſcopi opem feruenter et fidenter implorarent; quod cùm per horæ quadrantem facerent, ſudor, vomitus, febriſque Ioannem repentè reliquerunt ceſſante etiā externi vulneris inflāmatione, et omni vicio pulſus.

Sola virium debilitate, et vulneris externa, et exigua plaga remanentibus, redijt à prandio chirurgus, et quem vita defunctum inuenire credebat, ſanum videns, ac Thuribij crucem adeſſe doctus: bene eſt inquit, Medicum è cœlo accerſiſtis, et ſanè potentiſſimum: mihi nihil quod hic agam nunc ſupereſt; et inter B. Archiepiſcopi cætera miracula, quæ in alijs etiam expertus ſum, hoc numerandum cenſeo. Tùm cutis plagam leuiſſimis vnctionibus intra quatuor dies conſolidauit, et Ioannes è lecto ſanus ſurrexit; ſed propter corporis debitatem ex ſan-

ſanguinis profluuio relictam, per paucos alios dies ſe domi continuit, et integrè conualuit; vt nec minimum capitis dolorem deinceps ſenſerit, vſque ad düodeuiginti menſes, quo termino temporis, Teſtes miraculo præſentes id in legitima canonizationis B. Thuribij acta iurati depoſuerunt, et inter cæteros ipſe Ioannes, tunc robuſtus, et pingui ſuccoſoque corpre ſanus, et incolumis.

Ioannes Sanchez à Matrice, presbiter teſtatus eſt, ante quadraginta quinque annos ſibi in domo ſüa Limæ, à quadam obſtetrice ipſi nota, ſed cuius nominis, poſt tantum tempus non meminerat, relatum fuiſſe; quod quædam principalis fæmina, virgo paſſim reputata, venerat ad domum eiuſdem obſtetricis, ibi clanculùm paritura: ſed cùm tanta eſſet puerperij difficultas, vt obſtetrix perciperet, ſe non poſſe ſuis viribus parturientem à periculo liberare, inter infamiæ ipſius & mortis diſcrimina, tanquam inter ſcillam & carybdim conſtituta reconditum apud ſe biretum, quod olim erat B. Thuribij, parturientis capiti impoſuit, inuocato in perplexiſſimo caſu ipſius auxilio, illa ſtatim facilè, feliciterque peperit, quod vtraque B. Archiepiſcopi patrocinio; & reliquiæ ipſius virtuti, vnicè attribuit, & miraculum reputauit. Tantum quippe erat periculum, quod in primo præſertim partu eſſe ſolet, vt ordinario vnius obſtetricis inopinato, furtiuoque auxilio, naturaliter euitari non potuiſſe, crederent.

Mag-

Magdalena de Miranda mortali dyſenteria, & hepatis corruptione, vt partis principalis, & Limæ præſertim, docente experientia, difficilis & raræ curationis, & maligna febre eo deducta fuit, vt ſudore diaphoretico, alijſque vicinæ mortis indicijs ſe manifeſtantibus, Medicus eam in ſequentem diem victuram non eſſe pronuntiauerit, & omnibus moribundæ ſacramentis procurata, in horas moritura crederetur. Medicus craſtino per eam viam tranſiens; vt alium patientem inuiſeret, (Magdalenam enim iam obijſſe ſupponebat), cùm eam adhuc viuere audijſſet, admiratus domum ingreſſus eſt, eamque ſine dyſenteria, ſine febre, ſine omni morbido accidente vel affectu reperiens, & ſciſcitatus vnde tam ſubita, & inexpectata ſanitas? intellexit ex B. Thuribij pontificali calceo, à Mariana Quiñionia ad infirmam miſſo proueniſſe, abſque alio vllo remedio, præter ſolam B. Thuribij inuocationem, & ſacræ eius reliquiæ contactum, quod et Medicus ipſe totius Regni phyſicus, et Limanæ academiæ primariæ cathedræ illius facultatis profeſſor Petrus de Requena; & cæteri omnes, vel oculati, vel auriti rei teſtes, euidens miraculum iudicarunt.

Eiuſdem Magdalenæ neptis Ioanna de Ribera, vxor Didaci Muñozij vexiliferi Limenſis, graui fluxu ventris eo vitæ periculo deuenit, vt Medici monitu ſacrum viaticum, & extremam vnctionem ſuſceperit; eoque morbi ſtatu fuit, vt idem

idem Medicus, & peritus chirurgus iudicauerint, si cursus ventris bis vltrà rediret, eam illicò morituram: cùmque sic iaceret offuscatis oculis, ac vultu instar mortui cadaueris deformato, cessante pulsu arteriæ, repetitis animi deliquijs, cum frigido sudore,quo iamiàm animam actura videbatur, Muñozius coniux exclamauit; serue Dei Thuribij Mogroueje, redde salutem vxori meæ: ac tunc opportunè superuenerat serua AEthyops cùm sæpè memorato calceamento B. Archiepiscopi, quod à Domina sua Mariana Quiñionia missum dicebat, vt infermæ sanitatem restitueret.

Accepit moribunda Ioanna reliquiam, et proprijs manibus, infixis prius oculis, eam super stomachum ponens,et affectuosè stringens dixit: ò B. Archiepiscopé, vt omnium opinione Sanctus es, ac Dei facie, et amicitia frueris, impetra mihi à diuina Maiestate salutem, vt proles meas ad ipsius obsequium educare possim, quo dicto confestim soporata est: cùmque assistentes feminæ per horam nihil ex ea sensissent, exploraturæ an fortè iam expirauerit, inuenerunt quietè respirantem, et mox viuida voce increpantem, quod eam quiescere non finerent, cum fuerit, quòd per triginta ferè dies antè nihil dormijsset. Nec oblatum ab eis medicamentum sumere vllatenus voluit, ac statim iterum sopita, per sex horas à decima noctis ad quartam matutinam placidissimè dormiuit. Tùm autem euigilans potum petijt, atque cum assæ galinæ

solida

solida parte mandendo, glutiendoque, cum gustu sumpsit; quùm ne liquidum quidem priùs deglutire posset: & cessante ex tunc ventris cursu integrè conualuit, & intra tres dies sana & salua surrexit, salutem suam B. Thuribij miraculo acceptam referens.

Ludouicus de Cordoua Figueroa, quem antè diximus magna Thuribij apud Deum potestate, in proprij corporis periclitante valetudine, & vxoris desperata vita restitutis expertum fuisse, posteriori tempore testatus est, in quodam suo prædio agri Limensis, domesticam seruam AEthiopem fuisse, nomine Ludouicam, graui & periculosa febri correptam: quę cùm non sine graui incommodo, vel maiori vitæ discrimine, vt à Medicis curaretur, in vrbem aduehi poterat; Ludouicus ipse dominus prioris miraculi memor, Thuribij præsidio eam deuotè commendauit: & hac sola serui Dei inuocatione, in instanti, pulsa febre, sana & sospes facta est, absque vlla alia cura vel medicamento; quod propterea miraculum fuisse censuit, & iuratus in actis testatus est.

CAPVT LII.

Alia ibidem plura.

IN Monasterio Limano Sanctissimæ Trinitatis Monialium virginum regulę S. Bernardi, Maria

ria de Olea, Monialis professa, in ipso Monasterio nutriebat neptulam, nomine Annam, ætatis octo decim circiter mensiium, & recens ab vberibus auulsam; quæ febri, & variolis, tunc Limæ grassantibus, affecta, Medicorum iudicio proximam mortem euadere non potuit. Pustulis enim ad interiora redeuntibus, & conuulsis oculis, per sex aut septem dies nihil vel solidi, vel liquidi cibi potusuè admisit, terrenæ massæ similis, pustulata cute ossibus adhærente. Id audiens Antonia Quiñonia proneptis B. Thuribij, & tunc in eodem cœnobio Religiosa Nouitia, exemplum articulorum, seu Interrogatorij actorum serui Dei, quod apud se habebat, ad Mariam Oleanam misit; vt inuocato patrocinio B. Archiepiscopi, id infanti moribundæ apponeret, viua spe sanitatis illi restituendæ, quod cùm Maria flexis genibus, fusis precibus, & facto grati animi voto, exequeretur, paruula statim sopita, per aliquot horas dormiuit, & inde euigilans, allatum cibum sine difficultate comedit, & conualuit; quæ per tot dies antè ne quidem lac degustare potuerit, cibum illi aliàs ætati naturalem, & gratum.

In eodem Monasterio Eluira de Aguilar etiam professa Monialis, & supra memoratæ Mariæ de Olea seu Amita, seu Matertera, cui pectus carcinomate, seu cancro valde tumebat, cum rubra macula, & liuidis lineis, doloribusque tam diris, vt ob eorum vehementiam, illa vice præter solitum,

lecti culcitra morderet; ac discisso pectore se citò morituram crederet, vt multi solent eo morbo suffocari. Nullum aliud remedium sibi prodesse cernens, Oleanam suam neptem instanter obsecrauit, vt antedictum exemplar actorum B. Thuribij afferret, quo iam sciebat paruulam proneptem à morte liberatam fuisse. Acceptum libellum multa nocte, magno animi feruore pectori suo in affecta parte applicuit, & indubia fide, & spe recuperandæ sanitatis orauit B. Thuribium, vt eam ipsi impetrare vellet; quod & Maria etiam, pronis ante lectum genibus, neptulæ præcedens miraculum commemorans, recitatis quinquies in Thuribij honorem oratione Dominica, & Angelica salutatione, ac ter Salue Regina, magna animi contentione flagitabat: cum Eluira statim sensit dimminui dolores, & pectus detumescere, atque mox indormiscens, reliqua nocte satis commodè quieuit, prodigiosis Thuribij chartis pectori semper appositis; & manè, absque alia cura, sine dolore, sine tumore, sine maculis, sanum & candidum pectus surrexit; nec eo morbo amplius tacta fuit: cum antè sæpiùs, etsi nunquam tuam vehemens rediret.

Antonia Quiñiones eadem eiusdem Cænobij Nouitia, quæ illum Actorum B. Thuribij librum alijs ad salutem concedebat, non minorem eius in se virtutem experta est. Vehementi cerebri, & capitis cruciatu, per multos dies afflicta; vt neque caput, nec oculos, immo nec manus mouere pos-

set, aut se in alterum latus vertere, aut sputum eijcere, multo minus elicere, sine summo dolore posset: sed nihil proficiente bina phlebotomia, cęteroque Medicorum studio, ad medicinæ genus recurrit per quam ipsa alios curabat, librum illum Actorum B. Thuribij. Atquę imprimis per Mariam Oleanam ea sibi legi rogauit, & attentè auscultans miracula in alios patrata, quod æqua voce non poterat, corde & animo dicebat, o Beate Hierarcha, qui tanta miracula in alios operatus es, ne me afflictam deseras, sanquine & spiritu tibi coniunctam; sed propter gloriam qua frueris, & ob ardentem deuotionem, qua Beatissimam Dei Matrem semper prosecutus es, impetra mihi pristinam sanitatem. Tùm libro capiti ipsius imposito, statim se commodè mouebat, excreabatque, & secunda die plenè conualuit: quod, & ipsa Antonia, & Maria de Olea, quæ assistebat, & aliæ Religiosæ, quæ illam infirmam, ac tam citò sanatam viderant, in Thuribij miracula retulerunt.

Idque secundum, ac tertium quæ sequuntur, non solum augent numero, sed etiam ipso effectu probant. Antonia enim à Catherina de Arrona, eandem religionem professa, charitatiuè præmonita fuit, venturum ad Cœnobium Archiepiscopum Villagomezium, cum alijs Iudicibus Apostolicis causæ canonizationis serui Dei Thuribij, quibus illa debebat miraculi in se facti iuratam testificationem exhibere: Antonia verò religiosæ virginitatis tyro-

tyrocinium auspicata; seu puellari verecundia, seu concepto naturali terrore coram Iudicibus dicendi, id se facturam negauit: immo negaturam dixit, si quid interrogata foret: Sed huic proposito æquo pertinaciùs adhærens, iterum vindici miraculo; (qualia in sanctorum actis fræquentia leguntur, magnalium detractores, & in sacrorum dierum aut locorum violatores patrata,) grauiori capitis, stomachi, aliorumque membrornm dolore percussa est: donèc à prudentioribus, & pijs sororibus obiurgata, diuinæque vindictæ duritiei mentis commonita, & pænitens, Deo & seruo eius Thuribio promisit, omnia pro veritate in iudicio manifestare; ac pristino Actorum exemplari stomacho supliciter ammoto, tertio miraculo integra sanitas repentè ipsi restituta est.

Capitaneus, vt vocant, Basilius de vargas, homo grandæuus, ac propè nonagenarius, pertinaci febre tertiana duplici, ac morbo ictericio, per ampliùs triginta dies vehementer laborans, Medicorum iudicio moribundus, eorundemque monitu, desperata vita, sacramentis omnibus procuratus, cæterisque ad moriendum dispositis iacebat, tanquàm cum Parcis colluctans, offuscatis oculis, atque adeò debilis, vt verba difficulter audita vix efferre posset, quòd mento & maxillis ad pectus pendulis, os eius enormitèr pateret, cum consuetis inditijs proximæ mortis, & ferè perdito etiam au-

ditu, mortualem candelam manu teneret, spiritum in momenta redditurus.

Cùm superueniens Petrus de prado Presbiter, allatum illum libellum Actorum B. Thuribij infirmo obtulit, affirmans, se illum attulisse, vt Basilius promitteret, se omnia contenta quæ sciret, in iudicio depositurum, si per B. Archiepiscopi merita Deus illi redderet sanitatem, interim verò viua fide & firma fiducia, illam à B. Præsule postularet, nec dubitaret restituendam. Basilius qua poterat animi intentione id fecit, & libello super caput eius posito, statim copiosè sudare dormireque cœpit, cùm toto priùs morbi tempore nihil omnino sudauerit, nec pluribus ante diebus quidquam dormierit, vel alimentum susceperit: dormiuit autem tunc, et perpetuò sudauit ab hora circiter nona pomeridiana vsque ad sequens matutinum tempus, quo euigilans meliùs habuit, suis viribus in lecto sedit, cibum petijt et sumpsit, vix relicta leui febris reliquia, quam post triduum excussit, et integrè conualuit.

Idem Basilius de Vargas, restituta hoc modo valetudine, ad iudicium vocatus, quæcumque nouerat actionum, vel miraculorum Thuribij, interrogatus, fideliter ac deuotè pro veritate protulit. Sed ab eo munere domum reuersus, cùm sub solis occasum ad superiora domus per scalas ascenderet, ea graui senecta, & enormi hernia depressus, subitaneaque capitis vertigine captus, per septem scala-

rum

rum gradus deorſum ad ſolum retro volutatus, eſt, & capite, lateribus, dextraque coxendice læſus, &, quod ſenibus exitiale, luxatis oſſibus, ac per ſe immobilis, in terra iacuit; dùm ad ſtrepitum acurrentes domeſtici, ſuis lacetis ipſum ad lectum deportarunt. Vbi petito toties memorato libello, & partibus dolentibus admoto, abſque alia cura cùm omnium ſtupore ſic repentè reſtitutus eſt, vt exploratis partibus, nec vulnus, nec tumor, aut liuor appareret, ac ſi nihil paſſus fuiſſet, & ſequnti die, more ſolito ſanus, & incolumis ſurrexit, & huic etiam miraculo inter alios teſtes, iuratum teſtimonium perhibuit.

Mulier AEthyops Iuliana Angela Caſtaña, ſerua Calculatoris Alfonſi del Pulgar, & Iſabellæ Bonæ coniugis, vehementi febre, & ſæuo ſtomachi, laterumque dolore, ſuſceptis Sacramentis, & amiſſa loquelà, ad mortis agonem deducta fuit, ſonante campana Eccleſiæ S. Bartholomei pro felici tranſitu moribundæ: pio quidem, & laudabili more in pleriſque Prouincijs vltramontanis, & Indicis, atque etiam, vt audio, in Lombardia, et alijs fortè quibuſdam Italiæ Regionibus vſitato; vt nimirum chriſtianus populus eiuſmodi ſonum audiens, totus ſimul oret, vt Deus, vel corporis ſanitatem, ſi ita expediret, vel extremi agonis à dę-monibus victoriam infirmo largiri velit. Durante verò lucta pulſantur campanæ ſimplici ictu, et expirata anima, tractu duplici, ſeu plurium campana-

rum

rum concrepatione, vt id etiam intelligens populus, pro animæ requie precetur: Iuliana in hoc ſtatu conſtituta, accedente terribili, et mortali paroxyſmo, in quo aurium etiam et oculorum vſum perdidit, quaſi animam illico efflatura, Iſabella hera rocordata miraculorum, quæ B. Thuribij actorum libellus in Baſilio vargario operatus eſt, eundem libellum, quo ille liberatus fuit, Iulianæ capiti, ſtomacho, & lateribus applicuit, Thuribij opem cùm multis qui aderant inuocando; & eodem inſtanti temporis, infirmæ dolores febriſque ceſſarunt, ac poſt paucos dies reſtitutis viribus, ſana & ſalua ſurrexit. Quod Medicus, & cæteri vnico B. Archiepiſcopi inuocato præſidio, & libelli eius virtuti tribuerunt.

CAPVT LIII.

Alia miracula poſt translationem extra Limam patrata.

IN valle Guacara Prouinciæ Guaybanæ, non procul ab oppido Charas, Magdalena Chymba, mulier Inda, vxor Gonſalui Cuyas, ſeu Cullas pariter Indi, ex eodem oppido Charas, per octo dies poſt partum tam copioſo ſanguinis fluxu laborabat, vt ob nimiam debilitatem nihil alimenti ſumere potuerit, nihilque præualentibus humanis remedijs, intra breue tempus certò moritura cenſere-

ſeretur. Erat tunc in eodem loco Hieronymus ordoñes de *P*iñeda, calculator, ſeu, vt vocant, computiſta, qui ſumma, qua in B. Thuribium veneratione ferebatur, ſcriptum eius chirographum pro ſacra reliquia, in burſula circumferebat. Is periclitanti Magdalenæ compaſſus, iuſſit fęminis aſſiſtentibus, vt ſchedam infirmæ ventri ammouerent, & viua fide B. Archiepiſcopi opem implorarent, ſingulique præſentes orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam ad idipſum vnà ſecũ recitarent. Hæc facientibus illis tertia circiter hora ante mediam noctem, Magdalena dormire cœpit, & alij ſuauiter ſopitam reliquerunt, relicta ei reliquia B. Thuribij: ſequenti verò manè tantum abfuit, vt, quod metuebant, mortuam inuenirent: quiñ potiùs non ſolùm omni morbo liberam & ſanam, ſed &, viribus integris tàm citò reſtitutis, extra lectum veſtitam, vegetam, hùc illùc curſitantem, & officia domeſtica pro priſtino more ſuis manibus exercentem, magna admiratione ſua, ac Thuribij laude repererunt; cunctis id ipſius reliquiarum virtuti, inuocatoque nomini acceptum referentibus. Eodemque chirographo Limæ liberata eſt Mariana Aluarez, à diuturno moleſtiſſimoque dolore capitis; quem cum alijs remedijs, trina venæ ſectio priùs expellere non valuit.

In eadem Prouincia Guaylarum, in Doctrina ſeu Parochia S. Annæ. Fr. Alfonſus de Caſtro Ordinis *P*rædicatorum, eiuſdem loci Paſtor ani-

marum, habebat seruum Indum Christianum sacræ ædis ministerijs *Præfectum*, qui mortifera febre oppressus, post multa remedia incassùm probata, ad portas mortis deductus est. Intereà temporis idem Parochus ab Archiepiscopo Limano Villagomezio, mandatum accepit inquirendi, an ibi essent aliqui, qui B. *Præsulis* Thuribij virtutibus, aut miraculis testimonium præbere possent, posteà per ipsum Archiepiscopum, & alios Iudices Apostolicos examinandi: qua occasione motus Alfonsus concepit spem, per serui Dei merita, serui sui sanitatem impetrandi, alioquin humanitùs desperatam.

Accessit infirmum, eumque hortatus est, vt summa fiducia recuperandæ valetudinis, B. Thuribij opem feruenter imploraret; quod & ipse fecit, & B. Archiepiscopi nomen in scheda scriptum illi apposuit. Circa mediam deinde noctem, de frugi gratique famuli vita solicitus, è somno euigilans, inclamauit alteri Indo tùnc pariter dormienti, qui assistebat ægro, an ædituus adhuc obierit? sed ipse qui mortuus credebatur, viua voce respondit, se mortuum non esse, sed melius valere, & cœnam appetere, allatam auidè sumpsit, & sequenti die surgens, sine febre per domum ambulabat; Dùm confirmatis viribus, paucis pòst diebus integrè conualuit, gratias Deo, cum publica professione miraculi, & Aduocato suo Thuribio ex animo reddens.

In

In oppido Santa, hodie Truxillanæ diœcesis, quidam Melchior de Mato per quatuor annos laborabat perpetuo fluxu ventris: Cùmque multas pecunias in Medicos & medicinas insumpsisset, ipse magis in dies adeò consumebatur; vt Medici nullum remedium amplius ei profuturum inuenirent; atque adeò suaserunt, vt dimmissis pharmacis, solius animæ curam ageret, præsertim Ioannes de Angulo, qui ipsum eo morbo moriturum pronunciauit, & inspectis ipsius excrementis dixit: iste homo loquendo morietur. Audiuit Anguli verba tunc præsens Franciscus Gaynus mercator Sanensis, & Melchiori persuasit, vt cùm nulla spes in humanis remedijs illi superesset, totam suam fiduciam in Deum, ac serui eius Thuribij Mogrouejì viri Sancti, & miraculorum gloria celebris auxilium conijceret, recoleretque miraculum, per solos eius nominis characteres in Indo seuo Alfonsi à Castro Curionis S. Annæ nuper patratum eumque imitaretur; ergo B. Antistitis Thuribij nomen in medio folio albæ papiri scripserunt, quod accipiens Melchior suo stomacho applicuit, promittens Deo & B. Thuribio perpetuum obsequium, quotidianum pensum orationum, & iuratam miraculi attestationem, si sanitatem ipsi impetraret. Eo facto absque vlla alia diligentia, post triduum sanus & incolumis, restauratis viribus, auasit; ac mirantibus oppidanis tam repentinam, & integram desperatæ vitæ restitutionem, respondebat palam, quod

erat: se in solo scripto & inuocato B. Archiepiscopi Mogrouejì nomine, sanatum fuisse, votum soluit, & pro tribunali interrogatus cum alijs contestibus publicam clari prodigij testificationem deposuit.

Anna Maria Ramirez de Mantha, in Parochia S. Lazari vltra pontem Limanum, extra vrbem, alioquin subinde pectoris angustiæ subiecta, cùm anno 1659. die 23. Iunij, cæteroqui tùnc sana inter duas portas domus suæ aliquid familiaris operis ageret, aëris acrimonia percussa sensit sibi pectus inde constringi, vt satis difficulter respirare posset. In tertium diem ita crescebat asthma, vt, nec cibum sumere, nec dormire, nec se quodammodo mouere sineret: & quanquam Ferdinandus Lopez eius maritus, medicinæ Doctor varia suæ facultatis remedia ipsi interim applicuisset, & inter alia venam aperiri curasset; nec sanguis, in corpore congelatus exiuit, nec alia quidquam profuerunt. Tertia tandem nocte eo deducta est, vt circa horam decimam, etiam ab amantissimo marito Medico moribunda iudicata sit, inuersis nimirùm oculis, absque vitali motu, tam exigua & laboriosa respiratione congelata, sine pulsu, facieque, vt periti vocant, hyperatica, & cum alijs vicinæ mortis indicijs, vix non mortua videretur.

In eo statu constitutam cùm ad bene moriendum iuuarent, ipsa, qua poterat voce, in hæc verba prorupit: Sancte Archiepiscope Thuribi Mogroueje, si

Sanc-

Sanctus es, vt ego credo, ac Dei facie fruaris, ab illo mihi impetra, vt restituta sanitate, ipsi seruire possim; atque hæc dicens versus quosdam latinos in Thuribij laudem compositos, pectori suo apposuit. Nec citiùs fecit quam asthmate resoluto, dilatata pectoris angustia, & libera respiratione restituta, in se repentè reuersa est, cibum petijt & sumpsit, ac post mediam horam suis viribus & pedibus in alium lectum transiuit; in quo à media nocte in sequentem diem suauiter dormiuit, sanaque & incolumis mane surrexit, ac si nihil passa fuisset: cum per tres antè dies, cum ægritudine & morte colluctando, nihil prorsùs, vel comederit, vel dormierit.

Hieronymus Ordoñez de Piñeda, B Thuribio addictissimus, quem antè dixi proprium eius Chirographum, vt sacram reliquiam circumferre solitum, iter agebat ad Prouinciam Chilaoam per montem Charasmal, vbi in quodam cliuo saxa sic per naturam composita sunt, vt scalarum formam, etsi rudem referant. Cliuum hunc mula vectus scandebat Ordoñez; cùm in angusta crepidine, reperit, per transuersam viam in terra prostratam vnam ex onerarijs mulis, quas præmiserat, vt nullam transeundi semitam illi reliquisset: nec suam, vel in assensus impetu sistere, vel ad alterutrum latus vertere, multò minus retrogrado passu dirigere, absque euidenti præcipitij discrimine potuerit.

Nullum ergo consilij locum in subitaneo casu

vi-

videns ; valida voce clamauit : Sancte Thuribi ! quibus auditis altera mula quæ iacebat, tanquam rationis compos, vel inuisibili manu Dei mota, in genua se erigens alterum saxum sui parte conscendens. aliquantam viam posticæ reliquit, qua cum sua mula Ordoñez illæsus transiuit. Eum à longè sequebatur Ioannes Delgadus à Victoria, qui Ordoñij casum prospiciens, & eius periculo cautus de sua mula descendit, eamque post se repentem traxit, donec mulionis industria prostrata mula erecta fuit. Sed ambo exrrà periculum positi saluum Ordoñij transitum cùm casus discrimine, & singularibus circumstantijs conferentes, euidens miraculum iudicarunt, & gratias egerunt B. Thuribio, qui hominem sibi deuotum, ad solam nominis inuocationem sic liberare voluit.

Id ipsum iter prosecuti sub noctem venerunt ad locum desertum in Prouincia Chilaoa, ante ascensum cliuorum, quos, vt vulgo costas, sic tres sorores vocant, vbi nulla domus, nullum vmbraculum, vel refugium tempestatis, quæ ibi vehemens esse consueuit, depositis tamèn sarcinis pernoctandum fuit: quùm hora septima pomeridiana, seu prima circiter noctis, densatæ nubes magnam e montibus pluuiam portendebant. Tùm Hieronymus consueta fiducia : Ergone, inquit, Sancte Thuribi, nos hic, & corporum & sarcinarum damno madere patieris? Delgadus verò decidua iam pluuia humescens, socium irridendo, intulit:

vt

vtcumque tu Ordoñi sanctum inuocas; at ego rem irremediabilem sentio: at Hieronymus in sua fide persistens: sed ego, inquit, serui Dei miracula sæpiùs expertus, pluuiam hanc, eius meritis nobis minimè nocituram non dubito.

Vix dixit, cùm pluuia statim cessaret, ac dissipatis illicò nubibus, serenissimam noctem, clara luna, sat commodè pro loci conditione transegerunt. Quod & ipse irrisor Delgadus, miraculum fassus est, ac tanti æstimarunt omnes, vt Barbarus è comitatu Indus inuocati serui Dei nomen discere studuerit; id in omni sua necessitate deinceps inuocaturus, & impositurus fœtui ex vxore tùm grauida nascituro: Quod & Hieronymus etiam se facturum promisit, qui vxorem suam tunc domi grauidam reliquit, si solito B. Thuribij patrocinio, Limam incolumis rediret, & fecit.

Guarochirianos in Diœcesi Limana regebat Alfonsus *Pita*, Tribunus militum, vbi vxorem habuit Gertrudem Claueram à Castilla, propè partum grauidam: sed quoniam aura loci nimis frigida, & partui importuna videbatur, eam parituram duxit ad portum Limanum Chalao, vbi domicilium, & Parentes habuit. Inter eundum, Garziæ Nuñezij Velæ iuxtà æquitantis mulus Gertrudem ictu capitis in ventre percussit, quo illa se læsam sensit; & Chaloam appulsa, in matris suæ, & Patrui Doctoris Nicolai Martinez Claueri, loci Curionis, & Episcopalis vicarij domo, crescente dolo-

dolore decubit; Dùm tertia die parturiens, ſed fœtum emittere non valens, cum mortalibus delirijs, in præſenti mortis periculo, ſine ſpe vitæ conſtituta fuit.

In eadem domo, vt Parochi habitatione, tunc hoſpes fuit, D. Petrus à villa Gomezia Archiepiſcopus Limenſis, qui fœminæ periculum inaudiens, miſit ei crucem pectoralem B. Thuribij, qua parturientis ventri applicata, cum inuocatione eiuſdem B. Antiſtitis illicò parere cœpit; ſed tam anxiè, vt viſo extra ventrem vno pede paruuli, Archiepiſcopus eum ſtatim in ea parte, ſub conditione baptizari fecit: quo facto, integrum infantem, ſed mortuum, & ictu muli in facie ſignatum, cum horrendo fætore corruptum, nigreſcentem, & putridum, cum ſecundinis æque male affectis enixa eſt; & ipſa in ſe ſtatim reuerſa conualuit.

Duos illos fontes alterum cliui Charaſmalenſis, & alterum oppidi Macatenſis S. Ludouici, quos per B. Thuribium miraculosè eductos diximus, multorum varijs morbis, ab ipſius benedictione, bibendo, lauandoque diuinitùs medicinales eſſe, communis Hiſpanorum Indorumque Peruuiæ æſtimatio, publicata vox, & fama eſt, iurata multorum teſtificatione in tabulis comprobata. Quapropter ab omnibus vulgò, fontes S. Archiepiſcopi, & aqua ſancta vocantur.

In ſpecie verò Hieronymus Ordoñes de Piñeda, computiſta, vt vocant, ſeu calculator, quem ſæpè no-

nominauimus, aliquandò febri, catarrho, & frequenti vomitu vexatus, vt nihil omnino cibi vel potus in ſtomacho retinere poſſet; cum Limam curandus proficiſceretur, & fontem Charaſmalenſem præteriret, ea fide ſanctitatis Thuribij, quam conſtante pectore conſeruabat, è mula deſcendens, flexis ad fontem genibus, firma ſpe recuperandæ ſanitatis, Thuribij opem implorando, hauſit aquam, & ſtatim ceſſante vomitu, omni morbo, & indiſpoſitione, repentè liberatus eſt, & gratias ſuo poſt Deum Seruatori coram omnibus egit, qui toties ipſum, & alios morbis, & periculis abripere conſueuerit. Idipſum euenit Primario Indo ſeù Caciquio, dicto Didaco à cruce, qui frigida calidaque febri afflictus, per eandem viam tranſiens, & concepta ſpe valetudinis per Beati Thuribij merita ſibi reſtituendæ, ex fontis aqua bibit; & vultum, caput, & manus lauit: ac ſtatim abſque alio remedio integrè conualuit: nec multo pòſt tempore vllam corporis indiſpoſitionem paſſus eſt.

Alfonſus de Caſtro, Ordinis Prædicatorum, Parochus S. Annæ Prouinciæ Guaylanæ, cuius ſeruum Indum per B. Thuribij nomen aliena manu in charta ſcriptum, in eodem loco ſanatum diximus; vehementi laterum dolore, ſeu punctura preſſus, nec medicis remedijs, quanquàm varijs adhibitis, quidquam adiutus, frigido ſudore madens, moribundus credebatur; quando prioris miraculi B. Thuribij recordatus, eandem chartam

eius nomine inſcriptam à ſeruo repetens, in affecta parte, inuocato ſerui Dei patrocinio, ſibi applicuit; ac ſtatim, non integro ſpacio recitandi ſymbolum Apoſtolorum, ceſſante dolore, poſteà per noctem quietè dormiens, ſanus & ſoſpes manè ſurrexit.

CAPVT LIV.

Viuentis, & mortui B. Thuribij publica Sanctitatis fama.

HVnc locum non tracto, quaſi Beati *Præſulis* vitæ ſanctimoniam, vel etiam defuncti in Cœlis miraculorum operatricem potentiam, ex multitudinis opinione, & publica voce comprobare volens. Iſta etiam certò cognita ſupponit ſolemnis ipſius apotheoſis, & ſuprema in terris ſententia, quæ è iuris diſtrictione, pro eius heroicis virtutibus, ſtupendis miraculis, & cæleſti beatitudine iam lata eſt, & ſolemni Eccleſiæ catholicæ ritu promulgata, indicto ipſius canonico cultu, & publica inuocatione patrocinij. Sed quemadmodum in hiſtoriæ limine, Sancti huius Archiepiſcopi virtutes ad exemplum imitationis alijs exponere profeſſus ſum, ita nunc celeberrimam eius apud homines famam, & magnam in cœlis gloriam, ad eiuſdem imitationis incitamentum ſequentibus explicare conabor; vt illi non detrectent labores & pericula ab ipſo ſanctè, for-

fortitèrque tolerata, quos delectat adepta fama, gloriæque corona.

Tanta enim est bonæ famæ dignitas, vt eam nemo non appetat, etiam eorum qui vanè appetendam dissuadent; atque ipsa Gentilitas solo rationis lumine docta, præclarè cùm ijs actum censuit, quorum virtus, nec obliuione eorum qui sunt, nec reticentia posterorum sepulta esse poterit. Et sacra doctrina, diuinæ veritati innixa, omnique ratiocinatione certior, boni nominis curam solicitè inculcat, ipsumque argento & auro, diuitijs multis, vnguentis pretiosis; vt quod impinguat ossa, anteponit: quòd ista temporaria & euanida, illud verò permanens, æternumque sit: quo etiam post mortem gloriosius viuitur. Multum enim interest, viuentem in terris benè audire, vbi honoris aut lucri spes, & adulatio locum habere possunt; & è viuis abeuntem, per omnium bonorum ora cum laude versari, quando sola defuncti virtus laudem prouocat, quæ vera solidaque laus est, & veræ virtutis indiuidua comes.

Cic. phil. 14.

Quis ergo Deo teste certus: quia in memoria æterna erit iustus, ab auditione mala non timebit, non sectetur iustitiam? quis æquè sibi persuasus: quia non coronabitur nisi qui legitimè certauerit, ardua quæque non adoriatur, & subeat? vt in cœlo sempiternæ gloriæ coronam consequatur. Cùm Iuda Machabæo mori in virtute, ne inferat crimen gloriæ suæ, eáq; morte, quam S. Ambrosius gloriosiorem

Psal. 111.
2. Tim. 2.
Mac. 9.
Lib 1 Offic. cap. 14.

triumphis vocat: ſi enim vita ipſa ad virtutem, & gloriam hominibus data eſt, verè ipſa rectè contemnitur, vbi iſta periclitantur. Id ſolum cauendum eſt, vt dùm gloriam inter homines appetas, iuſtitiam, charitatemque nè lædas, per quæ ſeruata, gloria Dei æterna comparatur, per quæ præuaricata deperditur.

Huius verò rei norma, cùm in omnium Sanctorum Præſulum vitis, plus minuſuè reperiatur: ſed in B. Thuribij Alfonſi Mogroueji Archiepiſcopi Limenſis totius vitæ decurſu, & poſt mortem, vtriuſque, tam virtutis, quam famæ exemplum præcellens fuit: Ab infantia enim exorſus, inter patriæ pueros egregiarum virtutum princeps erat, & à Ciuibus paſſim habebatur. In Academia Valliſoletana adoleſcens, eam virtutis, & honeſtatis opinionem adeptus eſt, vt ſodalium nemo turpe quidquam vel indecens, quod Deum vel hominem offendat, coràm ipſo loqui, vel agere præſumeret; vt fulgore virtutis, & nominis Mogroueji, iam palàm noti ſerui Dei, principis tenebrarum opera, ſola ipſius venerabili præſentia diſſipari cæpiſſent, eoſque morum illaudabilium pudere ad honeſtatem frugemque reduci, qui priùs illis imbuti erant. In Salmanticenſi Caſtellę, & Conymbricenſi Luſitaniæ vniuerſitatibus, non ſibi ſoli virtutis laudem, ſed patruo quoque Ioanni Mogrouejo, publico legum Profeſſori, & vniuerſæ Mogrouejorum familiæ æſtimationis accrementum obtinuit.

In

In Collegio Ouetano S. Saluatoris eiusdem Salmanticensis Academiæ, vbi nobiles viri, doctrina & moribus maturi societatem habent, quanto sui nominis splendore: quanto ampliùs in officio Inquisitoris Granatæ, per omnem Hispaniam emicuerit: quam communis & constans virtutis eius, & sanctimoniæ fama in omnium animis hæserit; quæ quoniã priùs copiosiùs explicuimus, hìc raptìm reminisci satis erit: vt quam magna fuerit ipsius æstimatio apud Rom. Pontifices, & purpuratos Ecclesiæ Patres: apud Philippum secundum Catholicum Regem, ipsiusque varios concessus magnatum, præsertim supremum S. Inquisitionis Hispaniarum, & rerum Indicarum Senatus, honores à nobis antè explicati, quibus eum fugientem, & reluctantem exornarunt, satis manifestant. Factus autem Archiepiscopus Limanus, non potuit Ciuitas abscondi supra montem posita. Neque noui mundi lux in candelabro collocata, quantumùis magna infernalium spirituum inuidia, obtenebrari valuit. quin imprimis Thuribij Mogroueij, fama, quæ Hispaniam repleuerat, in Indias ante ipsum præuolaret.

Inde tam vehemens orbis Peruuiani desiderium videndi faciem Pastoris, quem à nominis celebritate optimum sibi datum nouerunt; tanta eum suscipientium lætitia, tantum gaudium possidentium, quantum opera experti, frequenti sermocinatione, publicaque voce & fama demonstrarunt,

& in

& in hodiernum diem profiteri non cessant. In actis Canonizationis Beati huius Antistitis, præterquàm, quòd centum quadraginta sex Testes processus, authoritate Apostolica examinati, & iurati, omnes passim affirment, ea quæ ipsi testantur, notoria, & publicæ voci, ac famæ consentanea esse: peculiaris etiam inqusitio de fama ipsa instituta fuit. At cum singulorum encomia sigillatim describere, nostri instituti non sit, ijsdem fermè verborum terminis, quibus vtuntur, ea hac ratione contraximus.

Testantur itaque, Thuribium Alfonsum Mogrouejum Archiepiscopum Limensem, ab omni vniuersim genere personarum habitum fuisse, & haberi in vita, in morte, & post mortem; Virum Apostolicum, & in omni genere virtutum illustrem: Prælatum immaculatæ vitæ integritate insignem, & perfectę prælaturę speculum, sanctum, & amicum Dei, & communi omnium opinione cùm illo in Cœlis Beatum; non solum in Regnis Peruuię, sed etiam nouę veterisque Hispanię, & Romę. Nèc tantum vulgi voce, sed magnorum quoque Principum, atque adeò Romanorum Pontificum, Catholicorumque Regum, S. R. E. Cardinalium, & Hispanicę aulę Magnatum opinione, & pręconio: Quę opinio & fama magnũ incrementum, & firmitatem accepit ex visitatione tribunalis Granatensis, & controuersijs per nos antè relatis, quę Thuribium inter, & quosdam Antistites, Peru-

ruuiæque Proregem intercesserant: in quibus purus eius zelus pro Dei causa, absque omni suspicione mali magnoperè manifestatus est.

Propter hæc & reliquam eius vitæ sanctimoniam, & Ecclesiastici regiminis Apostolicam normam, ab omnibus communiter veneratum, vt sanctum, dignumque reputatum esse, qui Sanctis Præsulibus Ecclesiæ primitiuæ æquiparandus, eorum numero adscriberetur. Tantumque apud Barbaros, & infideles Indos, ipsius charitatis, & sanctimoniæ fama prȩualuit, vt cùm ipsorum regiones non aliàs penetratas intraret, ipsi turmatim obuij, eum humaniter, & benignè suscipere consueuerint, ipsiusque salutarem doctrinam, & monita cum attentione, & affectu audire, & amplecti.

Atque hȩc equidem deponunt testes de Thuribij fama iurati, affirmata communi opinione virorum, fȩminarumque cuiusuis status, gradus, conditionis, & ordinis, nobilium, plebeiorum, secularium, & Religiosorum; Qui omnes ipsum, antonomasticè, Sanctum Archiepiscopum vocant; & eo nomine absolute prolato, non alium animo concipiunt, quàm Thuribium Mogroucjum. Nèc esse, qui mentionem ipsius faciat, vel audiat, qui eum vt sanctum virum non extollat, absque vlla contradictione vel dubio.

Illam verò famam ipsius ad Barbaros Infideles, non Hispani tantum, vel Indi Christiani detulerunt,

runt, cum quibus raró, & plerùmque hostiliter conuersabantur, sed subinde etiam Angeli Dei, quod antè notauimus: vt quod in alijs hieroglyphicum, id in Thuribio veritas nuda sit; vt eius famæ volantis, ac tubam inflantis Angeli forma repręsentetur. In morte verò, pręter antè narrata prodigia, per quę cœlum ipsum nominis ipsius celebritatem propagauit, communis populorum, tàm è sæculo, quàm vtroque Clero hominum planctus, quòd amantissimum Patrem, vigilantissimum Pastorem, & omnium amplissimum benefactorem amiserint, quanta ipsius ęstimatio fuerit manifestè declarauit; vt & illa firma spes ipsius in cœlis patrocinij, qua eius opem in omni sua calamitate inuocant, et reliquias certatìm habere student; et per patentia miracula referunt quęcumque cupiunt, vel per ipsius merita a Deo petunt.

Tanta verò fama et celebritas nominis B. Thuribij, non viua tantummodo voce, et perpetua, fręquentissimaque sermocinatione sparsa, absque intermissione, vel contradictione continuata, et constanti traditione conseruata fuit; sed grauium etiam Authorum in America, et Europa, litteris, et libris arte typographica, cum doctorum hominum, et superiorum approbatione et consensu diuulgatis, in quibus ipsius totius vitę sanctimonię, virtutum, et miraculorum illustria testimonia reperiuntur: sed ne Authorum nomina et qualitates minutìm exprimendo longum faciam, quòd id

alijs

alijs propositum studiumque esse intelligam: id solum obseruo, multarum Europæ & Americæ Nationum, diuersorumque tàm laici, quàm Ecclesiastici, Clericalis, regularisque status, & ordinum, qualitatumque esse, eminentibus titulis ac dignitatibus claros. Nec singulorum verba describere, apud plures frequenter eadem; sed eorum sensum, sine verborum repetitione, collectìm exhibere constitui. Qui omnes plerique passim, non data opera, vt qui integram vitam, & acta scripserunt, sed aliud agentes, exigentibus eximij viri meritis communique æstimatione, & oblatis occasionibus honorificam eius mensionem fecere.

CAPVT LV.

B. Thuribij fama doctorum virorum calamo celebris.

QVi ipsum absolutè Sanctum, vel cum additamento, Sanctum Archiepiscopum, & Præsulem omnibus numeris absolutum, perfectumque, sanctæ & gloriosæ memoriæ nuncupant. Qui purissimum Virginem: qui æmulandæ sanctitatis Antistitem: qui insignem illum, & non minùs, ob vitæ sanctimoniam, quam ob dignitatem reuerendissimum: qui æque magna sanctitatis opinione defunctum, quàm qua vixerit: largum Elee-

mosynarium, ouiumque suarum, præsertim Indorum spiritualis boni Zelantissimum; quibus per singulos Dominicos dies, vernacula ipsorum linqua prædicabat: exemplarem,& magnum sanctumque Prælatum, omnibus notum, sanctæque vitæ; quam si quis conscribere vellet, amplissimum haberet exercendi calami campum, propter copiam eorum, quæ de excellentissimis eius virtutibus dicenda extant; maximè verò de ardenti zelo, & charitate, quibus prouidendo spiritualibus, ac temporalibus suarum Ouium necessitatibus incumbebat. Qui virum sanctum, & Ecclesiæ primitiuæ *P*ræsulibus parem; cuius sanctitatem, & Apostolicam vitam laudabit Peruuia, ipsius memoriam deplorando, & decantando virtutes; in quo vt in proprio centro requieuerunt gratiarum dona, & partes, quas *P*aulus Apostolus in Episcopis, Ecclesiæque *P*rincipibus requisiuit.

Alij tractando de confirmandis Chrismate, in ętate minori infantibus, aiunt: sic exercebat Illustriss. D. Thuribius Aalfonsus Mogrouejus b. mem. qui, vt sanctus Pręlatus, suique ministerij tantoperè zelosus, securiorem executionem, diuinique obsequij splendorem sectabatur: in quo hodiernum defectum, vt tunc aduertebat, prophetasse visus est in parochię suę partibus maximè remotis, Iaën, & Moyabamba; siquidem post vltimam ipsiius visitationem, & erectionem Episcopatus Truxilli, per tot annos, nullus Episcopus ad

hoc

hoc ſacramentum adminiſtrandum eas Regiones penetrauit. Alij de Epiſcoporum muneribus ſcribentes: In quo (prędicandi munere) ſancto zelo exactus fuit D. Thuribius, qui, vt ſciebat officium prędicationis ad Epiſcopos pręcipuè pertinere, ipſum non ſolùm viſitando inter miſerabiles Indos; ſed etiam in vrbe Metropolitana reſidendo, ſingulis Dominicis diebus, aliſque multis exercebat. Alij alterum Eleazarem, ſacerdotem magnum, in demetiendo vniuerſam terram Peruuię, ſicut prior dimenſus eſt terram promiſſionis. Alij alterum Paulum, in prędicando Euangelium illius Imperij cunctis gentibus; appellabant: erga Pauperes pium, erga diuites pacificum, erga potentes fortem, in templo deuotiſſimum, in morum reformatione vigilantem, in Eccleſiaſtica diſciplina conſtantem, in reliquos omnes ſuauiſſimum, in ſeipſum maximoperè ſeuerum.

Alij, diuini obſequij, ſalutis animarum, & propter hęc proprię mortis & martyrij ſitientiſſimũ; cor candidum, ánimum prudenter ſimplicem, idololatrię fulmen, Chriſtiano nomine lętum, ſummorum Pontificem, Catholicorumque Regnum delicium; cuius ſanctitatis opinionem placuit Deo, multis miraculis comprobare. Alij eius vitam, & miracula, tam celebrem eum mundo feciſſe ſcribunt, vt ſi maior à *P*eruuianis adhibita cura fuiſſet, ipſe iam dudùm cœlitum catalogum, inſcripto ſuo nomine, auxiſſet. Álij nouum Chriſoſtomum, &

Hispaniarum Ambrosium ; Quo , concedente Apostolica sede , non minùs aliquando gloriabitur, Lima , quam Eugenio , & Ildefonso Toletum , Isidoro & Leandro Hispalis , Cæsaraugusta Braulio , Mediolanum Ambrosio , & Borromeo : Valentia Villanouano ; Constantinopolis Chrisostomo . Alij nouum Moysem , qui vt amicus ad amicum cum Deo loquebatur , & cuius vultus resplendebat à consortio sermonis Domini , cùm ab oratione rediret ; cuius gloriam celebrabit Ecclesia Limensis , cũ eius ossa collocabit non in obeliscis, & mausoleis, sed in tabernaculis & aris . Qui tam largus Eleemosynarum erogator fuit , vt nemo magis , etiamsi Borromæos , Villanouanos , aut Ioannes Eleemosynarios producas , & quotquot in Sacris Annalibus celebrantur . Alij Ecclesiastici status immortale decus , virum vitæ Sanctimonia insignem : indequè apud Sedem Apostolicam iustè , solicitè , & piè peragi , vt sanctorum fastis ad scribatur .

Alij , veteris Ecclesiæ Patrum Ectypon , acerrimum fidei defensorem , præconemque Sancti Euangelij , qui plus exemplo , quam verbo prædicabat , mansuetus , humilis , castus , affabilis ; pius pœnitens , *P*ater *P*auperum , cuius virtutes innumeris miraculis in vita , & à morte patratis , Deus illustrare voluit : quem omnes auidè expectant , vt sanctorum numero in terris ad scribatur . Alij iustitiæ formam , sanctitatis speculum , pietatis exemplum , veritatis assertorem , fidei defensorem , Cleri

ri coordinatorem, insipientium magistrum, oppressorum refugium, Pauperum Patrem; miserorum spem, Pupillorum tutorem, viduarum aduocatum cæcorum oculum, mutorum linguam, senum baculum, scelerum vltorem, malorum metum bonorum gloriam, terræ & orbis lumen deprædicant; Alibi laudatissimum Antistitem, hominemque Angelicarum virtutum æmulum, & Apostolicorum Charismatum copiosum hæredem; qui creditam sibi Ecclesiam, omni cum Pontificiæ virtutis laude administrauit, & in Episcopali solio manifesta, æternaque inculpatæ vitæ, & exploratæ sanctitatis vestigia impressa reliquit. Sanctus ille Archiepiscopus, vir totus ex pietate & charitate factus, signis, & virtutibus admirandus, qui à diuina prouidentia hoc nostro sæculo datus videtur, vt antiquorum Præsulum, quorum memoria est omni laude maior, Imaginem moribus, & vitæ ratione delinearet.

Alij, maximum virum, maximèque venerabilem Prælatum, quem viderant vel nouerant Indi post prædicatum in immensis noui orbis prouincijs Sacrum Euangelium. Alij, humilitatem Christi, deuotionem Petri, charitatem Ioannis, obedientiam Abrahæ, patientiam Isaaci, tolerantiam Iobi, castimoniam Iosephi, virtutes heroë dignas altissimo gradu in Mogrouejo emicuisse: in quem virũ, inquiunt, elogia diuini spiritus, diuo Simeoni attributa deflectas: Sacerdus magnus, qui in vita sua

suf-

ſuffulſit domum, & in diebus ſuis corroborauit templum; qui curauit gentem ſuam, & liberauit eam à perditione; quaſi ſtella matutina in medio nebulæ, & quaſi luna perfecta in diebus ſuis lucet, & quaſi ſol refulget, ſic ille refulſit in templo Dei. Alij Virum præclariſſimum, & ſingularem, Præſulemque maximè venerandum, & Apoſtolicum; cuius opera egregia, non minimum lucis, atque exempli Eccleſiæ Dei poſſunt afferre. Cuius in animarum curanda ſalute ſtudium admirabile fuit, & alacritas in iiſdem proſequendis, quærendis, ac Deo lucrandis egregia: vitæ & morum candor incredibilis, magnanimitas ac tolerantia in aduerſis, & infectationibus perrara. Tenor conſtantis virtutis atque exempli, ab ingreſſu ad exitum vſque vitę ſemper ſui ſimilis.

Alij, magnum Eccleſię Principem, & ſingularem Heroëm, cuius infantiam totam viriles curę occupatam ſemper habuerunt. Qui in ſtudiis Tyro ſucceſſum veteranorum obſeruauit, qui adhuc contubernalis, moderatoris prudentiam prętulit, moderator religioſi viri attentionem. Cùm verò in Eccleſię hierarchicum ordinem allectus eſt, fuit in omninum oculis flos ſacerdotum, gemma Pontificum. Alij Prelatum maximè inſignem, quem noſtra tempora cognouerunt; qui & ſubſtantiam totam, & animam ſuam pro ſuis ouibus detrimentum faciebat. Alij Paſtoralis officij regulam, ſanctum antonomaſticè nominatum, qui ſanctorum

Eccle-

Ecclesię Patrum virtutes heroico zelo imitatus est; cùm in illa Indię Gentilitate fidem tam robustis radicibus plantauit, vt non noua, sed multorum seculorum vetus Ecclesia esse videatur.

Alij Sanctissimum Limensium Archipręsulem, famigeratissimum seruum Dei, Virum incomparabilem, admirandę sanctitatis, & Pastoralis zeli, quem vnctio de omnibus docere videbatur, sic in S. Rosę Limensis nomine errare non potuit, vt relicta Elisabetha baptismali appellatione, in conferendo Sacro Chrismate Rosam appellare maluerit, purę animę fragrantiam tunc sentiens in spiritu, quo plenus erat: seù vt alius loquitur: non opera humana, sed speciali impulsu diuino Rosam vocauit. Quod & Clemens IX. S. M. Pontifex in Rosę canonizationis diplamate, cum Thuribij laude repetijt his verbis: sed etiam à Thuribio Archiepiscopo Limę dignissimo, non absque cęlesti, vt creditur, afflatu in sacri Chrismatis vnctionę Rosę nomen commutatum. Id quòd in Thuribio alij ad spiritum prophetię pręsagientem Rosę futuram sanctitatem, alij ad discretionem spirituum cognoscentis, tunc pręsentem animę ipsius puritatem referunt: sed vtrumque fuisse nihil obstat: nam vtroque spiritu plenum fuisse Thuribium, iam antè ostendimus.

Alij venerabilem eximiumque Pręsulem, à quo latę leges, decreta, ceremonię, Regulę, zelum ipsius planè Apostolicum. Et authorem omni tem-

tempore omnibus omnia factum palàm plenèque indicant. Alij in eis omnibus & singulis eundem eius zelum cum eximia sapientia, & prudentia, charitateque erga Deum, & proximum, atque iustitia, coniunctum eminere, & in omnibus eodem spiritu, zelo, & rectitudine actum fuisse. Alij, omnia in eis contenta videri iustè, piè, sanctissimèque constituta, & valdè idonea ad fidem catholicam conseruandam, & propagandam, nec non ad mores laudabiliter informandos, iuxta normam sanctæ matris Ecclesiæ; atque inter alia optimè inibi prouideri, cum sancto zelo, immunitati Ecclesiasticæ. Alij denique ipsum seruum Dei, christiani Pontificis Ideam, mirandæ virtutis virum, cui paucos pares sua, & nostra tulit ætas, tùm doctrina, tùm sanctimonia vitæ. Atque hæc quidem illi & plura alij.

Nunc verò si omnes Maximorum Pontificum, Gregorij XIII, Sixti V. Gregorij XIV. Innocentij IX. & Clementis VIII. Si Montalti, Matthæi, & fortassis etiam aliorum Cardinalium, & illius purpurati Præsulis, quem Breuiarium, & Rosarium illi dono misisse diximus, ad Thuribium scriptæ litteræ nobis suppeterent; non exiguas ipsius laudes suppeditarent. Nam cùm omnes illi multis fauoribus, & gratijs eùm impertijssent, id sine meritorum expressione non fecisse, ratio, & consuetudo suadent. Nihilominus tamen quanta eximij viri adhuc viuentis æstimatio, & amor apud ipsos Ponti-

tifi-

tifices, & curiam Romanam fuerit, ex paucis, quę supersunt, tanquàm ex vngue Leo facile iudicari poterit. Sed quoniam hæc ipsa integro capite satis exposuimus, vt & quanti ipsum Catholicus Rex Philippus II. Hispaniaque tota fecisset, eadem hic repetenda non sensui.

Id verò minimè ommittendum existimo, vt qui non sibi tantum, sed propinquis etiam benè velint, boni ipsi esse studeant, aduertentes, hanc Thuribij virtutem, & famam non ipsi soli, sed propinquis etiam profuisse: Nam vt non resumam, quæ priùs narraui, fauores, & indulta priuilegia, ipsius ad Indos nauigaturi familiaribus, & asseclis, solo Archiepiscopi intuitu concessa; & vel mancipijs ad gratiam satis fuisse, quòd Sancto Archiepiscopo Mogrouejo aliquandiù seruijssent: prætereà ipsius sororis coniux Franciscus Quiñionius, per se alioquin dignissimus, Thuribij affinis contemplatione, Limanæ vrbis Prætor, ac deinde Chilensis Regni Gubernator, & supremus militię Dux, creatus est. Ipsius quoque filius doctor Ludouicus Quiñiones Lima Madritum appulsus, Thuribij Nepotis præcipuo nomine, nobilis equestris Ordinis Calatrauæ insigne, & Quitensis Præfecturæ Auditoris Regij honorificum, & vtile munus, à Philippo III. Rege lubente, & aduentui eius aggratulante, accepit. Atque in primo eius in Regiam ingressu, cum Duci Lermensi se sisteret, per cuius manus omnes Regij fauores tunc dispensabantur:

ac Dux intellexisset eum Thuribij sororis filium fuisse, sic eum affatus est; si personæ tuæ & optimorum Parentum merita defuissent, solo Auunculi nomine mihi gratissimus es, cuius Sanctimoniæ famam satis perspectam habeo; adeòque certò tibi persuadeas velim, nihil in me esse, quod eo nomine tibi præstò futurum non sit, accepitque Ludouicus quod voluit.

Grimanesa quoque B. Archiepiscopi sorore, et Ludouici matre anno 1635. defuncta, in solemnibus eius exequijs, in Ecclesia Metropolitana Limensi, funebrem sermonem habuit Bartholomæus de Benauides, eiusdem Ecclesiæ Archidiaconus, Episcopus Guaxacanus; in quo non paruam partem laudum matronæ cæteroqui laudatissimæ, à Thuribii fratris contubernio, et fideli domus administratione, ac tot tantorumque ipsius operum cooperatione desumpsit, vbi inter cætera: Quòd si quisquam me reprehendat, quòd in Sancti Archiepiscopi laudes me diffundam: certè non dixerit materiam à proposito alienam esse: quoniam quantumlibet de Apostolico hoc viro dicam, totum in germanæ sororis eius gloriam redundat, cuius nunc funus prosequimur: Et eam vocat nouam Mariam sororem illius diuini Moysis Thuribij Mogroueji, à Deo & hominibus dilecti: ipsiusque sanctam cum Thuribio Fratre de Eleemosynis concertationem, cum simili S. Hieronymi & Paulæ Romanæ, comparat; & subinfert: quàm sanc-

tam

tam Dominam oportuit esse illam sororem, quæ talem Fratrem admonebat? quàm talem Fratrem, qui sororis monita humiliter, & reuerenter audiebat. Tùm vnum aliquem Thuribij pronepotem alloquens, qui tunc Limæ præsens, & postea ibidem Archiepiscopus fuit, (forte Villagomesium): sufficiebat te nepotem esse illius Sancti Præsulis nostri, vt te talem exciperemus. Perge igitur Illustrissime D. & ingredere in selecta illa sepulchra Præsulum, & Præbendariorum huius Sanctæ Ecclesiæ, atque in eis colloca mortales exuuias sanctę Materteræ tuæ, vt simul cum reliquijs sancti fratris sui, tuique magni Auunculi gloriosæ reuiuiscant.

In his verò Thuribij virtutem extollit, quod in tabulis Romæ impressis, & authoritate sacræ Congregationis Rituum Ecclesiasticorum diuulgatis reperio. Vbi multi iurati testes in eundem sensum Num. 68.
loquuntur; sed vnius tantum propria verba huc transferre sufficiat, sunt autem ista: Quod sciat ex eo quod viderit, & generaliter dici audierit, dictum seruum Dei amasse maximoperè paupertatem euangelicam, contemnendo omnes res temporales: quapropter nec suis, neque propinquorum rum commodis diuitias vel honores vnquàm applicuit: immo nunquàm voluit, quamuis meritorum titulo posset, officia vel prouentus pro ipsis petere: Et quòd ipsius propinqui hoc eius propositum, determinatamque voluntatem scientes,

nunquàm illi de rebus eiusmodi loqui ausi sunt: vt iam clariùs constet honores, & emolumenta quæ adepti sunt, non ipsius interposito studio, vel rogatu: sed sola virtutum, & sanctitatis eius æstimatione, & fama concessa ipsis fuisse. Beatus Vir, beatior vita, beatissima virtus, quæ tantam etiam ab hominibus in terris æstimationem, beneuolentiam, & gloriam commeruerunt: sed nunc ad ipsius in Cœlis Angelorum consortium, & æternæ felicitatis gloriam explicandam transeamus.

CAPVT LVI.

Circa Thuribij apotheosin, quid Limæ, quid Romæ actum vsque ab obtentas Apostolicas remissorias.

ARchiepiscopi Mogroueji vita immaculata, multiplex, & heroica virtus, Apostolici labores, ac viuentis mortuique continuata miracula, aliaque ipsius beneficia omnibus æquè proficua, & manifesta, non poterant non ciere cunctorum animos; quo vehementer cuperent, vt, quem sanctis veteris Ecclesiæ Præsulibus parem ipsi piè credebant, is per sedis Apostolicæ solemnem sententiam in eorumdem consortium ad Cœlos assumptus pronunciaretur: vt quem priuata pietate tanquàm amicum Dei, æterna felicitate donatum venera-

nerabantur, & cuius palmaris patrocinij influxum ſentiebant: id publico cultu ex Eccleſiæ ritibus teſtari poſſent: & acceptę beneficentię vices ita rependere, vt ſperatam deincèps fidentiùs implorarent. Ad gloriam amnipotentis Dei, qui tales ſeruos in ſingula ſecula ſibi referuat, & oportunè producit. Ad Catholicę fidei propagationem, quę tales habere ſolet Doctores & profeſſores. Ad exaltationem Sanctæ Matris Eccleſię, cui nunquàm deſunt tam ſancti filij, & fideles miniſtri. Ad ſolatium Regnorum Hiſpanię, quę tales gignit, & nutrit fœtus; & *P*eruuię quibus in fine ſeculorum contigit felicitas tanti paſtoris.

Ad honorem trium religioſorum Ordinum, quorum vnuſquiſque Thuribium fratrem ſuum nuncupare poteſt: In vita enim Dominicanus fuit verbi Dei perpetuo prędicandi ſtudio: Franciſcanus arctiſſimo rerum inter opes vſu, pœnitentis vitę rigore; vt aliquando ſanctè gloriaretur, ſe Franciſcanę profeſſioni idoneum fore; vt qui pecunias nunquàm geſtaret, nè quidem ex imagine vel notis dignoſceret. Auguſtinianus demùm, quantum ſtatus dignitaſque permittebant, eremitico receſſu, & perpetuo exercitio contemplationis; tanto in omnes tres affectu, et pietate, vt qui ipſius itineribus glaciem frigerunt, ipſius laboribus materiam diſpoſuerunt, ipſiuſque triumphis trophęa prępo-rauerant; ſic eorum opera, dùm vixit frequenter vſus eſt, et moriens tandèm per teſtamenti tabulas

con-

constituit, vt corpus suum omnium trium simul religiosis vestibus indutum, (vt factum est) sepulturę traderetur. Ad exemplum Ecclesiasticorum Presulum, qui cunctas perfecti Antistitis virtutes in Beato Thuribio, tanquàm in speculo contemplari possunt. Ac demùm ad Christiani populi totius edificationem, qui in eius vita, et actis clarè conspicit, Iugum Christi suaue esse, nec vllam Christianę perfectionis exercitationem, in vllo statu vel ętate volenti, et conanti, cum Dei gratia difficilem fore.

Itàq. tàm sancti et salubris negotij pondus, amore sponsali, filiali reuerentia, grato affectu, et sacri pignoris possessorio iure, in se vnam suscepit Ecclesia Metropolitana Limensis: Atque crescente indiès fama virtutum, et sanctitatis, atque crebrescentibus miraculis dilectissimi sponsi, amantissimi Patris, et largissimi sui benefactoris Thuribij, nè ipsius magnalium notitia diuturnitate temporis, per hominum ora olim euanesceret, et, morientibus illis, qui proprijs oculis res viderant, et manibus contractarant, non extaret eorum authenticum, certumque documentum. Anno Christi 1631. et à Beati viri morte 25. die 15. Maij. Decanus et Capitulares Ecclesię eiusdem, libellum supplicem obtulerunt Illustrissimo D. Ferdinando Arias de vguarte, tunc Archiepiscopo Limano, porrectis etiam nouem articulis interrogatorijs postulantes, vt idem Archiepiscopus testibus, qui producerentur

tur, ſecundum articulos legitimè interrogatis & auditis, eorum teſtimonia, ſeruatis quę iura præſcribunt, ordinaria authoritate ſua in publicas tabulas redigeret, quæ ad proſequendam in Curia Romana cauſam Beatificationis, & Canonizationis ſerui Dei Thuribij Apoſtolicæ Sedi, & Sacræ Congregationi Eccleſiaſticorum Rituum præſentari poſſent.

Ferdinandus Archiepiſcopus, tunc accinctus itineri diœceſanæ viſitationis, rem agendam Iudici à ſe delegato, cum facultate alios ſubdelegandi, commiſit Doctori Ioanni de Cabrera, Eccleſiæ Metropolitanæ Limenſis Theſaurario. Cabrera igitur, deſignato ad eam cauſam Notario Licentiato Didaco de Morales, & citato Eccleſiaſtici Archiepiſcopalis fori fiſci *Præfecto*, Ioanne Ximenio Dominguez Presbitero, & expeditis extra Limam commiſſionibus ad ſubdelegatos Iudices in Oppidis Saña, Lambayeque, Truxillo, Santa, Sechim, Merauia, Arnedo, alijſque locis Prouinciarum Guaylæ, Conchuchi, Caxatambi, cæteriſque pro Iuris diſpoſitione ſeruatis, ipſe in vrbe Lima examinauit Teſtes ſeptuaginta tres. Alij verò Iudices Commiſſarij extra vrbem viginti ſeptem, omnes centum; quos Antonius de Leone Pinellus expreſſis nominibus, & cuiuſque qualitatibus in Thuribij vita ex ipſis actis recenſet.

Ex ijs autem omnibus confectus Limæ integer proceſſus Romam miſſus eſt, cum poſtulatorijs litteris,

teris, quas instantias vocant, à Capitulo, Clero, & populo Limano ad rem necessarijs, quibus Philippus IV, Catholicus Rex suas etiam adiunxit, in supremo Madritensi Indiarum Senatu datas die 7. Octobris anno 1633. alijs tunc ab eodem Rege scriptis ad Cardinalem Borgiam, vt Regiæ Maiestatis nomine rei perficiendæ assisteret, instaretque, vt, quod in litteris petebatur, Vrb. *VIII.* Pontifex, visis, & ritè discussis tabulis illis Ordinarij Limensis authoritate confectis, velit expedire litteras remissoriales, & compulsoriales, quarum Apostolica authoritate, per Iudices à sua sanctitate designandos, testes tùm illi qui in priori instrumento auditi fuerunt, tùm alij, qui producerentur, denuò examinari possent, & exhiberentur scripturæ omnes, & impressa scriptorum testimonia, ad integram causæ cognitionem conducentia.

Per hanc diligentiam, præmissis actis necessarijs, causa quidem in sacram Rituum Congregationem intruducta fuit, nominato Relatore (quem Ponentem vocant) Cardinale Sabellio, qui de Ordinarij processus validitate in Congregatione referret, & quid inde ad remissorias ab Apostolica Sede ad partes obtinendas resultaret. Tùm etiàm Alexander Massonius Vrbani Pontificis Cruciger, & in Sacra Congregatione Aduocatus, acta Limana in formam informationis summariè congessit, & in typographia R. C. Apostolicæ latinè excudi pro more curauit: in qua inter alia affirmat: Ex magno

nu-

numero iuratorum teſtium in actis Ordinarij Limenſis authoritate compilatis, pleniſſimè conſtare, non ſolùm in genere, ſed etiam in ſpecie, quòd Archiepiſcopus Thuribius Alfonſus Mogrouejus erat in gradu heroico plenus omnibus virtutibus, quæ ſunt neceſſariæ ad conſtituendum hominem ſanctum: deindè peculiares eius virtutes, cæleſtia dona à Spiritu Sancto illi collata, & miracula ijs teſtibus probata proſequitur.

Nihilominùs tamen remiſſorialium litterarum expeditio in longum dilata fuit, obſtabant enim Sacræ Inquiſitionis Romanæ decreta de Sanctorum Canonizatione anno 1625. edita, & alia per Breue Apoſtolicum Vrbani Pontificis euulgata anno 1634. & Limæ forſitàn cùm acta ibidem conficerentur, incognita. In eis enim inter cætera ſancitum fuit, nè vllius perſonæ cum ſanctitatis fama defunctæ Apotheoſis cauſa in Sacram Congregationem introduceretur, vel iam introducta continuaretur, quin proceſſus ab ordinarijs propria ipſorum auctoritate confecti, clauſi, & ſigillati, ad eandem Congregationem venirent, & niſi per peculiarem proceſſum conſtaret, nullum publicum cultum illi perſonæ exhiberi, abſque licentia Sedis Apoſtolicæ. Quæ duo cùm defuiſſent in primis illis tabulis Ordinarij Limenſis, primum decretum Sacræ Congregationis in Thuribij cauſa fuit die 9, Decembris anno 1634 vt ſeruarentur decreta ſuper Canonizationibus edita.

Necessarium ergo fuit vt processus iterùm Limæ compilarentur, adiuncto illo de non cultu, & mitterentur in forma probante. Quod dùm fieret, multis propositis dubijs, multa alia Sacræ Congregationis interlocutoria decreta expedita fuerunt, & renouatæ ad Vrbanum Regis instantiæ secundis litteris 22. Decembris anno 1636. datis; & anno 1645. die 2. Martij, in Consistorio Pontificio, in quo Innocentius X. qui anno superiori successit Vrbano, Cardinalitium galerum concessit Eminentissimis DD. Cardinalibus Cecchino, Ludouisio, Cencio, Iustiniano, Cibo, & Odeschalco, nunc Innocentio XI. Pontifici; Iosephus Hortensius de Rubeis, Aduocatus consistorialis, latinam orationem habuit, in qua expositis Thuribij Sanctitatis argumentis, nomine Philippi IV. Catholici Regis, & Cleri populique Limensis institit, vt in causa venerab. serui Dei Thuribij Alfonsi Mogroueji Archiepiscopi Ciuitatis Regum in India, sua Santitas vlteriùs procedi iubere dignaretur.

Sed cùm per varias dilationes nihil obtinuisset, Rex Philippus tertias suas litteras anno 1648. die 1. Februarij dedit ad Innocentium, & alias ad Comitem Oñatensem, tùnc suum in vrbe Oratorem. A quo fortassis de negotij statu doctus, alias eodem anno 25. Iulij dedit ad Archiepiscopum Limanum, tunc Petrum Villagomezium, in quibus relato quid eousque Romæ in causa Thuribij actum esset, monuit etiam opus fore, vt Procurator aliquis, seu Postu-

Postulator Beatificitionis serui Dei constituatur in Curia Romana, qui causæ expeditionem sedulò præsens vrgeat.

Itaque tabulis Ordinarij Limensis, in authenticam formam denuò redactis, seruatis omnibus, quæ, iuxta Vrbani VIII. decreta Sacra Congregatio seruari iussit, Ecclesiæ Metropolitanæ Limensis Capitulares designarunt virum, quem tanto negotio Romæ promouendo idoneum censuerunt Ioannem Franciscum de Valladolid, ciuem Limanum, & eiusdem tùnc Ecclesiæ Metropolitanæ præbendarium. Eique nouos illos processus tradiderunt, cùm facultate sufficienti & opportuna causam totam in Regia Madritensi, & Romana Curia prosequendi; & cùm postulatorijs litteris Archiepiscopi, Capituli, & Cleri, omniumque *Præsulum*, Religionum, Accademię & Collegiorum Regni, & Ciuitatis Regum, alijsque *Proregis*, & secularis Magistratus.

Ioan: Franciscus cùm hoc apparatu per longum integri anni, & mari terraque periculosum iter, Madritum tandem incolumis appulit die 18. Mensis Augusti anno 1652, atque imprimis B. Thuribij vitam per Antonium à Leone Pinellum, supremi Senatus Indiarum, & Regiæ Cameræ Relatorem Hispanè conscribi fecit, ac typis edi curauit: Quam deindè eiusdem Ioan: Francisci impulsu auxit, & Italico stylo Romæ edidit Michael Angelus Lapius, subpromotor fidei, & in SS. Rituum Con-

gregatione Aduocatus. Madriti verò mox idem Ioan. Franciſcus poſtulatoriarum litterarum ingentem copiam ex Caſtellæ Legionis, alijſque Hiſpaniarum Regnis ad Innocentium X. Pontificem corrogauit: Imprimis *P*hilippi IV. Regis, ſeruorum Dei deuoti in terris patroni, duas 21. Ianuarij, & duodeuigeſimo Auguſti datas, anno 1653. Cardinalis item *S*andoualij, multorumque Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Cathedralium, Capitulorum, Magiſtratuum, Ciuitatumque Cleri & Populi, Religioſorum Ordinum, Academiarum, peculiarium Cænobiorum, & Collegiorum. Quas aliquas Lapius in Italica Thuribij vita integras deſcripſit: alias autem per Authorum, annorum, ac dierum anacephaleoſim recenſet; Quæ ſanè vel ſolæ ad cognoſcendum Thuribij meritorum & ſanctitatis famam ſufficerent, ſi Iura magis legalem probationem non exegiſſent. Id etiam Ioanni Franciſco Madriti fauſtum fuit, quòd cum Illuſtriſſimo D. *I*ulio Roſpiglioſo, tunc Sedis Apoſtolicæ Nuntio, conſuetudinem contraxerit: qui poſt duodecim circiter annos *P*ontificiæ in ea Curia laudatæ legationis in vrbem vocatus, ac deindè, ab Alexandro VII. *I*nnocentij X. in Petri Cathedra proximo ſucceſſore, in negotijs ſtatuum à ſecretis aſſumptus & Cardinalis creatus, atque inter purpuratos ſacrorum Rituum *I*udices conſcriptus, eundem Alexandrum *P*ontificem de Thuribij meritis, & ipſius Ioannis Franciſci bonis dotibus inſtruxit: ac ipſe

poſt-

postmodùm Alexandro in Pontificatu succedens, Thuribij causæ semper deinceps fauit.

Romam appulit *Ioan*. Franciscus de Valladolid 18. die Mensis Nouembris anno 1653. & legatione sua *Innocentio* Pontifici præsentata, ab eo imprimis obtinuit, vt *Causa* Thuribij in Sacra *Congregatione* resumeretur: à qua eodem anno, die verò sexta Decembris assequutus est, vt defuncto *Cardinali* Polo, vltimo tunc causæ ad *Congegationem* Relatore, substitutus fuerit *Cardinalis* *Costagutus*. Anno verò sequenti, die 10. *Ianuarij*, vt seruatis seruandis iuxta formam decretorum Vrbani *VIII*. aperiretur processus peculiaris super cultu Thuribio non exhibito. Die quoquè 28. Martij, vt aperirentur processus duo, authoritate Ordinarij Limensis de Thuribij sanctitate, virtutibus, & miraculis compilati, & Sacræ *Congregationi* clausi, & sigillati exhibiti fuerunt. Mox die 18. *Iulij* discusso processu peculiari non exhibiti cultus, & pronunciatis decretis Vrbanianis, Sacra *Congregatio* censuit his sufficienter satisfactum fuisse; adeòque posse ad vlteriora procedi; omnia proponente *Cardinale* *Costaguto*, & Pontifice singulis annuente.

Defuncto inter hæc *Innocentio* X. *Pontifici* successor in vaticanis comitijs datus est Fabius *Cardinalis* *Chisius*, dictus Alexander *VII*. anno 1655. die 7. id Aprilis, qui accedentis pro Thuribij re promouenda ad prima pedum oscula *Io*. Francisci religionem seria festiuitate laudasse per plurium ora fer-

fertur; promiſſo illi in id negotij omni ſuo iuſto fauore. Sed cùm tabulæ Ordinarij Limenſis, quas Poſtulator Hiſpanica lingua confectas attulerat, in aliam intereà verterentur, vt ab omnibus, quorum intererat, melius intelligi poſſent: Franciſcus Romæ oportunè repertis viris *Peruuianis*, quibus tum inſtabat in *Patriam* reditus; occaſionem per frontem arripuit, obtinuitque Alexandri Pont. peculiari fauore, vt illorum hominum teſtificationes in genere, vt vocant, ſuper fama ſanctitatis ſerui Dei Thuribij Mogroueji, coram Eminentiſs. Card. *Ponente*, ritè exceptæ in publicas tabulas referrentur. Quod factum cauſæ celeriùs promouendæ non parum conduxit: cùm enim die 7. Septembris referente *Card.* Sacchetto S. *Congregationis* Præfecto eam gratiam conceſſiſſet *Pontifex*, mox die 2. Octobris S. Congregatio, firmato, quòd in ea cauſa ſufficienter paritum fuiſſet Vrbani decretis de non cultu, ideòque ad vlteriora procedi poſſet: decreuit vt priuſquam deueniatur ad inquiſitionem ſpecificam, conſtare debeat de fama ſanctitatis, virtutum, & miraculorum in genere. Quapropter *Cardinalis Coſtagutus Relator*, in conceſſu proximè celebrato coràm ſanctiſſimo petijt remiſſorias in genere, & *Pontifex* de Fratrum conſilio annuit. Ac deindè die 9. eiuſdem menſis deputatus eſt *Cardinalis* Genettus, *Pontificius* in Vrbe Vicarius, ad ſumendas probationes famæ, ſanctitatis, virtutum & miraculorum in genere.

Anno

Anno itaque 1656. 29. Ianuarij processus ille nuper in Curia de santitatis, virtutum, & miraculorum Thuribij fama compilatus, citato fidei Promotore, vt eum aperiat, commissus est, & Alexander Pontifex in congressu habito die 28. Martij de Fratrum consilio declarauit constare de eius validitate, & concludenter probari famam sanctitatis virtutum, & miraculorum Thuribij in genere: ob idque petitas remissoriales ad sumendas probationes in specie concedi mandauit. Eas verò die 8. Aprilis eiusdem anni, Sacra Congregatio censuit, quoad ciuitatem, vniuersamque Prouinciam Limanam dirigendas esse Archiepiscopo Ordinario, Decano, Archidiacono, Cantori, Magistro scholæ, Thesaurario, & quatuor Canonicis senioribus eiusdem Ecclesiæ Metropolitanæ; ita videlicet, vt dictus Archiepiscopus cum duobus ad minùs ex dignitarijs vel canonicis prædictis coniunctim procedat; exceptis casibus mortis, infirmitatis, vel malæ valetudinis eiusdem Archiepiscopi, quibus casibus tres ad minus ex prædictis coniunctim procedant; idque intra terminum quinquennij impleant: quo elapso, iurisdictione, & facultate huiusmodi penitùs careant.

Verùm cùm Apostolicarum remissorialium per tot annorum laborem obtentarum executio Limę lentiùs procederet; anno tandem 1660. die 28. Februarij instante Francisco Postulatore, & proponente Relatore Costaguto, terminus temporis in

supe-

ſuperiori decreto reſtrictus, ad alterum quinquennium prorogatus eſt, & eodem anno die........ declaratum fuit remiſſorias in ſuperiori decreto conceſſas, non ad perſonas particulares: ſed ad illorum munia pro tempore gerentes quoſcumque directas fuiſſe, ita vt non tantum Archiepiſcopo, dignitarijs, vel Canonicis, tùm viuentibus, ſed eorum etiam in eiſdem muneribus intra præſcriptum, & prorogatum, vt ſupra, temporis terminum ſucceſſoribus ſuffragarentur. Anno ſequenti defuncto nuper Cardinali Coſtaguto, huius cauſę Relatori ſubſtitutus eſt Eminentiſs. Cardinalis Flauius Chiſius Alexandri VII. Pont. ex Fratre Nepos, die 15. *I*anuarij, qui Thuribij Apotheoſim adhuc ſedulò promouet, quamquam a die 8. Aprilis anni 1*656* quo expeditę ſunt litteræ remiſſorię, vſque ad decimum Aprilis 1*666*. per totum decennium, nihil aliud per Sacram Congregationem decerni potuit; dùm proceſſus Limani, per eandem remiſſorialium Apoſtolicarum authoritatem compilandi, ad Curiam mitterentur.

CAPVT LVII.

Poſt obtentas remiſſorias, quid vtrobique actum vſque ad ſolemnitatem Beatificationis?

MOdò, quid intereà Limę actum ſit, ex relatione ſummaria Archiepiſcopi Villagomezij

zij lingua hiſpanica Limæ typis edita breuiſſimè referre ad hiſtoriæ noſtræ integritatem facit. Itaq; remiſſorias illas, quas anno 1656. Romæ datas diximus, Limam allatas, Procuratores Decani & Capituli Metropolitani, die 3. menſis Nouembris anno 1658. clauſas & ſigillatas Archiepiſcopo præſentarunt, per alium libellum poſtulantes; vt conuocatis ijs, quorum intererat ad executionem procederetur: ijſque per Archiepiſcopum exteriùs cognitis, per eius mandatum, ſeruatis ijs, quæ Iura requirunt; certo die & loco conuenerant cùm ipſo Archiepiſcopo Dignitarij omnes, & Canonici in litterarum inſcriptionibus, vt ſupra, nominati, & conſidentes in certo loco *Palatij* Metropolitani, vbi Archiepiſcopus tribunal conſtituit, priores litteræ remiſſoriæ ad Archiepiſcopum, dignitarios, & Canonicos directæ, ſeruatis ſeruandis apertæ fuerunt. Per varias deinde ſeſſiones, electi fuerunt omnes tribunalis officiales, & Miniſtri, propoſito ſingulis iuramento fidelis exercitij ſui cuiuſq; muneris; citatiſque Fiſcale Eccleſiaſtico Archiepiſcopi, & Subpromotore fidei, à Iudicibus iuxta remiſſorialium tenorem nominato, aliæ litteræ ad hos ſeorſim directæ, inſcriptione & ſigillo priùs ritè recognitis, ipſis apertæ fuerunt, cæteraque ad ſtabiliendum legitimum tribunal, & cauſam proſequendam diſpoſita.

Hinc die primo Februarij 1659. Procurator Capituli præſentauit libellum, in eoque productos

testes quosdam, citatis Fiscali, & Subpromotore fidei, ad propositum effectum ritè examinandos, quo accepto, dictaque die, in qua res inchoanda foret, iam per ora passim volabat, Apostolicas litteras tam diu desideratissimas apparuisse (quas ipsi rotulum vocant,) & paulò minori omnium lætitia, & exultatione exceptę fuerunt, quàm si Beatificationis ipsum diploma recepissent. Illuxit tandèm dies, qua ignis priuatæ Peruuianorum erga Thuribium religionis, eo vsque in ipsorum pectoribus, tanquàm cinere fotus, & per Apostolicæ sedis sancita cohibitus, per eiusdem sanctæ Sedis authoritatem in legitimæ testificationis flammas erumpere posset, & inchoārentur iuridicæ probationes puritatis vitæ, heroicarum virtutum, & insignium miraculorum ipsius: ex quo prouenturum non dubitabant, vt eum quantociùs, ipsorum communi æstimatione, promerito sanctitatis honore, & publico cultu prosequi, per eiusdem Sedis Apostolicæ sententiam, ipsiusque patrocinium palàm inuocare possent.

Cordium iubilum in vultibus videre fuit, & currebant passim ex oculis teneræ pietatis lachrymæ, ac serui Dei, & Sancti Archiepiscopi Magnalium commemorationes tota Ciuitas, Regnumque *Peruuię* personabant; nec frequentior vox audiebatur, quàm encomiastica sanctitatis, virtutum, & miraculorum ipsius: quæ multo ampliora hac occasione in Villagomezij Archiepiscopi edita relatione de-

deſcribuntur, quàm nos in morte Thuribij, vel corporis eius translatione notatam narrauimus. Nec defuit in eodem actu Cœlorum conſonantia, per noua miracula iam à nobis ante relata, quę veterum famam vbique renouabant. Feſti ignes, & luminaria per vicos & plateas omnes accenſa, vt nox in diem verſa videretur.

Archiepiſcopus Dei negotium à diuinis inchoandum cenſens, obtulit ipſe ſequenti mane ſolemne ſacrificium, & grates publicæ Deo actæ fuerunt, ob tantum Apoſtolicæ benignitatis fauorem, tanta populi frequentia, vt Metropolitanum templum alioquin ſpatio amplum, tunc pro interuenientium pręſſura nimis anguſtum cenſeretur: Multus & grauis erat concurſus, *Prorex* Peruuiæ cùm ſuo Comitatu, Regius, Ciuicuſque ſenatus, Eccleſię Metropolitanæ Capitulum, Senatus Academicus cum Collegijs, & Seminarijs ſtudiorum, magna nobilium virorum caterua, reliquique populi omnis conditionis plurima turba; Tùm inſtitutus ſolemnis equitatus, in quo Pontificiæ litterę deuoto ſplendore per forum maximum, cui templum imminet, elatæ fuerunt, ac ſic omnibus promulgatæ.

Ad Tribunal tandem, loco, & hora præſignatis ventum eſt, in quo, vt ſemel dicam, is erat perpetuus procedendi ſtylus vt ſedentibus pro tribunali Iudicibus Apoſtolicis, Procurator Capituli Metropolitani poduceret in albo Teſtium exami-

nandorum nomina, adnotatis cuiusque qualitatibus & conditionibus in eisdem lege requisitis: quibus perspectis per Iudices acceptabantur, nè in actu examinis, vel deinceps exceptio aliqua causæ progressum interturbare posset. Postea citabantur Fiscalis, & Subpromotor fidei, vt si quid aduersum haberent, exponerent; ijsque nihil se opponendum habere respondentibus, testis adesse iubebatur: Mox aperiebantur interrogatoria Subpromotoris fidei, & aliæ sacrę Rituum Congregationis, quæ ad testium examen pertinebant: quę postquàm coràm teste declarata fuissent, iterùm in aliam occasionem claudebantur. Iuramentum autem sic testibus prętandum dabatur, vt idem quisque testis tùm initio integri examinis, tùm quotiès interpolatum fuisset, in eius prosecutione denuò iurare deberent. Atque hęc forma in toto cursu causę, cùm Limę, tùm foris obseruata fuit, seruatis reliquis iudicij solemnitatibus, quas leges, & Sacra Congregatio Romana seruandas pręscribunt.

Hac ergo ratione, & perpetuo procedendi modo, & virtute remissorialium Apostolicarum, ac secutę prorogationis alterius quinquennij, examinati sunt Limę, & in tota Prouincia testes numero plurimi, 281. circiter, & pro maxima parte, dignitatibus Ecclesiasticis, doctrina, & pietate rerumque experientia conspicui, & graues, eorumque multi per intimam, diuturnamque consuetudinem ipsi seruo Dei quondam familiares. Ex omnium

de-

depositionibus nouem volumina chartę hispanicę in folio compacta sunt, & charta Pergamena contecta. Deinde cum debitis solemnitatibus, & requisitis actis clausa, & Iudicum sigillis munita ad Curiam Romanam missa sunt. In ijs verò continebantur integri processus vitę sanctitatis, virtutum & miraculorum Thuribij in specie, ad causam Beatificationis, & Canonizationis ipsius in Sacra Congregatione prosequendam necessarij, & opportuni.

Acceptę Romę hę tabulę Limenses, authoritate Apostolica compilatę, anno 1666. eiusdem anni die decima Aprilis clausę, & sigillatę, vt erant, in Sac. Rituum Congregatione per eiusdem tabellionem exhibitę fuerunt, & in eodem consessu coram Eminentissimis *P*rępositis, assistentibus D. Ghinio *P*rothonotario Apostolico, & D. de Rubeis fidei Promotore, facta priùs recognitione ad extra, ab eodem Tabellione apertę sunt, eidemque restitutę ad effectum procedendi ad vlteriora in causa, ad formam decretorum S. M. Vrbani VIII. Tùm ceteris priùs ritè peractis die 26. Iunij Sacra *C*ongregatio censuit committi posse Eminentiss. Chisio Relatori, vt videat nonnulla opera dicti serui Dei Thuribij, & in Congregatione referat, vt cognoscatur, an secundum decreta Vrbani possit vlteriùs in causa procedi; Et auditis Consultoribus, quorum censuras in limine Limę limatę integras dedimus, eodem anno, die 18. Septemb. *E*minentiss. Cardinalis de Ilcio, loco tunc impediti *C*ardinalis

Chi-

Chisij retulit, & S. Congregatio conformiter censuit, deducta ex scriptis à dicto seruo Dei in nouissimo processu remissoriali, & compulsoriali Limamano nihil contineri quod valeat impedire processum ad vlteriora in eius causa.

Quia tamèn, vt loco iam indicato præmonui, non omnia Beati Viri scripta opera in eis processibus intregrè conscripta fuerant, id quoque in eodem consessu cautum est; vt reliqua, si quæ superessent, ante causæ expeditionem integra deferantur, vt omnes Synodi Limanæ, & alia Concilia Prouincialia post primum anni 1583. iam delatum, à Thuribio celebrata per Sacram Congregationem reuideantur. Quapropter die 27. Nouembris S. Congregatio censuit, per litteras missiuas ipsius Congregationis committi posse Archiepiscopo Limano; Et, ipso impedito seu absente, alteri ex antiquioribus Dignitarijs, in actu præsentationis litterarum eiusmodi in humanis existentibus, vt Archiepiscopus seu Dignitarius, vt supra, transmittat ad vrbem Synodos, & Concilia, si quæ reperirentur ad effectum illa reuidendi iuxta resolutionem S. Congregationis sub die 18. Septembris, & Sanctissimi 21. Octob. proximè præteritorum. Quatenùs verò nihil inueniatur, rescribat Sacræ Congregationi, dictæque Epistolæ fides omnimoda adibeatur. Itaque Sanctiss. Domino huic resolutioni annuente. Cardinalis Ginettus, S. Congregationis *Præfectus* eas litteras expediuit: in quibus

re-

relato decreto diei 18. Septemb. eiusdem S. Congregationis ordinaria authoritate, annuente etiam Sanctiss. committitur Archiepiscopo, vt omnes & singulas Synodos, & Concilia prædicta clausa, & ipsius assistentiumque Iudicum sigillis munita ad ipsam Congregationem transmitti curet.

Interim verò Alexander Pontifex, quo affectu in Thuribij causæ progressum ferebatur, die prima Decembris ad relationem D. Casalij, Secretarij S. Congregationis, & enixis precibus Francisci de Valladolid Sacerdotis Limani Procuratoris specialiter constituti dicti V. S. Dei benigne inclinatus annuit, & concessit, vt pro citiori causæ diù agitatę expeditione, in Congregationibus ordinarijs per S. Rituum Præpositos habendis, cum interuentu etiam Consultorum proponi, & discuti possint merita dictæ causæ, & contentorum in processu vltimo loco fabricato in specie, super puritate vitę, virtutibus, & miraculis dicti serui Dei, & à moderno Archiepiscopo, alijsque Iudicibus deputatis transmisso, & in S. Congregat. exhibito, àc seruatis seruandis aperto: vtque etiam in generalibus coràm Sanctitate sua habendis ea causa præferatur omnibus vsque ad totalem illius expeditionem; derogando ad effectus prædictos, quatenùs opus sit, Decretis S. M. Vrbani VIII. in contrarium forsitan disponentibus. Posteà virtute huius concessionis, & speciali Indulto Alexandri Pontificis, die 18. eiusdem mensis, Proponente Cardinale Azzolino,

loco

loco Eminentiſs, Chiſij Relatoris, tùnc impediti, in Congregatione extraordinaria, Eminentiſſimi Præpoſiti, auditis etiam Conſultoribus, reſponderunt conſtare de validitate nouiſſimi proceſſus Limani remiſſorialis, & compulſorialis, in nouem partes diuiſi, teſteſque in eo ritè & rectè examinatos, & iura in eo producta, ritè compulſata fuiſſe.

Inter iſta anno 1667. die 22. menſis Maij diuturno morbo conſumptus obijt Alexander VII. & in ſolicitudine omnium Eccleſiarum ſucceſſit ipſi Iulius Cardinalis Roſpiglioſus, in Pontificatu dictus Clemens IX. Qui per diuturnam in minoribus conſtituti Hiſpanicam Apoſtolicæ Sedis legationem, & ea quæ deinceps factus Cardinalis in Curia Romana, & in ipſa S. Rituum Congregatione didicit, de Thuribij meritis abundè inſtructus, eius Apotheoſi addictus fuit, binum ſuum peculiarem fauorem eidem accelerandæ contribuit. Alterum cùm die 16. Iulij, ſui Pontificatus anno primo ad relationem dicti D. Secretarij S. Congregationis, & preces Io. Franciſci Valladolidij cauſæ Procuratoris, ſæpiùs nominati, benignè confirmauit decretum, & gratiam in eadem cauſa factam ſub die prima Decemb. proximè præteriti, per S. M Alexandrum VII. præceſſorem. Et vlteriùs conceſſit, vt in Congregatione ordinaria proponantur ſimul & ſemel, ac diſcutiantur virtutes tam theologicæ, quàm Cardinales dicti Ven. S. Dei cum interuentu

con-

consultorum: decretis S. M. Vrb. VIII. alijsque constitutionibus Apostolicis, & stylo S. Congregationis, & quibuscumque in contrarium non obstantibus.

Altera Clementis *IX.* specialis gratia fuit, cùm anno sequenti 1668. die vero 25. Maij, pro parte Io: Francisci Postulatoris ipsi expositum fuit, aliàs peractos fuisse nonnullos processus informatorios authoritate Ordinarij Limensis, tàm super asserta sanctitate vitæ, & virtutum, quàm super miraculis; tùm in vita, tùm post obitum, intercessione prædicti serui Dei patratis: & quæ postmodùm in nouissimo processu Limano constructo super inquisitione speciali, depositionibus plurium testium in eodem examinatorum de auditu, & publica voce & fama adminiculata dicuntur. Ideòque supplicauerit vt in discussione releuantiæ tùm virtutum, tùm etiam miraculorum, prædicti processus authoritate ordinarij, vt supra, confecti haberentur, ac si Apostolica authoritate peracti fuissent: cui petitioni idem *S*anctissimus benigne annuit, ac ita obseruari mandauit, non obstantibus Vrb. VIII. cæterisque quibuscumque in contrarium facientibus. Nec aliud sub Clementis IX. Pontificatu in ea caussa factum reperio. Obijt enim singularis innocentiæ, & Charitatis erga Pauperes nota clarus anno 1669. die 8. Decembris.

Anno verò sequenti 1670. die 29. Aprilis, *P*ontifiex electus est Emilius Bonauentura Cardinalis

Alterius, dictus Clemens X. qui non minus quàm alij Thuribij causam fouere visus est. Nàm cùm processus nouus compulsorialis virtute litterarum S. Congregationis, quas anno 1666. die 27. Nouemb. decretas, ac per Cardinalem Ginettum annuente Pontifice datas diximus, Limæ confectus, sub finem anni 1670. in vrbem allatus esset; Clemens X. Pontifex die 7. Ianuarij anni sequentis 1671. eum per S. Congregationis Prothonotarium absque alia recognitione sigillorum, vel alia solemnitate aperiri iussit. Dein insuper mandauit, vt Notarius ipsius Congregationis eum immediate in proprio originali, & proprio eodem idiomate, quo conscriptus reperiebatur, consignaret Promotori fidei, vt videat, & examinet, an in scripturis in eodem processu compulsatis, sit aliquid contra bonos mores, ad effectum postea de illis habendi approbationem à S. Congregatione. Tum etiam Teologi Consultores, iussu Cardinalis Chisij Relatoris, cui examen earundem scripturarum specialiter demandatum fuit, censuras suas, à nobis alibi editas addiderunt. Quæ postquàm facta fuissent, Sacra Congregatio die 13. proximè sequentis Iunij, ad eiusdem Cardinalis Chisij relationem censuit ad vlteriora in causa posse procedi. Et Clemens Pontifex die 20. eiusdem mensis referente Secretario S. Congregationis annuit.

2. Cùm hæc acta fuissent, & restaret proximum dubium, an constet de virtutibus Theologicis, &

car-

cardinalibus Thuribij, ad effectum de quo tunc agebatur? Io: Franciscus causæ *Procurator* informationem in forma iuris, ac totius processus breuiarium, quo ad vitam, & virtutes attinebat per Claudium Bouilaud causæ tunc patronum conscribi, & cum oppositionibus R. D Rubei *Promotoris* fidei, & responsionibus eiusdem Bouillaudi patroni, ac D. Bottinij Aduocati consistorialis, R. C. A. typis excudi pro more curauit.

Quæ omnia cùm in Congregatione generali Sacrorum Rituum coram Sanctissimo D. die 8. Martij anno 1672. proponente Cardinale Ghisio, ritè discussa fuissent, Sacra Congregatio vnanimi voto declarauit constare de virtutibus Theologalibus fidei, spei, & charitatis, & Cardinalibus prudentiæ, iustitię, fortitudinis, ac temperantiæ serui Dei Thuribij in gradu heroico.

Re huc usque deducta, ad obtinendum vltimum decretum Beatificationis Thuribij, restabat, vt eius miracula discuterentur, & ab eadem S. Congregatione, annuente Summo Pontifice approbata forent; Quamobrem Valladolidius causæ postulator, & procurator de eius terminatione sollicitus, curam commisit Frigidiano Castagnorio causæ patrono, vt quemadmodum alter de virtutibus, sic iste de miraculis, ex integris processibus conficeret facti iurisque informationem super dubio, an de illis constet? Castagnorius autem ex pluribus, quæ per testium examen in tabulis deducuntur,

elegit numerum, tùm Thuribij sanctitatis opinioni comprobandæ, tùm Beaificationi promouendæ sufficientem, in vita eius, & post obitum patratorum: quorum singulis historicè primùm narratis subiungit iura, ac dein integras attestantium depositiones; alijs centum ac decem miraculis per anacephaleosim in fine memoratis, & adiectis testium nominibus, & qualitatibus. Quæ Io. Franciscus typis cameralibus imprimi fecit, adiunctis, vt assolet, animaduersionibus D. Bottinij Promotoris fidei in singula illa à Castagnorio ponderata, cum responsionibus Iuris, imprimis ipsius Castagnorij patroni, ac deinde Federici Cacciæ S. Consistorij Aduocati, & Petri Gaddi Aduocati; atque alia Medicophisica Pauli Manfredi Medici Collegiati & publ. in Rom. Sapientia Professoris.

Dùm ista in Eminentissimorum Præpositorum, & Consultorum S. Congregationis manibus versarentur, & eorum, vt vocant, releuantia, seu vis in ipsa Congregatione discuteretur, Clementis X. Pontificis corporis infirmitas, ac deinde secuta mors, decreti expeditionem in longum protraxit, dùm Congregatio generalis coram Sanctissimo Domino habenda interim expectaretur. Mox anno 1676. die 21. Septemb. nouus Pontifex magno, vt speratur Ecclesiæ Dei bono electus est Benedictus Cardinalis Odescalcus, qui assumpto nomine Innocentio Papa XI. pro ardenti suo zelo, in hoc Pontificatus initio, maximarum rerum totius

Chris-

Christianitatis curis detentus, rei nostræ tam citò attendere non potens, in commodiùs tempus eam distulit; At anno tandem 1678. Congregationem in diem 20. mensis Decembris vocauit, in qua coràm sanctitate sua discussis Thuribij meritis concordi S. C. consulto id decretu fuit, quod Pontifex die 18. sequentis Iunij anno 1679. suo diplomate expressit cuius pars quæ ad historiæ nostræ complementum pertinet hæc est.

Cùm itaque confectis dudùm ex huius sanctæ Sedis Apostolicæ licentia processibus de vitæ sanctitate, hæroicisque virtutibus, quibus idem seruus Dei Thuribius multipliciter fulsisse, pijsque studijs quibus Catholicam fidem, Ecclesiasticamque disciplinam per sanctæ Synodi Tridentinæ decreta sancitam in noua illa christianitate stabiliuisse; ac miraculis, quæ ad manifestandam hominibus eius sanctitatem à Deo patrata fuisse asserebantur, Congregatio Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus præpositorum, post maturam, diligentemque illorum discussionem coram nobis constituta, auditis etiam Consultorum suffragijs, vno spiritu, vnaque voce censuerit, posse quandocùmque nobis placeret, ad solemnem ipsius serui Dei Thuribij canonizationem, iuxtà eiusdem S. R. E. ritum tutò deueniri, ac interim indulgeri, vt nuncupetur Beatus, & de eo tanquàm Confessore Pontifice officium recitetur, & sacrosanctum missæ sacrificium celebretur. Hinc est, quòd

quòd nos pijs, enixiſque precibus Chariſſimi in Chriſto filij noſtri Caroli Hiſpaniarum Regis Catholici, & chariſſimæ in Chriſto filiæ noſtræ Mariannæ Reginæ viduæ, eius genitricis, ac venerabilium fratrum Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, Cleri, vniuerſitatum, Collegiorum, & populorum tàm Hiſpaniarum, quàm Regni *Peruani* nobis ſuper hoc humiliter porrectis, paterna benignitate annuentes, de memoratorum Cardinalium vnanimi conſilio pariter, & aſſenſu, authoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus, vt idem ſeruus Dei Thuribius olim Archiepiſcopus Limanus, in poſterùm Beati nomine nuncupetur, eiuſque corpus, & reliquiæ venerationi fideliũ (non tamen in proceſſionibus circumferenda) exponantur, imagines quoque radijs, ſeu ſplendoribus exornentur, atque de eo ſub ritu ſemiduplici in omnibus Eccleſijs tàm ſæcularium, quam regularium vtriuſque ſexus recitetur officium, & Miſſa celebretur de Confeſſore Pontifice ſingulis annis iuxta rubricas Breuiarij, & Miſſalis Romani die 27. Aprilis, qua ipſius ſerui Dei corpus tranſlatum, & in Metropolitana Eccleſia Limana repoſitum fuit, cum ſpiritum Creatori reddiderit die 23. Martij, quę ferijs Quagrageſimæ, vel feſtis Paſchalibus impedita eſſe ſolet. Hæc autem videlicet recitationem officij & Miſſæ celebrationem fieri concedimus in locis dumtaxat infraſcriptis, nempe in Ciuitate, & Diœceſi Limana, vbi obijt, in Ciuitate Maiori-
cæ,

cæ, in qua natus est, & in Collegio Ouetensi nuncupato, vniuersitatis studij generalis Salamanticen. in quo humanis, diuinisque litteris imbutus fuit, & quantum ad Missas attinet, etiam à Sacerdotibus confluentibus. Præterea primo dumtaxat anno à datis hisce litteris, & quoad Indias, à die quo eædem litteræ illùc peruenerint, inchoando, in Ecclesijs Ciuitatum, & Diœcesis, ac Collegij præfatorum respectiuè solemnia Beatificationis eiusdem serui Dei cum officio, & Missa sub ritu dublici maiori die ab ordinarijs locorum respectiuè constituta, & intra sex menses promulganda, postquàm tamèn eadem solemnia in Basilica Principis Apostolorum de vrbe celebrata fuerint, pariter celebrandi facimus potestatem. Non obstantibus &c.

CAPVT LVIII.

Thuribij Alfonsi Mogrouejo Beatificatio solemnis.

VT Apostolicum Diploma superius descriptum solemnem promulgationem, & publicam executionem consequeretur, Innocentius Pontifex commisit ipsis Eminentissimis Iudicibus & ministris Congregationis Sacrorum Rituum; indicto rei peragendæ die secundo mensis Iulij, qui cæteroqui solemnis est Deiparæ Virgini Mariæ properanti in montana, ad visitandum Elizabeth.

Cu-

Cuius mysterij exemplum in perpetuis suis, laboriosissimis, ac discriminosis montanorum *I*ndorum visitationibus Thuribius sibi proponere consueuit, qui dies hoc anno incidit in Dominicam sextam post *P*entecosten.

*I*taque vt tanta festiuitas condigno splendore, & apparatus magnificentia, pro sacrorum rituum Ecclesiæ Romanæ graui consuetudine coleretur. Franciscus Valedolidius Limanus, Ecclesiæ Metropolitanæ Limensis *C*anonicus, Ecclesiastica dignitate Scholaris, ac totius causæ Apotheosis Archiepiscopi, pro eadem Ecclesia in Romana *C*uria solicitus, solers, & indefessus Procurator, de Pontificis voluntate, ac DD. *C*ardinalium promptitudinè monitus, ita lætus, & alacer pro concessi temporis breuitate cuncta disposuit, vt, seu ad admirationem magnificentiæ, siue ad pietatem commouendis affectibus opportunum nihil vltra desiderari posset.

Locus actioni destinatus erat immensa illa domus domini, templum Sancti *P*etri in Vaticano, quam, vt mole pariter, & opere, famigerato Salomonis templo æquiparare docti non dubitant; ita id superat sanctitate, quantum plena exhibitio mysterij, obscuris eius lineamentis prestat. Eius amplitudo per omnem dimensionem tanta est, vt intuentium oculis illudere videatur, dùm singularum partium vastitatem ita extenuat, vt immanes *C*olossi, in ea collocati, vel desuper impositi, non

nisi

nisi iustam ferè hominis magnitudinem ita oculis reddat, vt vlli non experto persuaderi non possit.

*P*opulum Romanum omnis ordinis, ætatis, & sexus, variarumque terrarum orbis nationum infinitam frequentiam per diuersas vias, qua pedi-tem, qua curribus concurrentem colligebat primùm area amplissima, seu atrium subdiale templi oualis formæ peristilio ab vtroque latere septum, quod quatuor ingentium columnarum ordines tribus fornicibus concamerati sustentant, plurimis Sanctorum statuis per gyrum superiùs coronatum: interiùs autem in tres parallelarum viarum cursus distinctum, per quas pedester præsertim populus, absque solis, aut pluuiæ molestijs, ad interiora Basilicæ peruenire potest: sed media exciepiendis etiam curribus apta est. *I*n medio atrij conspicitur vetus AEgypti spolium, celebris ille obeliscus à Sixto V. *P*ontifice erectus, qui etiam crucem, humanę redemptionis aram, in summo pyramidis positam piè venerantibus indulgentiam in secula permansuram concessit. Ad Obelisci latera cernuntur duo magnæ molis marmorei fontes, qui copiosissimam aquam placido murmure niuearum flammarum specie in aëra proijciunt, quæ in subiacentibus amplissimis conchis excepta vsui communi prostat.

At populus in templum ad sacram actionem per hanc aream properans, priusquàm interius Basilicæ vestibulum ingrederetur, in principe eius porta exteriore intuebatur appensam B.

Præsulis Thuribij efficiem; caput solaribus rabijs, adeptæ cœlestis gloriæ indicibus redimitum, in ouali tabula metallicis coloribus depictam, quam Sanctissimi *P. Innocentij XI.* Pont. & Catholici Regis insignia varijs coloribus depicta paulò inferiùs hinc atque indè stipabant: omnes tres tabulæ sericis fascibus ad symetriam pendentibus festiuiùs ornatæ. *In* lateralium autem portarum dextra, Limensis Metropolitanæ Ecclesiæ Capituli; in sinistra, eiusdem Ciuitatis Senatus insignia pendebant ad portarum proportionem paulò minora, simili ornatu, ingredientium aspectui in alto exposita

Hinc per interius vestibulum in templum ingressi cernebant altissimos mediæ nauis Basilicæ parietes à sublimi fornice vsque ad pauimentum holosericis auleis rubri coloris; (quæ vulgus Damasceni cremisini vocat) ad maiestatem ornatos; quibus addebant splendorem largi textilis auri fulgentes limbi, qui iustis interuallis à summo ad imum porrecti purpureum bombycinæ telę colorem, ad intuentium admirationem, & hilaritatem interstinguebant. Laterales transuersasque templi naues quamplures aræ, & sacella pro templi proportione, grandi marmorum, nobiliorumque lapidum structura, in qua materiam superabat opus, & pictarum tabularum, cæteroque apparatu splendidæ collustrarunt; in quorum singuli præter pendentium lampadum frequentiam, sex magni ponderis crassi, longique, & candidi, cerei proceris auri-

auricalchi candelabris impositi, toto solemnitatis tempore ardentes, totiès multiplicati videbantur, quotiès ipsi politi lapides, tanquàm tot specula refractas luminum species circumspicientium oculis obijciebant.

At verò per mediam Basilicam accedentium oculos præ cæteris in se rapiebant immanes duæ nouæ machinæ quæ augustam veteris Romæ maiestatem, si in tanto opere non superant, sed profectò adæquant; eo admirabiliùs, quo religiosiùs, & sanctiùs. Altera est altare confessionis, seu recentioris sepulchri Principis Apostolorum Petri, & Pauli Doctoris gentium, sub summi tholi apice in medio constitutum. Quod cùm Paulus V. Pont. varij coloris nobilissimis lapidibus à fundamentis exornasset, Vrbanus VIII. miri opificij magnificentissimo tabernaculo in altum extulit, erectis ad aræ angulos quatuor ingentibus columnis solidi æris cochleari circuitu fusis, in quo ab imo ad summum serpentium oliuæ ramorum, variarumque figurarum grauis aheneus color cum auri læto fulgore ad pulchritudinem, & maiestatem concertat. Imposuit prætereà ex eodem metallo stupendę faciliùs, quàm percipiendę molis, artis, & altitudinis coronatum conopeum, quod quatuor illę columnę per quatuor angulos supportant.

Altera machina in abside maxima seu interiore fronte Basilicę, priori è regione, recta linea longitudinis opposita, est altarę Cathedrę S. Petri, Alexan-

xandri VII. pietatis, & magnificentię monimentum; in quo nunquàm satis admirando opere; ara ipsa è vario politoque marmore magnę molis à fundamentis erecta est, ac desuper in alto collocata Cathedra Principis Apostolorũ, quam duo latini, duoque Gręci Ecclesię Doctores, totidem statuis immensę magnitudinis repręsentati, extensis palmis sustentant: supra Cathedram aperta est orbiculata fenestra, in cuius cryštallo spiritus S. Symbolum, columba depicta est, passis alis superuolans, è cuius circulari superficie prodeunt ardentes radij solares per operis reliqui interstitia longè latèque proiecti, omnia ex ęre fusa, & obriso auro densè oblinita

Ad hanc igitur aram sacra illa actione hodiernę solemnitatis iusta ratione perfungendum fuit; vt, scilicet, inuocato Spiritus Sancti pręsidio, ęternę Thuribij glorię decretum, Summi Pontificis auctoritate, Christi fidelibus innotesceret.

Hac authoritate, hac intentione, & ad splendoris ac pietatis additamentum in superiori fronte altaris sub Cathedra Principis Apostolorum collocata fuit amplissima tabula, quę B. Antistitis Thuribij Peruuię Barbaros docentis, & baptizantis effigiem, & aliquot eius miracula pictis coloribus repręsentabat, caput, vt antè dicebam, radijs redimitum; sed pretioso velo obtecta; vsque ad tempus per sacrorum rituum pręscripta definitum, quo adoranda fidelibus detegeretur. In arę plano circa magnam crucem solidi auri disposita erant eiusdem

no-

nobiliſſimi metalli, magni ponderis, & artificij candelabra ſex, totidem craſſis, altiſque cereis illuſtriora, quibus in altero altari ſub tholo idem candelarum numerus in argenteis candelabris correſpondebat, & in medio aëre inter Cantorum choros è ſummo fornice pendebat lychnium pluribus eiuſdem materię pretijque candelis onuſtum, quę mox accenſę tot candicantium ſtellarum globum procul aſpicientibus pręferebant.

In vaſtę abſidis pauimento ante aram, triclinari figura conſtructa ſedilia & ſubſellia, quorum quę dextras occuparunt, aliqua pro purpuratis *Patribus* elatiora, ſumptuoſis tapetibus Attalici operis inſternebantur, alia humiliora pro Pręlatis, & Conſultoribus S. Congregationis. In ſiniſtra parte pariter ornatæ ſedes, & ſcamna iuxta ordinum gradus excipiebant Cardinalem Sacrę Baſilicę Archipresbiterum, Canonicos, reliquumque eiuſdem Baſilicę Clerum. Hoc theatrum ſedilium exterius cingebant Heluetii ſatallites, aulę Pontificię pretoriani, diſcolor quiſque, ſed omnes conſimili veſte conſpicui, gladiati illi, promiſſis barbis, & militari capillorum neglectu, peregrina voce, & aſpectu, erectiſque bipennibus formidabiles; vt non alios intra circulum, quàm deſtinatos ſeſſores, aut ſacrę rei actores admitterent, aduenienteſque à turbę preſſura liberarent. Paulò inferiùs extra theatrum Muſicorum choris erecta fuerunt quatuor tabulata adſtantium capitibus eminentia, inauratis can-

cancellis, altè circumſepta,pendentibus vndequaque eius telæ,coloris, & ornamenti auleis, quibus templi parietes ornatos fuiſſe diximus.

Hora iam erat deſtinatæ diei manè, qua ſacra ſolemnitas inchoanda fuit, cùm in loco actionis conſiderent Eminentiſſimi Cardinales violaceo colore trabeati, & poſt ipſos reliqui S. C. aſſeſſores, quandò interius templum organicis tubis, & cœlum exterius ære campano feſtiuè perſonarent, dum prælato ſalutiferæ crucis inſigni, & elatis luminibus èſummo Baſilicæ ſacrario venerabili pompa binis, biniſque præcedentibus Eccleſiæ copioſo Clero, & Canonicis,ritu ſupplici ſequebatur Illuſtriſſimus Dominus Franciſcus Maria *Phæbeius* Archiepiſcopus Tarſenſis, celeberrimi Xenodochij Romani Sancti Spiritus in Saxia Commendatarius, & S.C.R. à Conſultis à Vaticani Capituli Patribus ad Miſſæ ſacrificium cæteramque cæremoniam eo die, & loco ſummi Pontificis authoritate celebrandum inuitatus. Procedebat ipſe alba ſacerdotali, ſtola violacea, & pluuiali Syrmate auro graui, & Pontificali Infula paratus inter duos *C*anonicos Diaconali, & Subdiaconali eiuſdem coloris, & pretij paramentis indutos, reliquæ Sacræ pompæ haudquaquam imparibus. A Sacrario primùm ad Sacellum Sanctiſſimi Sacramenti ductus eſt, vbi adorato Deo corporaliter præſente, ad aram Apoſtolorum itum eſt, ibique pro loci ſanctimonia oratum. Hinc demùm theatrum illud Cathedræ

S. *Pe-*

S. Petri ingressus illam profunda inclinatione veneratus, salutatis Cardinalibus, locum suum in faldistorio antè sinistram altaris conscendit, cæterorum suum quisque occupauit in eadem sinistra parte theatri.

Considentibus ergo cunctis, & vulgi stante non iam rara corona, sed infinita multitudine, quæ, etsi templum totum repleuerat, sed circa theatrum facto agmine, se mutuò arctè premebat, contendente quolibet proximum locum, vnde sacram actionem intueri, & verba ipsa percipere posset: videre tùm erat non tàm humanum concessum, quam cœlestis throni Dei gloriam, quantùm ea terrenis sensibus exhiberi possit: Ii enim, qui in inferiori parte templi stabant, totam superiorem tanquàm cœlum apertum à longè prospiciebant, cùm in medio eius aureus fulgor Alexandrinæ molis multitudine luminum, ceù candicantium stellarum argento vermiculatus, per Vrbani columnarum interualla, etsi longe dissita, tanquam vna eademque machina oculos perstringebat. Nec minus arrectas occupabat aures, cordaque sursum eleuabat suauissima Musicorum harmonia, cum cœlestium spiritum, laudantium Dominum in sanctis eius, seraphicis affectibus, tùm viua voce, tùm canoris fidibus concertans. Illi verò qui inter vtramque aram theatro viciniùs assistebant, tametsi grauissimi illius concessus velut viginti quatuor seniorum Apocalypsis, qui circumamicti vestimentis albis

sede-

sedebant super thronos vigintiquatuor, aspectu summoperè recreati: ardebant attamen vehementi desiderio videndi reuelatum vultum B. Præsulis Thuribij, cœlestis gloriæ signis radiantem.

Rebus ità constitutis, factoque silentio, Bernardinus Casalius, qui quanquam Vaticanæ Basilicę Canonicus, quia tamèn S. R. C. à secretis, inter eiusdẽ Congregationis Consultores peculiari Pontificis facultate sedebat, e medio surgens, præcedente vno ex Magistis cæremoniarum venerabilis Capituli S. Petri, coràm Eminentissimo S. C. in hac actione Præfecto se reuerenter stitit, dùm ex altera parte, & loco, quo iuxta Canonicos sedebat Ioannes Franciscus de Valedolid Thuribij Beatificationis, & Canonizationis Procurator, ab altero cæremoniarum Magistro ad eundem Eminentissimum Præfectum perductus, Apostolicum Beatificationis Thuribij diploma eidem Præfecto porrexit, pro more, & iustitia instantissimè postulans, vt eius oracula, è Christi in terris Vicarij pectore deprompta, executioni mandari iuberet. Tùnc Præfectus postulatis benignè annuens, Diploma Casalio tradidit, Eminentissimo Cardinali Francisco Barberino deferendum (qui pro Cardinale Carolo Barberino Nepote suo, & Basilicę Vaticanæ Archipresbitero, in legatione Pontificia apud Vrbinates absente, sacrę huic solemnitati assistebat) vt id pręconis organo promulgari curaret. Barberinus ergo rem sibi commissam lubens suscepit, ac diplo-

diploma Pontificis tradidit substituto Cartophylacis S. Basilicę, qui mòx vnà cùm Tabellario *Sacrę* Congregationis vmbonem ad id pręparatum conscendit, eodemque Tabellario assistente diploma ipsum alta, & intelligili voce perlegit, ac rei solemniter peractę testimonium cum eodem Tabellario per publicas tabulas statim exhibuit.

Hoc ritu lecto diplomate Phębeius Archiepiscopus dempta mitra sese in pedes erexit, & aram priùs reueritus, diuinę laudis hymnum. *Te Deum Laudamus*, leni cantu Musicis intonuit, quem dum illi suauissimo concentu prosequerentur, vtraque B. Thuribij *Imago* amotis velis publicę fidelis populi venerationi exposita fuit. Nec cessarunt quatuor illi chori, tanquam quatuor animalia cœlestia in circuitu sedis, & requiem non habebant, dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & venturus est: Cùm intereà vt seniores illi, quos in circuitu throni vidit S. Ioannes, procidentes ante sedentem in throno, & adorantes viuentem in secula seculorum, & mittentes coronas suas ante thronum; sic Eminentissimi illi Ecclesię Patres cęterusque Clerus, & populus flexis ad terram poplitibus, ac depositis capitum ornamentis, in seruo suo Thuribio deuotè simùl adorabant Deum, qui tantam illi in terris virtutem, & in cœlis gloriam tantam conferre dignatus est. Huic internæ solemnitati etiam extra templum adiuncta sunt festiuus cam-

 pana-

panarum strepitus, tubarum clangor, tympanorum sonitus, & igniuomarum machinarum lætissimus bombus, reboantibus aëre, fluuio, & vrbis, agrique montibus, non sine magna Christianorum cordium pia commotione, & spirituali lætitia, vt cum S. Ioanne diceres, procedere de medio throni fulgura, voces, & tonitrua.

Absoluto sacro hymno, & pronunciato illo inuocationis versu: *Ora pro nobis Beate Thuribi: Vt digni efficiamur promissionibus Christi.* Archiepiscopus celebrans medius inter ministros stans cecinit propriam inuocationis B. Thuribij Episcopi, & Confessoris orationem, & incenso candentibus carbonibus imposito, se medio altari cum iisdem ministris sistens, sacram Imaginem incensauit: cuius odoramenti fumigantes virgulæ, per aëra sursum delatæ, precum nostrarum feruidos affectus in Deum, per sanctorum merita volantes repræsentare docuit Regius Psalmista, cum diceret:
Psal. 140. Dirigatur Domine oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Tunc celebrans Archiepiscopus ad sedem suam reuersus, Pontificalibus indumentis ornatus est, & ad aram accedens Missæ officium incepit, & incruentum sacrificium offerens vsque ad finē pro solemni Ecclesiæ ritu prosecutus est, choris intereà per interualla sua, tùm viua voce, tùm varijs instrumentis, dulcissima modulatione accinentibus.

Inter ista Valedolidius, de amplificando B. Thuribij cultu solicitus, delectis administris, distri-

buit

buit primùm Eminentissimis Cardinalibus multa exemplaria Pontificij Diplomatis, cameralibus typis excusa, totidemque Beati Thuribij effigies, rasi serici velis ex inciso ære expressas, & aureis fimbrijs ditissimè ornatas: alias verò minoris ornamenti Prælatis, alijsque Consultoribus S. C. & Basilicæ Vaticanæ Canonicis; alias etiam, sed pro gradnum distantia inferioris materiæ, & ornatus reliquo Clero: præter multa millia Iconum eiusdem B. Præsulis magnarum, paruarum, mediarum eisdem æneis laminis albæ chartæ, diuersis formis impressarum, quæ eo toto die in promiscuum populum perpetuò confluentem dispensata fuerunt; & subsequentibus diebus vel ad amicorum domos missæ, vel obuijs quibusque honestis viris, vel petentibus datæ sunt, non maiori contentione petitæ, quam spirituali voluptate, & animi deuotione acceptæ, qua infixis osculis venerationis, qua effusis lachrymis pietatis, qua elatis laudum clamoribus.

Qui ea B. viri sanctitatis insignia priuatis oratorijs inferebant; qui domorum parietibus foribusque ad præsidium, & cultum affigebant. Alij, vt nullius nationis homines in hac vrbe non essent, sic nè quæ vsquàm gens ignoraret, quòd Roma didicisset, eorum quisque, seù aduena, seu indigena, patriam suam, & absentes amicos his sacris muneribus per veredarios missis, nouæ Beatificationis lætitia afficere, ac Thuribij Sanctimoniæ

exemplis ædificare studebat. Vt verum semper perduret quod S. Leo quondam pro concione pronunciauit; Omnium Sanctorum solemnitatum totus mundus est particeps, & vnius fidei pietas exigit, vt quidquid pro salute vniuersorum gestum recolitur, communibus vbique gaudijs celebretur.

Audire tum vndequaque fuit vniuersalem omnium applausum, & acclamationem: qui Sacræ Basilicæ apparatus maiestatem, & Ecclesiasticorum rituum splendorem verbis extollebant: qui sacris operantium grauem dexteritatem: qui canentium voces, & modulaminum flexus: qui tibiarum concentus, & suauissimos fidium sonos collaudabant. Sed sublimioribus rebus magis intenti B. Thuribij virtutes & miracula prædicabant, terque quaterque Beatum acclamantes; vt qui perpetua mentis innocentia per omnem ætatem, fortunamque intacta, terrenarum rerum contemptu, cœlestium contemplatione, omniumque virtutum studio tantum in terris honorem, & in cœlis gloriam promeruit: qui pastoralibus curis, & ingenti labore nouam Ecclesiam remotissimæ gentis Peruuiæ, tanta solertia, & felicitate fouit, & auxit: qui Indorum animas doctrinæ sanctitate, & sapientia, Sacrorumque Canonum obseruantia, verbo pariter & opere erudiuit. Neque corpora minus perpetuis amplissimisque largitionibus pauit, multisque miraculis in fide Christi, & Christianis moribus viuens promouit, & mortuus corroborauit. Alij

ipsam

ipsam Indorum Nationem faustam, fortunatamque dicebant, tales Patres talesque filios adeptam, quorum plures nunc Cœlis insertos Ecclesiæ Catholicæ censura decreuit, pluriumque sanctimoniam ritè discutit, plurimorumque successiuè discutiendam, decernendamque expectat. Alij Hispanicæ gentis felicitatem, fidemque deprædicabant, cui, Deo disponente, contigit, vt innumeros populos orbi nostro priùs incognitos, idololatriæ tenebris, & vmbra mortis inuolutos detegere primùm, & in certissimæ fidei lumen, ac cœlestis Regni hæreditatem in fine seculorum conducere datum est; Quo facto non magis Europam gemmis, & auro, quam Empireum Cœlum noui, veterisque orbis, Sanctorum sideribus omni æuo continenter ditat.

Dimisso sub meridiem sacro consessu, venit ad templum cùm illustri comitatu, virili sapientia, & pietate fœmina, Christina Regina Suetiæ; ac post cultum Christo imprimis, ac Sanctis eius Apostolis debitum, B. Thuribium Catholico ritu, animoque deprecata est. Illam successiuis horis secuti sunt primum Gaspar de Haro, & Gusman Marchio Helicensis, multisque alijs titulis illustris, Catholicæ Maiestatis apud Summum Pontificem Orator, pluribus Regiæ magnificentię seiugibus rhedis vectus & comitatus, in quibus multi Prælati, alijque viri nobiles oneri, & honori fuerunt: Et aliquot post ipsum horis Franciscus Anibal Destreus Dux, & Par Francię, Christianissimi Regis in Vrbe pariter

ter Orator, non impari apparatu, comitatuque spectabilis: Atque interea Romani Principes, & Proceres multi: Nec fluxus, refluxusque multitudinis, nisi occiduo sole cohiberi potuit.

At Innocentij XI. Pontificis pietas illustrem coronidem huic festo imposuit; vt cui non satis visum est, spiritualium gratiarum thesaurum pro multorum salute, ad inuitandos omnes aperuisse, promulgato lucro indulgentiæ plenariæ, omnibus Christi fidelibus acquirendo, qui ritè dispositi, vel Sacræ ceremoniȩ Beatificationis interessent, vel templum Vaticanum quacumque reliqua illius diei hora inuiserent, ac Deum, & Beatum seruum eius Thuribium pro exaltatione S. M. Ecclesiȩ, pro extirpatione hȩresum, ac pro Christianorum Principum pace, Regnorumque tranquillitate, feruenter inuocarent: nisi etiam cunctos propriȩ pietatis exemplo fortiùs concitando, ipse idem faceret. Descendit ergo vesperi cum solito comitatu è Palatio Vaticano ad Basilicam S. Petri: Intra cuius interiorem portam à Capituli Patribus reuerenter exceptus, Sanctissimum Sacramentum in eius Sacello adorauit. Hinc Sacra Apostolorum Petri, & Pauli limina deuotè veneratus, ad Cathedrȩ Petri aram progressus, eandem ipsam, ac B. Thuribij imaginem in ara erectam, flexis vbique genibus, reueritus est; & Apostolorum Principem, Apostolicumque Prȩsulem Thuribium suis precibus, pro proprijs, communibusque Ecclesiȩ necessitatibus

inuo-

inuocauit, Et ſicut accedens, ac per templum incedens, ſic ad Palatium rediens, obuium vbique populum ſuo exhilarauit aſpectu, & multis benedictionibus impertiuit.

Nec multò pòſt, eandem ſolemnitatem nouo fauore perſecutus eſt; Cùm ad Caroli II. Catholici Regis, & Mariannę, eius genetricis, Sacrorumque Hiſpanię, & Indiarum Antiſtitum preces, ſimilia Thuribij Beatificationis ſolemnia multò pluribus, quàm prius, Eccleſijs, ſub ritu duplici maiori, cum Indulgentię plenarię lucro, celebrandi facultatem conceſsit. Apoſtolicis litteris eodem anno 1679. die 27. Septembris datis, quę incipiunt: Cum nos per noſtras die 28. Iunij.

FINIS.



537

2

2 - 2 - 34

